REGNI POLONIÆ

JUS PUBLICVM,

à

Nicolao de Chwalkowo Chwalkowski,
Equestr: Polon: Illustrissimi & Celsissimi
in Livonia, Curlandiæ & Semigalliæ Ducis
CONSILIARIO,
&
ad Aulam Regiam Polonam RESIDENTE,

per

Alteram Editionem

auctius exhibitum.

Regiomonti,
Typis Reusnerianis, Aõ. 1684.



SExdecimum numeras annum, quo te tenet Aula
Regia Lechiadum, ſpatium ſat grande morarum!
Quis numeret, vidiſſe Tibi quos contigit actus?
Et caſu miro Rerum moderamina poni,
Et dum magnanimo conſenſu, libera Regem
Gens vocat, aut ſacro diademate Tempora cingit,
Et Regnaturo Leges, Conventaq́; Pacta
Format, ut Imperii rectè moderetur habenas
Seu cunctis junctim, ſeu lectâ parte Senatûs
Conſulitur, ſeu dum revolutæ tempore Leges
Judicis expectant ſuprema oracula Regis.
Cuncta hæc hauſiſti curioſo lumine Frater
Atqve ideò promptum eſt, facili ſignare Minervâ
Quæ Patriæ Leges, & quæ fundamina Regni,

Quis Pacis, Bellive modus, quàm Sacra Polonis
Summi Majeſtas capitis, Patrumq; Senatûs
Auctoritas, & par libertas, Jusqve Quiritum?
Quàm bene conveniant varia hæc, & in Ordine trino
Ordo bonus, concors mens, & ſententia cunctis
Una ſit? Exercent dignam meditamina docta
Mentem, materies plauſum dabit inclyta cœptis.
Juraqve magnanimæ dum ſcribis publica Gentis,
Publica conatus generoſos fama ſequetur,
Nomine quamve geris, laus ampla, & gloria famam
Addidere libro, quem nunc vicibus repetitis
In lucem mittis, pondusq; decusq; JOANNIS
Herois Mundi, feliciter, Orbe ſtupente
Geſta, dedit toties hoſtili corpore Thracum
Largiter emiſſus, ſuccum, quo charta nigreſcit
Nunc Tua, quove olim rubuerunt flumina, ſanguis.
His igitur tantis Auguſti Principis Actis
Crevit opus, creſcet quoqve fama, quousq;
Sol erit, & cœlum rutilantia ſidera paſcet,
Semper honos, Nomenqve ejus, Laudesqve manebunt.

Ipſa

Ipſa domi cujus ſub Nomine Gratia regnat,
Hoſtibus ipſa foris Virtus facit eſſe verendum.
Hunc ſuperi longos Patriæ ſervate per annos!
Sic Ejus certè auſpiciis Respublica noſtra
Imperium Terris, animos æquabit Olympo.
Te verò Frater, cujus manſura per ævum
Inclyta geſta canis, pretium non vile laborum
Expectat, Magni certiſſima gratia Regis,
Nec non, Gentis honos, cui ſcribis Publica Jura
His fretus, partire Tuas tandem optime Frater
Curas, ſit curæ ſtabili ſibi jungere vinclo
Quâ Tibi dulceſcant longævæ tempora vitæ.

Ita Fratri ſuo germano Juris Publici ſecundam Editionem publicanti applaudebat

Joannes Georgius de Chwałkowo Chwałkowski,
Sr. R. Majeſt. Aulicus Cameræ & Sereniſſ. Marchioniſſæ Brand. Commiſſarius.

DUm Patriæ noſtræ virtus viresq́ reſurgunt
Sub clypeoq. Tuo gloria prima redit
MAXIME REX, ac dum devinctus publicat Orbis.
Quod nunquam bello & pace JOANNE fuit
Major

Major: tum quivis ter fortunatus habetur
Subditus, & tantum vivere ſufficiens.
Proſperior tamen eſt, qui tunc vel Marte vel arte
Virtutis clarum ferre poteſt ſpecimen.
Et melius nunquam tractari PUBLICA JURA
Regni, quàm juſtò Rege regente, queunt.

Samuel de Chwałkowo Chwałkowski,
Capitaneus Drahimenſis.

TU Patriæ Noſtræ tractaſti publica Jura
Primus, non tamen es, gloria prima Domus.
Serviit hæc dudum Patriæ, Malewſcia virtus
Haud ſilet, claris juncta Bilatoviis,
Sunt Kobielnici, Błozeiovvſci, ac Lymbiatowſci,
Aſt hi ſcribendi poſthabuêre modos,
Egregiis factis contenti, hinc Tibi prima
Gloria debetur, non moritura tuos
Inter Majores, Patriæ quòd ſcribere calles,
Hinc laudes ſcribent poſtera sêcla Tuas.

Generoſo Domino Autori
meritò appoſuit,
Andreas Gregorius de Obori Oborski,
Eq. Pol.

SCRIPTORES DE REBUS POLONICIS.

B

Basko, Custos Posnanienſis, antiquiſſimũ censetur Hiſtoriæ Polonicæ Scriptor. M. S.

Martinus *Bielski*, Scripſit Annales Polonorum.

Joannes *Boterus*, Extat ejus Poloniæ Deſcriptio in Republica Polona diverſorum Autorum.

Joannes *Briger*, meminit Starovolſc. in Elog. p. 47. quod adhuc ante Kadlubkonem res à Polonis geſtas commentariis connotaverit.

C.

Philippus *Callimachus*, Conſignavit libris III. Hiſtoriam Vladislai Polonorum atq; Hungarorum Regis. Fuit natione Thuſcus Orator, & Poëta non inelegans, qui ſub Caſimiro Magno ex Italia in Poloniam venit, & Moderator Regiis filiis conſtitutus fuit.

Stanislaus *Carncovius*, Epiſcopus Vladislavienſis, & tandem Archi-Epiſcopus, ſcripſit librum de Jure Provinciali Terrarum Civitatumqve

Pruſſiæ, item Epiſtolas, ubi multa de Statu Poloniæ occurrunt.

Andreas de Pilca *Corycinius*, Caſtellanus Vislicenſis, qui Agnato ſuo Stephano de Pilca profecturo ad Electionem Joannis Caſimiri Regis egregium Tractatum dedicavit, ſub titulo: PERSPECTIVA POLITICA Regno Poloniæ elaborata, quæ poſt fata dicti Autoris Gedani Ao. 1652. in lucem edita. Verè de eâdem dicas, quot verba, tot pondera, & quot lineæ, tot ſententiæ.

Martinus *Cromerus*, Epiſcopus Varmienſis, ſcripſit de ortu & rebus geſtis Polonorum, usq; ad annum 1505. Habetur ejusdem Deſcriptio Poloniæ inter Reſpublicas Lugduni Batavorum editas Anno 1627.

Cruſicius, In publicum edidit Poloniam, & belli Livonici atqve Magni Ducis Moſchoviæ contra eosdem Livones, Commentarium.

Andreas *Cellarius*, Gymnaſii Hornani Rector, Edidit Deſcriptionem Poloniæ, Amſtelodami Anno 1659. cum typis æneis.

D.

Joannes Henricus *Dauber*, Edidit Manuale fundamentorum Juris Civilis ac Polonici.

Joan-

Joannes Ludovicus *Decius*, Scripſit de vetuſtatibus Polonorum, it. de Jagellonum familia.

Thomas *Dreſnerus*, Extat ejus collatio Juris Polonici & Romani, it. Inſtitutiones Juris Polonici. It. Centuria LL. Polonicarum & Gallicarum.

Joannes *Dlugoſſus*, Seculi XV. Scriptor, cujus Tomus I. Annalium Polon. excuſſus Dobromili Anno 1615. in fol. Reliqui duo adhuc MS. aſſervantur. Fuit ille Canonicus Cracovienſis, & mortuus denominatus Archi-Epiſcopus Leopolienſis.

F.

Andreas Maximilianus *Fredro*, Caſtellanus Leopolienſis, tandem Palatinus Podoliæ, ſcripſit Hiſtoriam Henrici Valeſii Regis Pol.

G.

Alexander *Gvagninus*, fuit Italus Veronenſis, peditum in Arce Witebſcenſi Præfectus, ſcripſit Sarmatiam Europæam Tomis tribus, quos tamen ſibi vendicat Matthias Strykowski Oſſoſtevicius in Hiſtoria Lithvanica non uno in loco. Extat dicti Gvagnini Chronicon Regum Poloniæ.

Jacobus *Gorſcius*, Edidit victoriam Regis Stephani.

Antonius Maria *Gratianus* à Burgo S. Sepulchri, Epiſcopus Amerinus, ſcripſit de vita Joannis Franciſci Commendoni Cardinalis & Pontificii Legati tempore Sigiſmundi Auguſti, & Electionis Henrici Valeſii libros quatuor, in quibus multa notatu digna refert, ut

Libro II. c. XV. de Ruſſia.

c. XVI. de Podolia, deqve ejus frequentandæ conſilio Regi allato.

c. XVII. De Rege cupiente divortium cum uxore facere, & per Commendonum diſſvaſo.

Lib III. De actione cum Rege & Polonis de fœdere.

Lib. IV. c. I. De Sigiſm. Aug. Regis ultimi Jagellonicæ familiæ morte.

cap. III. De Conſiliis ejus Regnum uni è Cæſaris filiis conciliandi.

cap. VI. De Competitoribus Regni.

cap. IX. De Comitiis habitis & Henrico Rege creato.

cap. XII. De adventu Regis, & de coronatione & fuga ejus.

Egre-

Egregius iſte liber ex Manuſcripto Anno 1669. mandatus eſt typis Pariſienſibus, & dedicatus Comiti Avauxio, Conſiliario Regio à Rogerio Akakia, Chriſtianiſſimæ Majeſtatis Miniſtro.

Auguſtinus *Gudicanus*, Poloniam Chorographicam edidit breviſſimam, Coloniæ Ao. 1658.

H.

Reinholdus *Heidenſteinius*, Secretarius Regius, Rerum ab exceſſu Sigiſm. Aug. lib. XII. ſcripſit, editas Francofurti Anno 1672.

Joannes *Herburtus* de Fulſtin, Caſtellanus Sanocenſis, tantæ autoritatis Senator, ut Senatus univerſus haud aſpernaretur Collegæ ſui in maximis etiam rebus ſententiam. Et hinc proverbium illud in Polonia ortum duxerat, Herburti conſilio Duces Oſtrogii opibus valent, teſtante Starovolſcio in Elog. p. 69. Conſcripſit Chronicon Hiſtoriæ Polonicæ usque ad annum 1505. it. Statutum primùm Latino, poſthac idiomate Polonico, juxta Deputationem Ao. 1563. & 1565.

Chriſtophorus *Hartknoch*, Edidit Rempublicam Polonicam, it. Chronicon Prusſiæ Düsburgii cum notis & Diſſertationibus.

I.

Jacobus *Janidlovius*, Rebus tractandis admo-

tus ſcripſit Proceſſum Judiciarium ad praxin fori Spiritualis in Regno Poloniæ neceſſarium.

Joannes *Januſzovius*, Edidit Statuta Latino-Polonica, Cracoviæ Anno 1600.

Clemens *Joannicius*, Vitas Regum Poloniæ carmine Elegiaco ſcripſit, it. Vitas Archi-Epiſcoporum Gneznenſium, & Epiſcoporum Cracovienſium.

K.

Vincentius *Kadlubko*, Epiſcopus Cracovienſis, quo tamen Epiſcopatu ſe abdicavit, & in Monaſterio Andrzejovienſi vitam reliquam tranſegit. Annotavit hiſtoriam gentis usq; ad Vladislaum Jagellonidem, nimirùm ad Annum 1434. & prodiit cum Commentatore ſuo Dobromili Ao. 1612. in octavo.

Stanislaus *Krzyſtanowic*, Adjuncta eſt ejus Deſcriptio Status Regni Poloniæ, Reipubl. Pol. diverſorum Autorum.

Stanislaus *Kobierzycki*, Caſtellanus Gedanenſis, poſteà Palatinus Pomeraniæ, Deſcripſit res Vladislai Principis Poloniæ, Dantiſci Ao. 1655. in 4to. It. Edidit Obſidionem Clari Montis Czeſtochoviani.

Veſpaſianus *Kochowski*, Deſcripſit Reginas Poloniæ.

Alber-

Albertus Wijuk *Kojalowicz*, Exhibet Hiſtoriam Lithvanicam, Prima pars impreſſa eſt Gedani Ao. 1650. Altera Antwerpiæ Ao. 1669. in 4to.

L.

Joannes *Laſicius*, Scripſit ingreſſum Polonorum in Valachiam & cladem Dantiſcanorum, teſtante Starovolſcio in Elog. p. 78.

Joannes *Laski*, Cancellarius Regni, & tandem Archi-Epiſcopus Gneznenſis, edidit Statutum Latinum Ao. 1506. in fol.

Andreas *Lipſcius*, Epiſcopus Luceorienſis, Pro-Cancellarius Regni, Typo tradidit Obſervationes Juris, & ſcriptum aliquod de rebus geſtis Sigiſm. III.

Stanislaus *Lubienſcius*, Epiſcopus Plocenſis, cujus opera Antverpiæ excuſſa Ao. 1634. in fol.

M.

Albertus *Madalinski*, connotavit Inventarium Conſtitutionum, Varſaviæ 1632. in fol.

Martinus *Miechovius*, Fuit hic tempore Sig: I. Doctor Medicinæ, & tandem Canonicus Cracovienſis, Scripſit Chronicon Poloniæ à prima propagatione & ortu Polonorum usqve ad annum 1504.

N.

Salomon *Neugebauerus*, Edidit hiſtoriam Polonicam

lonicam X. libris comprehenſam. Hanov. Ao. 1618. in 4to.

O.

Simon *Okolski*, Exhibet Tomis III. orbem Polonicum, ubi arma gentilitia deſcribit.

Stanislaus *Orichovius*, Annales ejus impreſſæ Gedani, Ao. 1643. in qua tamen editione nonnulla deprehenduntur omiſſa ex iis, quæ in editione Dobromilenſi inveniuntur. Quod etiam de præſtantia Legum Polonicarum ſcripſerit, teſtatur Starovolſcius in Elog. ubi ipſum nominat clarum Sarmatiæ Oratorem, illuſtriq; genere ortum.

P.

Joachimus ab Hirtenberg *Paſtorius*, Hiſtoriographus Regius, Edidit Florum Polonicum, it. ſcripſit de bello Scythico - Coſacico, Dantiſci Ao. 1652. it. de Vladislai IV. Regis extremis ſecutoqve inde InterRegno, & Joannis Caſimiri Electione ac Coronatione, Gedani Ao. 1680.

Bartholomæus *Paprocius*, Edidit hic Ao. 1584. Cracoviæ opus Stemmatum. It. Vitas Gneſnenſium Archi Epiſcoporum.

Joannes Innocentius *Petricius*, Scripſit Hiſtoriam rerum in Polonia geſtarum, ac præcipuè belli

belli cum Oſmanne geſti finitiqve, edit. Crac. Anno 1635. in fol.

Paulus *Piaſecius*, Fuit hic Epiſcopus Præmisliensis, Ejus Chronicon editum Cracoviæ Anno 1645. In Editione Hollandicâ adjunctæ ſunt nonnullæ animadverſiones, ſuper rebus exoticis.

Joannes *Piſtorius*, Edidit Corpus Hiſtoriæ Polonicæ Tom. III. Baſileæ Ao. 1582.

Jacobus *Przyluſius*, Scripſit ſub Sigiſmundo Aug. Leges & Statuta Regni Poloniæ libris VII.

R.

Regenſvolſcius, Conſcripſit Syſtema Hiſtorico-Chronologicum Eccleſiarum per Provincias varias præcipuè Poloniæ, Bohemiæ, Lithvaniæ &c. quo continetur Hiſtoria Eccleſiaſtica à CHRISTI & Apoſtolorum tempore ad Annum 1650.

S.

Stanislaus *Sarnicius*, Annales de origine & rebus geſtis Polonorum ac Lithvanorum ſcripſit, editus liber Ao. 1587. in folio, impenſis Autoris.

Paulus *Sczerbicius*, Fuit hic Syndicus Civitatis Leopolienſis, poſteà adoptatus eſt in numerum Secretariorum Regiorum tempore Sigiſm. III.

Conſcripſit Promptuarium Statutorum omnium & Conſtitutionum Regni Poloniæ, Brunsbergæ Anno 1604.

Matthias *Stricovius*, Conſcripſit Hiſtoriam Lithvanicam, quæ Polonico idiomate Ao. 1582. prodiit Regiomonti in folio. Meminit Starovolſcius in Elogiis, quòd & librum de libertate Polonorum publicaverit.

Jacobus *Sobieski*, Caſtellanus Cracovienſis, Scripſit de bello Chotimenſi, Dantiſci Ao. 1646. in 4to. Sed Filius ejus, modernus Rex Poloniæ, de victoria Chotimenſi materiam ſcribendi dedit ampliſſimam.

Hieronymus *Spanochius*, Scripſit de InterRegno Poloniæ.

Simon *Starovolſcius*, Edidit hic Deſcriptionem Reipublicæ Polonæ, it. Equitem Polonum ad Urbanum VIII. it. Elogia virtute bellica illuſtrium Polonorum, it. Hecatontadem Scriptorum Pol. Impreſſam Venetiis M DC XXIII. it. Libros VII. Inſtitutionum Rei militaris. Edidit etiam Tractatum de Epiſcopis Cracovienſ. in fol. it. Commentarium in quatuor Libros Inſtitutionum Juris Civilis, Cracoviæ Ao. 1638.

Albertus *Strepa*, Meminit ejus Chronici Paprocius p. 551. & 567. & Starov. in Elogiis p. 47.

Sprenge-

Sprengerus, Poloniam Novo-Antiquam edidit.

Joannes Demetrius *Sulicovius*, Archi-Epiſcopus Leopolienſis typo vulgavit Commentarium rerum à morte Sigiſm. Auguſti geſtarum, Dantiſci in 4to.

T.

Thomas *Treterus*, Natione Polonus, Patria Poſnanienſis Secretarius Annæ Jagellonicæ, conſcripſit ſeriem & acta Epiſcoporum Poſnanienſ.

Joannes *Tarnovius*, Bellorum à ſe geſtorum Commentarios manu propriâ ſcripſit, ſicut & Carolus Chodkievicius rerum ſuarum cum Sveco, Moſcho, & Turcâ geſtarum codicillos.

V.

Andreas *Vargocius*, Edidit librum de armis & inſignibus Nobilitatis Polonicæ.

Bernhardus *Vapovius*, Fuit hic Eques Roxolanus, Cantor & Canonicus Cracovienſis, & Secretarius Regis Sigiſm. Ubi Cromerus deſiit, incipit iſte ſtylo non multum Cromeriano diſſimili.

Chriſtophorus *Varſevicius*, Scripſit de Elogiis illuſtrium Poloniæ Scriptorum, it. De origine Polonorum, it. De Victoria Regis Stephani, it. de obitu Annæ Auſtriacæ Poloniæ Reginæ.

W.

Eberhardus *VVaſſenbergius* Embricenſis, Hiſtoriam

ſtoriam Vladislai IV. edidit Dantiſci in 4to. It. Scripſit Carcerem Gallicum Principis Caſimiri in quarto.

Z.

Joannes *Zamoyſcius*, Libelli de Magiſtratibus populi Romani à quibuſdam Autor creditur.

Theodorus *Zawacki*, Scripſit Synopſin Annalium Pol. it. Compendium Conſtitutionum usqve ad annum 1613. Pol. in folio, it. Floſculos Legum, Floſculos Practicos, Speculum Senatorum in 12mo. Cracoviæ.

Caſimirus *Zawadzki*, Capitaneus Pucenſis, nunc Succamerarius Mariæburgenſis, connotavit Diarium Electionis Regis Michaëlis, ſub Titulo: Gloria Orbi Sarmatico conſenſu monſtrata.

Zeilerus, Edidit Deſcriptionem Regni Polon. in octavo.

Stanislaus *Zolkievius*, Ruſſiæ Palatinus togâ ſagoqve clarus, Commentarium belli Muſcovitici ſub Sigiſmundo Rege lingvâ vernaculâ ſcripſit.

JURIS PUBLICI POLONICI *LIBER PRIMUS*

CAPUT I.

DE ORIGINE JURIS POLONICI, STATUTIS ET CONSTITUTIONIBUS.

I.

CEntem Polonam à principio nullæ tabulis inſcriptæ leges ſibi devinctam habuêre. Primo Reipublicæ Conditori ac Principi Lecho, jus omne in arbitrio, ſed ſuſtentatio à ſubditis, adeoq; ſic major parentium ſecuritas erat. Hoc defuncto duodecim Palatini ſumebantur, quorum tamen, uti Decemviralis Romanorum poteſtas non diu valuit; ſed in-

Cracum ceſſit, qui cuncta bellis externis civilibusq; feſſa, nomine Principis ſub Imperium accepit. Quod Regimen (niſi quod ante Præmislum iterum Palatinis non longa contigerit dominatio) ad Miecislaum Primum duravit. Poſtea à Boleslao I. penes Reges (quæ dignitas poſt Boleslaum Audacem ducentis & ultra annis omisſa in Præmislo II. recepta eſt) etiam ſine legibus ſcriptis, vel certè ſub paucis erat Imperium, donec iisdem Caſimirus Magnus ornavit Rempublicam, ut, quemadmodum unus omnibus Rex, ita unum jus eſſet, *Viſliciæ Anno* 1368. Induxit iſte in Poloniam, vel potiùs approbavit correxitq; uſum juris Teutonici, ſublatâ ad Magdeburgenſe Tribunal appellatione, atq; inſtituto in Arce Cracovienſi ſupremo præfati juris dicaſterio, deditq; hoc modo Succeſſoribus ſuis exemplum Regni commodiùs gubernandi. Meretur ergò numerari inter perpetuos Principes, qui legibus ſuis etiam poſt mortem Imperia adminiſtrant: non poſſunt quippe Regna eſſe diuturna, niſi præſidio legum firmata.

II. Poteſtas autem condendi & diſpenſandi jura penes omnes Ordines eſt, ita ut in Comitiis Nuntii terreſtres eadem proponant, Rex cum ſenatu,

Senatu, ſi viſum fuerit, approbet: de quo accuratius *infra ſub tit: de Comitiis.*

III. Olim frequentius STATUTA, nunc CONSTITUTIONES vocantur. Illa Johannes Laſcius Archi-Epiſcopus Gneſnenſis primus juſſu Regis Alexandri conſcripſit, *teſte Starovolſcio in Elogiis p.* 6. quem Przyluſius, Herburtus, Januſſovius, Szerbicius, & alii ſecuti ſunt. Antea ſcribebantur idiomate Latino, ab A. autem 1550. Polonicè leguntur, & non prius vim habent, quàm publicatæ fuerint. Deteſtanda enim Tyrannis Domiciani, qui data opera in loco editiori quam à populo legi poſſent, leges propoſuit, ne deeſſent transgreſſores, in quos poſſet animadvertere. Antequam verò publici juris fiant, per Mareſchallum Ordinis Equeſtris, & per Deputatos duos vel tres ex Senatoribus & ſex è Nuntiis Terreſtribus (qui juxta noviſſimam legem Ao. 1678. jurare tenentur) revidentur, poſt reviſionem ſubſcriptæ in præſentia Regiæ Majeſtatis leguntur, cum interrogatione per Dominos Cancellarios, an Rex, Senatores, & Nuntii Terreſtres easdem Sigillo muniri jubeant; quo impreſſo ad Acta Varſavienſia, &, ſi Lithvanica Comitia, ad Grodnenſia; vel in defectu ejusdem Officii ad Metricam Regni aut Magni Ducatus

Lithvaniæ ſub Actu in craſtinum poſt Comitia porriguntur, *Sigism: III. Anno* 1588, *&* 1613. *Johannes Caſimirus* 1661, quamvis interdum per duas ſeptimanas & ultra detineantur. Ordinatio autem noviſſima imponit Mareſchalco, ut quarto poſt valedictionem Regis die conſtitutiones ad acta caſtrenſia exhibeat. Deinde ſumptibus Theſauri, curante aliquo Secretario Regio (quem, ſi alternata Regni ſit, Cancellarius Regni, ſi vero Lithvanica, Cancellarius Lithvanicus conſtituit,) Typis mandantur, impreſſæ cum ſubſcriptione Cancellarii ſub Sigillis Regni, vel Magni Ducatus Lithvaniæ, ad Comitiola Relationum, uti etiam ad Officia Caſtrenſia Palatinatuum & Terrarum transmittuntur: *Idem Joann: Caſim:* 1661. Si quæ ſecretiora ſunt, per Scriptum ad archivum cum ſubſcriptione Archi-Epiſcopi & Mareſchalli Equeſtris porriguntur.

IV. Omne illud jus, vel eſt privatum, aut publicum. Illud privatorum utilitatem: hoc Statum Reipublicæ tuetur, cujus Divinâ favente gratiâ ex Statutis & Conſtitutionibus atq; experientiâ Epitomen conſcribere inſtitui.

CAP.

Cap. II.

DE TRIBUS STATIBUS ET ORDINIBUS REIPUBLICÆ.

REmpublicam noſtram tribus conſtare Ordinibus, notiſſimum. Penes Regem Dignitas: penes Senatum Autoritas, penes Nobilitatem Libertas eſt.

Cap. III.

DE REGIA MAJESTATE, UBI DE INTERREGNO, ELECTIONE, CORONATIONE.

I.

PRimus Status Dominus & Caput totius Reipublicæ Rex eſt; qui ad faſtigium Majeſtatis non defuncti conjunctione, ſed liberæ Gentis Electione provehitur. Quamvis verò Regia Domus nihil participet de Imperio, nihilominus participat inſigniter de obſervantiâ, etiam poſt fata Regnantis. Nulla enim vidit ætas poſthabitum Regum ſangvinem, quoad in utroq; ſupereſſet ſexu, quin vel ultra alpes & Maria ad ſceptra quæreretur.

II. Electionis verò occaſio emergit morte, Reſignatione, ſeu abdicatione, Depoſitione, ſeu Exauguratione, vel quando viventi Succeſſor deſtinatur.

III. De MORTE nil niſi hoc ſubjungo, quod Interregni ejuſmodi tempore ex Senatoribus Spiritualibus & ſecularibus, ut etiam ex Officialibus nonnulli aſſignentur, qui penes corpus mortui Regis reſideant, omnemq́; ordinem ac decentiam procurent; hinc Respublica gratam conteſtando erga manes defuncti Sereniſſimi Regis Michaelis venerationem memoriamqve decrevit, ut ex bonis Oeconomicis ſumptus ad Corpus Regium neceſſarii uſq́; ad diem ſepulturæ ex Theſauro erogarentur, *Confœderatio* 1674.

IV. RESIGNATIO eſt Libera & ritè peracta poteſtatis Ducalis, vel Regiæ ceſſio. Ignotum Principum Aulæ prodigium, ut cùm poſſint, imperare deſiſtant. *Strada de Bello Belg: Dec. Lib.* I. Si antiquitatis revolvimus Acta, occurrit Vladislaus Laſconogus, qui Leſco VI. Cognomento Albo, ad quem longè ante delatus erat Principatus, ſummo omnium conſenſu ultrò ceſſit. Idem Leſcus Albus ante Miecislao Seni, vanis promiſſis Helenæ, illius Albi Matris animum expugnanti, bis Principatu ceſſerat. *Ex Neugeb. Hiſt.*

Hiſt. Princ. p. 61. & 62. Idem teſtatur, quod Vladislaus Jagello ab obitu Hedvigis Uxoris ſuæ ultrò ſe Regno abdicare ac in Lithvaniam redire voluerit; Sed Proceres ipſum conſolati, ſvaſerunt cum Anna Wilhelmi Ciliæ Comitis de Hungaria Filia matrimonium, quod iniit. At Caſus illius miri (cujus triſtis Spectator fui) memoria, ubi Rex JOANNES CASIMIRUS Anno 1668. Diadema Regni in publico Comitiorum theatro depoſuit, noſtræ dedit dolendi & ſcribendi, venturæ ætati dabit obſtupeſcendi materiam. Exponebat primò prædictus Sereniſſimus Rex Dominis Senatoribus, eam ob cauſam Varſaviam (die 12. Junii) convocatis mentem ſuam, de reddendâ Republicâ, quod ſcilicet compertum eſſet pluribus in iſto confeſſu, Regiam Majeſtatem ſuam ab aliquot jam annis ſuperſtite adhuc Sereniſſima quondam Regina Ludovica, tum & poſt ejusdem fata decreviſſe ſe hoc regno abdicare, nullamq; aliam abdicationis moram fuiſſe, niſi ſolos duntaxat confœderati militis auſus, bellum Moſcovitium, & motus internos, qui præconceptam Majeſtatis ſuæ intentionem coercuiſſent, ne Reipublicæ inter tot turbas & pericula majorem Interregni tempore molem periculorum adderet. Ad præſens verò

verò cum interna pax & Moſcoviticæ coaluerint induciæ, priſtinam intentionem ſuam quam primum ad effectum deducere firmiter conſtituerit. Senatores magnitudine & novitate rei ac reverentiâ Legum deterriti, nil niſi preces de mutandâ ſententiâ interponebant; ſed cum perſeverantiam propoſiti in Principe animadverterent, qui volebat, ut Senatus iniret Conſilium, non an deberet abdicare, ſed quomodo & quibus ſolemnitatibus, rem integram ad univerſam Rempublicam referebant. Divulgata itaqve notitia eſt per Provincias à Prazmovio Archi-Epiſcopo Gneſnenſi, Primate Regni, de hocce triſti & inſperato orbandæ Patriæ propoſito. Interim non deerant vota Principum Orbis Chriſtiani. In Comitiorum ergò (quibus dies 27. Auguſti dictus fuit) exordio, poſt conſveta manus Regiæ oſcula, Nuntii Terreſtres per Mareſchallum ſuum Stephanum Sarnowski Succamerarium Generalem Palatinatus Lancicienſis Regiæ Majeſtati turbatos ob dictam innoteſcentiam explicabant animos, humillimèq; rogabant, ut Sacra Regia Majeſtas declarationem ſuam impertiri dignaretur; Reſpondebat de Throno Andreas Olſzowski Vice-Cancellarius Regni, Epiſcopus Culmenſis & Pomeſaniæ, tandem Archi-

chi-Epiſcopus Gneſnenſis (die 29. Aug:) in hunc fortè ſenſum: Edocta eſt Sacra Regia Majeſtas longâ rerum experientiâ, quod res, quæ totius Reipublicæ concernunt intereſſe, non niſi apud eandem pertractandæ ſint. Ideoq; Sacra Regia Majeſtas, licet ſuam Dn. Dn. Senatoribus aperuerit mentem, rem tamen integram ad moderna reſervavit Comitia, atq; de eàdem, cum maximi ſit momenti, Regia Majeſtas deliberatura eſt. Circumſteterat interim Palatium publica expectatio magni Secreti impatiens. Altero pòſt die idem Vice-Cancellarius graviſſimo, uti ſolebat, habito ſermone, indolendo fatis perſonæ ſuæ, quod ex officio jam teneatur eſſe duræ Miniſter ſortis, & interpres, formulam de abdicando Regno conceptam & à ſæpè memoratâ Majeſtate ſibi concreditam prælegebat. Fundebat ergo (die 3. Septembris) ad Regem preces Ordo Equeſtris: jungebat gravem ſuam Illuſtriſſimus Senatus Autoritatem. Pia iſthæc vota optimum Principem ad conteſtationem perennaturi erga Patriam amoris impellebant, quo occupatus victusq; in craſtinum differebat declarationem. Hâc per altè memoratum Vice-Cancellarium Regni (die 4. ejusdem) diſer-

tiſſimè impertitâ, quod ſcilicet Serenisſimus in Conſilii ſemel ſuſcepti conſtantiâ non ex faſtidio regnandi, ſed cura æternitatis & ſesſæ Valetudinis ratione firmatum exponi curet animum, Ordines Regni huic intentioni ſeſe ſubmittentes, accuſare fata, non mutare poterant. Nec enim Auguſtum præ oculis habebant, qui aliquoties de Regno reddendo cogitabat, tandem reputans non ſine periculo fore, antequam timere pluralitatem, in retinendo perſeveravit. Cùm igitur per aliquot dies ratione proviſionis, ne Regem ſuum tot meritis gravem, à ſe dimitterent egenum, conſultatum & conventum eſſet, confectis aſſecurandæ Proviſionis & Diplomatum ab utrinq; Reverſalium inſtrumentis, tandem 16. Septembr.

Venit ſumma dies & ineluctabile tempus.

Cùm enim Sereniſſimus ex Palatio ſuburbano frequenti Procerum Comitatu ad Arcem deductus eſſet, & Sacrum in Baſilicâ Sancto Joanni dicatâ audiviſſet, recipiebat ſeſe ad atrium Senatorium, quod multitudo hominum, viſendi cupidine aut officio in Principē compleverat. Ipſe poſtquam ſub Throno aſſederat, Pro-Cancellario Regni ad ſe vocato, paucis intentionem

ſuam

ſuam exponebat, qui nomine ejusdem Majeſtatis denunciabat, advenisſe jam horam, in quâ publicè & ſolenniter Abdicatio perageretur, atq; ex mente Sereniſſimi Diploma Abdicationis legeretur. Officio itaq; lectionis fungebatur Reverendiſſimus Dn. Malachowski, Referendarius Regni, nunc Epiſcopus Culmenſis & Vice-Cancellarius Regni, quem excipiebat ſupra dictus Mareſchallus Equeſtris prælectione Aſſecurationis quoad proviſionem, ſcilicet centum & quinquaginta millium florenorum annuatim, & Diplomatis Reverſalis Statuum ac Ordinum. Poſt hæc Diploma Abdicationis à Regiâ Majeſtate, reverſale à Republicâ, Proviſionis ab omnib' & ſingulis perſonis, tanquam privatis ſubſcribebatur. Quippe Nuntii terreſtres, cùm à Rege ſuper prædicta materia in conventibus ante Comitialibus nihil propoſitum fuerit, nullo de proviſione articulo inſtructi erant, ratihabitionem itaq; ad Palatinatus ſuos referebant, quæ deinde Pactis conventis Succedanei Regis D. Michaelis inſerta eſt. His actis Sereniſſimus Diplomata Electionis & Coronationis rubro involuta Serico, Reipublicæ, à quâ ante viginti ferè annos acceperat, redhibebat, atque ſic valedicturus mœ-

ſtum ordiebatur ſermonem, adeò, ut crebris cum lachrymis breviùs dixerit. Magna enim mœroris eloquentia eſt, facundum eſſe ſolis gemitibus.

—— Stupuêre omnes tentamina tanta
Conatusq; novos! ———

Sermo autem ille gemente totâ Republicâ prolatus, hujus erat tenoris:

Quando jam jam elabitur hora, ut amoris paterni debitum à ducentis octuaginta annis Pupillæ Domus meæ huic inclytæ Reipublicæ exſolvam, Comitiis & Caſtris deſeſſus, Calamitatibus per annos viginti fractus Rex & Pater, quod mundo pretioſiſſimum eſt, coronam in manus Dominationum Veſtrarum deponam, pro Throno Torum eligo, dum huic ſeculo funeris mei ſuperſtes emorior, pro Regali Globo glebam terræ, eamque in ſinu charisſimæ Matris communis veſtræ meæq; Patriæ intra cineres Majorum meorum mihi reſervo, ut quemadmodum me primum in Caſtris ac ultimum ex prœliis & clade vidiſtis, ita in Annalibus primum ob amorem Patriæ augendæq; ejusdem fortunæ, humana poſtponentem, Majeſtatemq; Regiam diſpoſitioni veſtræ reddentem memineritis. Amor veſter liberis vocibus huic me Solio impoſuit, amor vicisſim meus erga vos ſupremum me utriusq; lineæ hæredem liberè dimittit. Monarchæ cœteri Filiis

liis, Fratribus, aut Consanguineis abdicando Coronam tradiderunt. Ego eandem Patriæ carissimæ Reipublicæ ut Pater & Filius reddo, ejusq; amore ex Duce Gregarius, ex Imperante Parens, ex Rege Concivis fio, ut juniori & Reipublicæ magis proficuo locum concedam, cujus in Electione ut Deus Dominationes Vestras prosperet in solitudine mea negotiorum vacuus Majestatem ejus Sanctam implorabo. Gratias jam igitur vobis pro omnibus Charitatibus, Officiis, susceptis periculis, pro Consiliis, præsidio, & reditibus ago. Si cui ex rationibus Status, vel fatorum quid ingratum accidit, condonet quæso, ipse vicissim omnibus do veniam. Sic tandem ultimum vale singulis dico, & cordi meo vos apprimo, inquo dulcem Vestri memoriam, quoad vixero, circumferam. Benedictionem insuper Paternam omnibus & singulis impertio, & quanquam distantiâ loci disjunctus fuero, animo certè à communi Matre nunquam divellar, in quâ corpus hoc in cineres olim resolutum deponi desidero. Et cùm labilis memoria ac luctus in lachrymas effusus plura effari non permittat, uberiora amoris & candoris mei argumenta ex charta hac, quam ad prælegendum trado, intelligetis;

Jam dudum est hoc meum interruptum boni publici & tam valetudinis quam conscientiæ meæ rationibus innixum propositum, Coronam hanc à Dominationibus ve-

ſtris capiti meo impoſitam, & à tot annis per Anteceſſores meos poſſeſſam, in manus, & ad liberam diſpoſitionem Dominationum Veſtrarum ſolenni reddere Abdicatione. A primâ meâ, quam mihi amor dictavit in Comitiis Anni 1661. declaratione, ſemper in me repoſita manſit opinio, quod debuerim Reipublicæ conſulere, ut me vivente anteverterentur pericula illa, quibus inopinatum Inter Regnum ex fundamento eandem movere & turbare poſſet. Præſtolatus ſum tantum ejusmodi, uti nunc ſunt tempora, quando Resp: à Conſœderatione militari, turbis internis bello Moſcovitico pacata commodè & ſine diſtractione ſibi conſulere, & liberæ vacare Electioni poteſt. Adducit me ad hanc Abdicationem cura ſalutis æternæ, quam, uti quilibet contemptu terrenorum ſibi conciliare tenetur, ita difficiliùs mihi foret in Throno eandem parare, ſi abrogatione dignitatis memet humilians, & ex altiſſima fortuna & Regiis incommoditatibus exuens, mihi ipſi atq; animæ meæ reliquos dies non impenderem; Sed non minus ad iſtud me impellit, amor erga hanc Patriam & Dominationes Veſtras, quem tam difficili & inſolido modo teſtari volo. Sentio me ætate & valetudine infirmum, preſſumq; laboribus continuis & conſultationibus atq; Caſtris fractum, ut vires meæ curis regnandi non valeant ſufficere, malo itaq; me ipſum exinanire, quò ad publica commoda Dominationum

num Veſtrarum juniori, & capaciori Succeſſori fores aperiam, quando Dominationes Veſtræ Adjutorem mihi adſciſcere & adoptare noluerunt; Quippe video, quod ſinceræ intentiones meæ ſiniſtrè explicatæ, & ſuſpicionibus quaſi minus liberæ Electionis oneratæ, aliter non poſſint juſtificari, & Reſpublica hâc opinione turbata, aliter pacificata eſſe nequeat, niſi per hoc documentum amoris mei, quando quilibet animadvertit, quod libera manebit Reipublicæ electio, quod ego deponens Diadema ſolvo metu timentes gratis, ac ſi illud peregrino capiti imponere cogitaverim. Magis ergo in hoc operatur apud me ratio publicæ quietis & amoris erga Dominationes Veſtras, quam commoditatis quietis propriæ & privati boni conſideratio, pro quibus, quàm moderatè me habeam, ſatis oſtendit Actus hodiernus, dum iisdem quicquid mundo eſt charisſimum charitati Reipublicæ poſthabeo. Proteſtor coram Deo, quòd per hanc Abdicationem, nullum præjudicium libertatis Dominationum Veſtrarum, nec facio, nec video, ſed potius ita exiſtimo, me per apertum Interregnum viam ad augmentum eidem parare. Quod ergò fauſtum felixq; ſit huic Reipublicæ, & mihi apud Deum meritorium, atq; apud univerſum Orbem glorioſum, jam maturâ præmiſsâ deliberatione ſanus mente & corpore, liberè, non coactus, Diadema, Sceptrum, Regimen, & Regnum, uti mihi eſt in

Electione

Electione delatum, & in Coronatione confirmatum, cum omnibus quæcunq; Majestati & juribus Regum Polonorum & Magnorum Ducuum Lithvaniæ ab antiquo competunt, nihil sibi, nec alicui cuidam reservans, in manus Senatus, Nobilitatis, & omnium Ordinum utriusq; Gentis abdico, restituo, reddo, & omni meliori modo formâq; resigno, omnes Ordines & quemlibet in specie fidelitatis juramento, aut quovis alio præstito solvo, & ab omni subjectione & obligatione subditos sive Vasallos mitto & absolvo. Duces etiam Brandenburgicum, & Curlandiæ ab homagio & reliquis obligationibus pro meo interesse tutos & liberos pronuntio. Quod non tantum hâc meâ vivâ voce, sed & Diplomate solenni, in manus Reipublicæ tradito, confirmo & ratifico, atq; Diploma Electionis meæ 1648. authenticum & Originale restituo, reddoq;, caso, & annihilo. Impertior actu liberrimam facultatem Domino Archi-Episcopo declarandi Inter Regni toti Reipublicæ, procedendi ad liberrimam Electionem Regis novi, eundemq; eligendi & Coronandi, simul declaro & promitto, quòd non tantum nullo modo impediam futuram Electionem Regnaturi, sed deniq; ad Confutationem qui venditabant, ac si cum aliquo de Regno transegissem, nullum Candidatum Dominationibus Vestris proponam, vel recommendabo, atq; ab hinc in persona ab actibus Convocationis & Electionis me reci-

recipiam, absensq; ero. Teneor insuper ex conscientiâ præcavere atq; rogare Dominationes Vestras, ne quenquam hujus Consilii velint invidiâ onerare. Omnes Potestates externæ me rogarunt, & ad hoc usque momentum me flagrantissimè rogant, ut hoc Consilium mutem, Civibus autem me oportet cum gratâ recordatione amoris erga me præbere testimonium, quod nemo illorum inventus fuerit, qui laudaret, multò minùs svaderet Abdicationem, quæ quod sit opus manus Domini & Vocationis meæ necessitas, inde apparet, dum totius mundi improbatio mihi eandem ex corde avellere non valuit. Et sicut in hoc toto negotio nemo de charitate meâ erga hanc Rempublicã dubitare potest, ita & ego vicissim fidenter de Dominationum Vestrarum amore mihi polliceor fore, ut pro substantia mea, Statui meo, atq; Honori Reipublicæ condigna, reservatos per me à supra dicta Abdicatione ejusq; pronunciatione exceptos reditus, hoc est, Oeconomiam integram Marieburgensem centum millia redituum, ex salis fodinis Vielicensibus, & denuò centum millia ex Vectigalibus Regni & Russiæ, ad mensam Regiam spectantia, in Lithvaniâ, Grodno, Sokol, & vectigalia, uti possidebantur, ut mihi à futuro Principe præstentur, per Pacta conventa caveatis. Per quod nihil de pane benè meritorum decedet. Reditus ex Oeconomiis omnibus, Sceptro vacante, ut ad me quoq; ordinario modo pervenian-

viant per totum InterRegnum, mihi plenariè reſervo. Erit hoc gratitudinis Dominationum Veſtrarum erga me, (ut rogo) documentum, quando futuro Regnanti in Capitulatione exſolutionem meorum meæq; Domus debitorum commendabunt. Utrumq; hoc à Dominationibus Veſtris impetrabit Domus Jagellonicæ tam beneficum à ducentis annis regimen, ſub cujus propenſione erga hanc Rempublicam libertates illius notabiliter creverunt. Valedico itaq; paterno corde Dominationib⁹ Veſtris ex Throno decedens, orans ut Dominationes Veſtræ hanc paternam & omnes charitates ſuperantem intentionem meam gratè excipere, & ſincerè interpretari velint. Gratias ago Dominationibus Veſtris pro conſervatione fidelitatis, & ſubjectionis, quam difficillimis temporibus conſtanter expertus ſum. Puto quòd nemo de Regimine meo conqueri poſſit. Si quid tamen alicui in adminiſtratione noſtra minùs placuerit, rogo ut hoc fragilitati, à quâ Diadema non liberat homines, & rationibus Status, quæ cum privatis utilitatibus non ſemper conveniunt condonet. Tandem uti amorem erga hanc Rempublicam cum Regali paludamento non exuo, ita Dominum Deum oro, & ardentiùs ſolutis curis orabo, ut Dominationibus Veſtris ejusmodi ſuppeditet conſilia, quibus per brevem terminum Interregni, & evectionem digni in Thronum Regnantis, exteras & malevolas prævertero factiones, fines

defen-

defenſos tutosq; habere, internam tranquillitatem, & ſolidam unanimitatem inducere poſſint.

Recitanti verò eandem mente divina & affectu Paterno conceptam orationē Reverendiſſimo Dn. Vice-Cancellario multæ lachrymæ multas injiciebant moras. Poſtea memoratus Archi-Epiſcopus Gneſnenſis nomine univerſi Senatus, præ dolore ſedes ſuas deſerentis, & toto habitæ Orationis tempore ſtantis, gratiarum actione fungebatur, dexteramq; Regis ad ejusdem genua advolutus flens oſculabatur. Cujus ſequendo exemplum Ordo Senatorius:

It lachrymans, magnoq; humectat flumine vultum.

Porrò etiam Mareſchallus nomine Ordinis Equeſtris devotionem magnâ condolentiâ profitebatur, rogando, ne Sacra Regia Majeſtas dedignaretur innatum erga communem Patriam mutare affectum, juxtimq; promittendo gratam populi erga Principem obſervantiam, atq; ſic cum regnare deſinenti finis ſermonum erat gratiarum actio. Tandem huic Abdicationi coronidem impoſuit ſæpè dictus Pro-Cancellarius, vices Regiæ Majeſtatis gravi Oratione ſuſcipiens, atq; in teſſeram perpetui & immutabilis affectus

gratioſam manum Regiam offerens, quam Nuntii terreſtres ſupremis venerabantur oſculis. His ita peractis, Sereniſſimus Thronum, tantæ faſtigium fortunæ, relinquebat. Eheu! exclamare licet:

Ponitur hîc imos ante, corona, pedes.

Abeuntem Regem Dn. Dn. Senatores atq; Officiales de more comitari volebant, ſed Sereniſſimus veluti jam ex fortuna Regia diſcedens in mores vitamq; privati, renuebat hunc ſibi honorem exhiberi, quem nihilominus omni cum obſervantiâ præſtabant. Rex itaq; magnâ proſequentium multitudine ad Palatium ſuburbanum deducebatur. Circa materiam Abdicationis non abs re erit annotare, quod deliberatum fuerit, quâ autoritate ſuperiùs allegata Diplomata omnesq; alii actus deberent confirmari. Archi-Epiſcopo videbatur, quod ſub titulo Actorum Interregni cum præliminaria Comitiorum deficerent, & in hâc re nulla inſtructio ad Conventus particulares transmiſſa fuerit. Sendomirienſes verò Nuntii ſentiebant, quod omnes Actus, non aliâ niſi Comitiali Autoritate poſſent approbari. Cum Acta inter Regni à Succeſſore robur ſuum acciperent, Abdicatio verò exnunc

per

per Conſenſum Reipublicæ ratihaberetur. Quicquid verò Solennitatibus Comitiorum deeſſet, illud Reſpublica ex plenâ poteſtate in hoc caſu extraordinario, unanimi aſſenſu ſupplere poſſet. Concluſum itaq; eſt, ut per Conſtitutionem ſub titulo Abdicationis, præfati actus voluminilegum inſerantur. Magnanimus iſte Rex poſtquam in Comitatu ſuo Zivecenſi intellexerat, quem ſibi Succeſſorem vox Dei liberiq; populi deſignaſſet, Regni fines, ut antea faſces, reliquit, atq; in Galliam diceſſit. Ubi intra quadriennium Niverniæ ſcilicet XVI. Decembr. Ao. M DC LXXII. Charitati Patriæ (cui ob illatam Cameneciæ cladē illacrymavit) immortuus eſt. Cùm ergo Sereniſſimus Rex Michael certior redderetur, Patrem & Fratrem ſuum (ita literas ad eundem inſcribere ſolebat) pro terreſtri Corona, quam depoſuerat, cœleſtem accepiſſe, juſſit honori ac memoriæ anteceſſoris ſui die XVIII. Februarii Anno M DC LXXIII. exequias celebrare, quibus magnus ille erga defunctum amore Olſzovius, pium impendit ſermonem, atq; ita ut olim regnare, tunc vivere deſinentis, vox factus eſt. Quoniam autem huic officio Parentali frequentia comitialis adfuit, venit mihi in

hi in mentem memoranda dictio Metelli Macedonici, quâ denunciata morte Scipionis Æmiliani, Filios ſuos cohortatus eſt: Ite Filii, celebrate exequias, nunquam majoris concivis (ita ſe noſter in Oratione Abdicatoriâ vocabat) funus videbitis. Caducam quidem mortalitatem in Gallia explevit, reſurrectionem autem ad immortalitatem inter cineres majorum ſuorum in Poloniâ expectare maluit, uti ex laudatâ Oratione bis eluceſcit. Ergo tantummodò fatum morientis invidere Patriæ oſſa voluit, non autem effatum viventis; cujus glorioſo deſiderio laudatus Olſzowski, atq; Epiſcopus Cracovienſis Trzebicki, velificantes, ut gratam erga Dominum ſuum olim clementiſſimum monſtrarent Orbi memoriam devotionemqve, Autoritate S. R. Majeſtatis, nunc feliciter ſceptra tenentis, per Illuſtrem Dominum Opacki, Succamerarium Varſavienſem, altè memorati Regis urnam publicis exequiis monumentisq; ornandam adduci è Gallia curarunt. Præfatus etiam Epiſcopus Cracovienſis laudationem funebrem Sereniſſimo Joanni Caſimiro, nec non Regi Michaëli Anno 1676. die 31. Januarii dixit, typoq; vulgavit. Hîc breviter addo obſervationem, quòd duo

Caſi-

Casimiri, priùs Religiosam quàm Regiam vitam probaverint: Casimirus I. & Casimirus noster Abdicans; ille in Monasterio Gallico Cluniacensi jam Diaconus erat; hic per biennium Jesuita, & antequam perseverantiam in eo statu professus esset, ab Innocentio X. Papa in numerum Cardinalium cooptatus: ille ex Gallia rediit, cum in Poloniâ vellet, hic in Galliam abiit, cum nollet regnare, ubi Abbatias S. Germani & Fecanensem aliasque obtinuit.

Ut tandem materiam de Abdicatione, quam ob raritatem prolixiùs exhibui, concludam, adjungo Jus Publicum ex eâdem ortum. Nam cum Novitas in Republicâ non possit esse sine periculo & magnâ revolutione, insertus est Pactis conventis Sereniſſimi Regis Michaelis de non abdicando Articulus, qui tamen in noviſſima capitulatione omiſſus.

V. DEPOSITIO sive EXAUGURATIO est Ducalis vel Regiæ Dignitatis coacta Abdicatio. Lechus II. Craci Filius detecto parricidio (Fratrem enim natu majorem Cracum, quem sibi ad Principatum obtinendum obstaculo esse non ignorabat, specie venandi incautum obtruncavit) Imperio exutus pulsusq; in exilium est.

eſt. Miecislaus III. cognomento Senex bis eſt Principatu deturbatus, & tertiò eum adeptus. Sic etiam Vladislao Loctico, quia boni Principis munia neglexit, Regnum abrogatur, ſed tamen poſt mortem Venceslai redditur. Singulare adhuc reſtat exemplum Henrici Valeſii, cui, poſtquam ille in Poloniâ ad quintum usq; menſem regnaſſet, atq; de Regis Galliæ Caroli IX. Fratris ſui morte certior erat factus; pugna in mente eximia orta eſt adoptivi Regni & nativi, amor Patriæ nutantem impulit, & quærenda Gallia jam inventam Poloniam vicit: Sic à pumilione ſeu parvo homine (dicto Kraſocki) ad Regnum propoſitus, parvo tempore eidem præfuit. Rem geſtam ex *Antonio Gratiano à Burgo de vitâ Commendoni Cardinalis, & Pontificii tunc in Poloniâ Legati* ob raritatem & ſtyli elegantiam hîc adſcribo: *Henricus ad Regnum, quod ei ſummis omnium ordinum ſtudiis eſt delatum, penè, per jocum à paucis eſt accerſitus; affirmari certè poteſt nemini ante cognitum, viſumve eorum, à quibus expetitus, creatusq; Rex fuit; Venerat fortè in Poloniam è Gallia pumilio quidam polonus natione, ac natus etiam honeſtè, (Kraſoſcio nomen fuit) qui adoleſcentulus rarâ parvitate in Galliam abductus, dono datus Reginæ, diu*

inter

inter oblectamenta Regum fuerat: ſcitus ipſe, & ingenio ſolertior, callidiorq; quàm pro modo Corporis, ita rem ſuam naviter egit, ut pecunioſus, & locuples paucis annis evaſerit. Senex factus reviſere Patriam, ſuosq; agnoſcere, agnoſciq; cupiens, in Poloniam, vivo adhuc Auguſto, redierat, multaq; ut fit, de Regia Galliæ, de Regni opibus, de Rege, deq; Henrico tum fortè Regis fratris exercitus Galliæ, ſecundâ bellicæ laudis famâ ductante, magnificè omnibus Conviviis, quibus ſæpè à proceribus adhibebatur, prædicabat, & mortuo demum Auguſto, cum omnibus propè ſermonibus de futuro Rege quæreretur, palam ut Henricum ſibi Regem aſciſcerent, omnes ſollicitabat; donec Andreæ Sborovii inſtinctu ab aliquot Nobilitatis Principibus, qui conſilia cum Sborovio ſociaverant, in Galliam eſt miſſus, & datis ad Regem, Henricumq; literis, quibus operam pollicebantur, ire properè, eosq; ad mittendos Legatos, qui peterent Henrico Regnum, adhortari eſt juſſus. Nec homunculus defuit rei, nec Reges, aut Nuncium, aut Nuncii auctores ſprevere. Illo igitur eâdem celeritate, quâ venerat ad Polonos redire, & adfuturos in tempore Legatos renunciare juſſo, haud ſegniter Galli negotio inſtiterunt. Ut verò ſuam erga Electum & Coronatum probarent conſtantiam, repetebant obſervantiùs abſentem ſibi Regem Poloni, ideoq; die XII. Maji

Anno 1574. (pro quo die Comitia magna decreta erant) per literas fidei pleniſſimas ſtatuebant eundem expectaturi, ſin minus obedientiam & fidem datam renunciaturi. Sed cùm mora ex mora (cujus damna periclitans Sarmatia ferre non poterat) necteretur, tandem præfixâ Comitiorum die VII. Novembr: Poloni ſalutem Patriæ pro ſuprema habentes Lege, novæ ſe Electioni, quod corpus immenſum ſine Rectore ſtare ac librari non poſſet, accinxerunt. Quæ ante & circa Electionem Henrici in Regimine & poſt diſceſſum ejus acta ſint, *Maximilianus Fredro* Caſtellanus Leopolienſis, tandem Palatinus Podoliæ, & ſtylo & rebus gravis Autor, deſcripſit.

VI. Supereſt adhuc una Inter Regni occaſio, quando ſcilicet VIVENTI REGI SUCCESSOR deſtinatur, id quod in Regno Electitio magis exemplo quam jure contingit, ideoq; conſenſus Ordinum requiritur. Ita Ludovicum Hungariæ Regem, Caſimirus Magnus ſibi Succeſſorem conſtituit. Vladislaus etiam Jagello, licet non ſine magnis difficultatibus perfecit, ut filius ejusdem, Vladislaus Jagellonides Succeſſor deſignatus fuerit. Ita Sigismundum Auguſtum,

ſtum, Patre vivente Regẽ nominatũ, & decimo duntaxat ætatis anno Cracoviæ Sacro Diademate ſolenniter coronatum eſſe legimus, iis tamen conditionibus, ut à curis Regni abſtineret, & quando ſive vivo Patre, ſive poſt mortem ejusdem, ad ætatem legitimam, hoc eſt ad annos quindecim completos pervenerit, jura omnia confirmaret, & ne per hoc exemplum liberæ deinceps Electioni aliquid derogaretur. Quo de Sereniſſimus Parens per diplomata Cracoviæ Anno M D XXX. & Petricoviæ M D XXXVIII. data cavit decrevitque. Poſt diſceſſum dicti Regis Sigiſmundi Auguſti Ordines Regni in Comitiis Varſavienſibus, antiquioribus ſub trutinam miſſis legibus, expreſsè prohibuerunt, ne Reges vitæ ſuæ tempore nominarent Succeſſorem, aut Electionem indicerent, vel quempiam alium modum deſignandi Regis tentarent, ut nimirum liberæ Genti illæſa ſemper foret eligendi Regis facultas, quam ferventiſſimo zelo, ut pupillam oculi ſemper tueri ſolita. Stephanus Anno M D LXXVI. it. M D XCIII. & Joann: Caſimirus M DC LXVII. Quapropter Titulis etiam hæredum Reges ſeſe abdicarunt, neque iis utuntur; Conſtitutione 1564. it. 1576. Sigiſm.

III. Anno 1593. Idem in Capitulatione Michaëlis, & Joannis III. continetur, ubi Reges jurârunt, ſe intactum & illibatum jus illud Cardinale Genti Polonæ ac Lithvanæ ſervaturos.

VII. Poſtquam ergò emergentis InterRegni occaſiones induxi, ſupereſt de ipſo InterRegni Statu agere. Ubi ſciendum, quod illud Archi-Epiſcopus Gneſnenſis moderetur, qui etiam tunc, quando Reges extra fines profecti fuerint, ut cùm Henricus altè memoratus in Galliam, Sigismundus III. in Sveciam diſceſſiſſent, officii ſui partes exercet. Quomodo ſe, ſi Rex à vero juris tramite abit, gerere debeat, exhibet *Fredro in Hiſtoria Henr. & Piaſec:* Anno 1590. allegat exemplum. Prudentiſſimè autem (ut rectè cenſet Carncovius) à majoribus noſtris Regni Primatus inſtitutus eſt, nempe quod non plures, ſed unus ſit non ſolùm actionum publicarum Dux & Autor, verùm etiam ſententiarum determinator ac definitor omnium. Is autem ideò Sacerdotalis eſt Ordinis, quod in Sacerdotem Regni affectati ſuſpicio cadere non poteſt: dictus *Carncovius Epiſtol. Viror: Illuſtr:* Hic itaque Ordines Reipublicæ per diploma ex Cancellaria ſua de morte Principis certiores reddit, Conventus

ventus particulares & Consilium Generale seu Convocationem indicit. Hîc notandum, quòd Nuntii Terrestres factâ, & Senatui Deputatos ex tribus Gentibus denunciatâ ElectioneMareschalli, ad requisitionem Inter Regis conclaviô conjungant, & in Senatorio ejusdem propositionem audiant, ubi deindè Confœderationis vinculum, sub fide, honore & conscientiis redintegratur, atque interna & externa securitas prospicitur, & si necessitas svaserit, de rebus etiam aliis verbi gratia de stipendiis militum, tractatur. Præcipua etiam cura circa Cracoviam geritur, non tantùm ideò, quia pretiosa Regni ibi asservantur, sed etiam propter majorem securitatem, si circa electionem oborta fuerit scissio, ne ista urbs capta, totius captura & præda sit.

VIII. Si fuerit Regina Vidua, tunc Archi-Episcopus cum Senatoribus & Mareschallus Equestris cum Nuntiis Terrestribus mœrorem suum de morte Regis exponunt. Quæ veneratio etiam Sereniſſimæ Reginæ Eleonoræ solenniter exhibebatur.

IX. Post mortem Ludovici Regis Anno 1382. exemplum Confœderationis primum, quæ Polono-

lonorum idiomate Kaptur dicitur, translato nomine à tegumento quodam capitis vulgo Kaptur appellatur, quod videlicet ejusmodi Confœderatione veluti tegumento quodam, periculoſo InterRegni tempore, perinde ac galeâ quâdam Reipublicæ Caput protegatur. Extat in Statuto *Priluſ: lib. I. cap. I. artic.* 2. *fol.* 6 vid. *Dreſnerus lib. I. Inſtitutionum Jur. Reg. Pol. tit.* 9. *p.* 22.

X. Hinc Judicia, quæ ſub tempus InterRegni ab Innoteſcentiâ publicatâ celebrantur, Capturalia vocantur, ſilentibus Ordinariis omnibus poſt denunciatorias Archi-Epiſcopi, excepto, quod propter majorem Ordinem & Securitatem circa corpus mortui Regis Dominis Mareſchallis ſolitam Jurisdictionem uſq; ad Electionem reaſſumere & exequi committatur, *per Confœderationem Anni* 1674. p. 21. Judices autem ad Judicia Capturalia in Conventibus particularibus eliguntur, atq; ad præſtandum Juramentum ſuper juſtè judicando, rotâ Juramenti Tribunalitii obligantur, *dict. Confœderatio.* p. 6. 7. Huc autem non pertinent actiones, quæ ante InterRegnum, vel ad Tribunal, vel poſt Curiam Regiam, vel ad quodcunq; aliud Judicium intentatæ fuerunt, ſed tantum modò, quæ à die

mortis

mortis Regiæ usq; ad Coronationem futuri Regnantis interveniunt, & quidem actiones criminis, facti violenti, & personalis injuriæ, videatur *Confœderatio Loc. cit:* Tribus verò septimanis ante, & post Comitia Electionis, à Judiciis præfatis supersedere tenentur. Stantibus autem Comitiis Warsaviæ per Deputatos utriusq; Gentis Generale componitur Judicium, de quo infra.

XI. Dicto Archi-Episcopo tanquam Primati in tali termino Reipublicæ ad subitos casus ex utroq; Ordine Gentis utriusq; certæ personæ adjunguntur, ut maturo Consilio & auxilio, vel ore tenus, vel per literas assistentiam præbeant, ne quid Respublica detrimenti capiat. Graviora verò & Statum Reipublicæ, animamque Interegni concernentia, ad Electionem pro decisione Ordinum reservanda sunt. *Confœderat. Anno* 1668. *& novissim: Anno* 1674. *p.* 14. *&* 15.

XII. Nec minùs ad Exercituum Duces ex Senatorio & Equestri Ordine nonnulli deputantur, ut Consilia bellica maturè & dextrè possint peragi. *Confœderat.* 1674. *p.* 16.

XIII. Notandum etiam, quod tempore InterRegni ad octo illos Senatores, sub quorum Sigillis & Clavibus Thesaurus asservatur, multi

alii

alii ad revidendum Theſaurum, tàm ubi inſignia, quàm ubi Archiva Regni depoſita ſunt, deputantur, ut juxta Inventarium conſcribant Regeſtrum in Comitiis Coronationis producendum. *Confœderat*: 1674. *p.* 12.

XIV. Nominantur etiam ad Reviſionem Oeconomiarum & Bonorum Menſæ Regiæ Commiſſarii, qui de Statu redituũ tenentur ſub tempus Electionis informare Rempublicam. *Confœderat.* 1674. *p.* 16.

XV. Cùm mortuo Rege penes Ordinem Senatorium & Equeſtrem jus Majeſtaticum remaneat, ab Externis Principibus titulum Sereniſſimæ Reipublicæ requirunt. Ne autem eorundem Miniſtri Varſaviæ tunc reſideant, cavet *Confœderat*: *Anno* 1668. *&* *Anno* 1674. *p.* 15.

XVI. His ita proviſis dies futuræ Electioni præfigitur, atq; Ordinibus, & illis, quæ jure Electorali gaudent, Civitatibus indicitur, ac terminus, quamdiu debeant durare Comitia, aſſignatur, & ſi opus ſit, prolongatur.

XVII. Quando ergò lux optata advenit, à Summo Principe in Templo Sancto Joanni dicata, ſumunt principium, ac poſtea Ordo Equeſtris in campo patenti, propè Warſaviam & Villam

lam Wola, ac locum circumvallatum, tribusq; portis, Orientali, pro majori, Meridionali, pro minori Polonia, Occidentali, pro Lithvania pervium congregatur, ubi eligunt Mareſchallum, per pluralitatem votorum, ad quæ tunc omnis Nobilis concurrere poteſt, ideoq; ad facilitanda eadem, Anno 1669. adhibebatur methodus, ut ſinguli ex quolibet Palatinatu ad aliquot paſſus rotam intrarent. Quanta enim illo tempore ſuffragantium multitudo fuerit, inde patet, quòd, licet Illuſtris Dominus Joannes Comes de Odrowąz Pieniądzek, Capitaneus Oſvecimenſis, ſexcentos & decem pro ſe habuerit calculos, Illuſtr: Dominus Felix Potocius Subdapifer Regni, nunc Palatinus Siradienſis, eundem majori numero vicerit, quippe vota octingenta octuaginta & unum pro ipſo militabant. Poſtquam itaq; Ordo Equeſtris Directorem ſibi elegit, & per juramentum, (uti in duabus proximè peractis Electionibus obſervatum eſt) obligavit, ad Illuſtriſſimum Senatum (qui ſub tentorio lignis extructo, Polonicè Szopa commoratur) admittitur. Ubi præmiſsâ, ore Mareſchalli, Salutatione, ab Archi-Epiſcopo Gneſnenſi

InterRege fit propoſitio, ac Dominorum Senatorum conſulta excipiuntur.

XVIII. Deinde ad Securitatem Actus illius Judicium Generale Capturale conſtituitur, quod cum Mareſchallis utriusq; Gentis tres Deputati ex Senatu, ſcilicet ex qualibet Gente unus, & duodecim ex Ordine Equeſtri, præſtito priùs in facie Reipublicæ flexis genibus juramento, exercent, ceſſantibus interim ubiq; particularibus judiciis capturalibus. Circa Deputatos ex Ordine Equeſtri denominandos in InterRegno Ao. 1669. interpellabatur Mareſchallus à nonnullis, qui volebant, ut Deputati æquè, ac Mareſchallus, per calculos eligerentur, provocando ad legem ſcriptam, quæ jubet, ut Deputati, nemine contradicente, eligantur. Quæ tamen verba Director ita interpretabatur, quòd poſt denominationem cuilibet liberum eſſet, contra hunc, vel illum Deputatum, legitimam inferre exceptionem. Quâ ratione pervicit, ut ſolus, more antiquo, præfatos Judices conſtituerit, hâc tamen cautelâ, ne ex uno Palatinatu plures, neve abſentes eligeret. Decreta autem præfati Judicii Generalis, Notarius Terreſtris Varſavienſis, præmiſſo ſuper Secreta non revelanda jure-

juran-

jurando, ſine facultate tamen ferendæ Sententiæ, connotat. *Videantur Acta Elect.*

XIX. Ante Electionem etiam jubet Lex, ut priùs exorbitantiæ diſcutiantur, & vulnera Reipublicæ ſanentur. *Confœderat: Anni 1674. p. 9.* Transfertur autem hoc negotium ex Campo ad Capitolium, & tractatur per Deputatos ex utroq; Ordine ſingularum gentium, qui matutinis horis in Arce Varſavienſi congregantur, ut etiam à meridie Conventui Generali extra Civitatem intereſſe poſſint. Sed cùm hoc ſit opus arduum & odioſum, operas inanes facit. Nam Anno 1632. certa exorbitantiarum puncta jam erant trutinata, non tamen typo, ſed tantùm Caſtro Varſavienſi tradebantur. Sub Inter Regno etiam poſt Abdicationem Joannis Caſimiri jam erant literis excuſſæ, quæ tamen mox ſupprimebantur. Intereà variorum Principum, præcipuè Candidatorum Regni, Legati apud Sereniſſimam Rempublicam audiuntur, de quibus notandum, quòd non debeant in perſonâ Varſaviam appropinquare, ſed adventum Reverendiſſimo Domino Primati denunciare, ut cuilibet ſubſiſtentiam aſſignet, & Reſidentes ex Ordine Nobilitatis, ne factionibus indulgeant,

adjungat. *Conſœderat. Anno* 1668. *&* 1674. *p.* 15. Quando ad Audientiam admittendi ſunt, mittitur ipſis obviam rheda Archi-Epiſcopalis, quam aliorum etiam Procerum currus ſtipant, ubi propè locum Electionis advenerint, á Mareſchalcis & Deputatis ex Ordine utroq; per gentes, in rotam Equeſtrem, quorſum Senatus ſeſe tunc confert, introducuntur. Pontificis Romani Legatum non modò ſeculares, ſed etiam aliquot Epiſcopi introducunt, rotam ingreſſo Archi-Epiſcopus è curuli ſurgens ad duos paſſus it obviam, locumq; inter ſe & proximum ſibi Epiſcopum tribuit, aliis verò Legatis inter Mareſchallos locus aſſignatur. Ablegatis Celſiſſimi Ducis Curlandiæ per Mareſchallum Equeſtrem introductis, à dextero latere, inter Palatinatus Pruſſiæ locus conceditur. Literas fidei ſeu Credentiales ad Senatum Secretarius Regni Major vel Referendarius, ad Equites verò Mareſchallus eorundem prælegit. Legatis reſpondet Archi-Epiſcopus nomine Senatus, Mareſchallus nomine Nobilitatis.

XX. Quicunq; autem Sponſam hanc procantur, & de aureo Regni Pomo decertant, à loco & conſeſſu Electionis abeſſe tenentur, *juxta*

ta Conſtitut: 1633. p. 13. Hanc tamen proviſionem mirabilis Deus tàm in Electione Sereniſſimi Regis Michaëlis glorioſæ memoriæ, quàm in noviſſima Sereniſſimi Joannis III. feliciter Regnantis diſpenſavit, eligendos in occulto tenens medios inter Electores. Quippe famâ, ſpe, veneratione potiùs alii deſtinabantur Imperio. Occaſionem verò iſti Legi condendæ dedit Vladislaus IV. qui poſt fata Sigiſmundi III. paulò poſt Conventum inchoatum Varſaviam, ægrè id ferentibus Ordinibus (licet Primarii quippe appropinquanti obviam proceſſerint) advenit. *Piaſecius ſub Anno 1632.* Antiquius tamen illud obtinuiſſe apparet inde, quòd, cùm tempore Inter Regni ante electum Henricum Regem aliquot nominarentur Piaſti, Zamoyſcius tunc Capitaneus Belzenſis efflagitaverit, ut ſe omnes iſti Piaſti ſuſcepturinè eſſent Regnum, ſi ita Deo viſum fuerit, publicè declararent, ſi id facerent, Caſtris ab urbe excederent, cum illis, qui Regnum ambiunt, Electioni ſibi intereſſe per Leges non licere ſcirent. *Carncovius in Epiſtolis Viror. Illuſtr: lib. 3. ad Hoſium Cardinalem.* Paulò aliter rem narrat floridiſſimus ille de Henrico Valeſio Scriptor *Andreas Fredro*: petiiſſe dictum Zamoyſcium,

ſcium, quoniam externorum Principum & Petitorum Oratoribus abſentibus ad dicendas de Rege ſententias decurreretur, ſic æquum eſſe, ut abeſſent Cives, qui Regnum peterent: Si itaq; non de ipſis Petitoribus purpuræ, ſed de eorundem Oratoribus locutus eſt Zamoyſcius, ſalvari poteſt Sententia Piaſecii, quòd, ſcilicet demùm Vladislaus per præſentiam ſuam ſub tempus Electionis occaſionem Legi conſtituendæ præbuerit. Notandum hîc, quòd divus Joannes Caſimirus ſtatim circa propoſitionem die 12. Junii Anno 1668. factam ſpontè declaraverit, & poſteà in Reverſalibus circa Abdicationem datis inter cœtera etiam promiſerit, ſe remotiùs ab Actu & loco Electionis, durante eâdem, manſurum.

XXI. Tandem Electores ad opus illud, quo nullum in Polonia majus extat, ſe accingunt, præſtito priùs, uti in Convocatione & Electione ante Sereniſſimum Regem Michaëlem factum eſt, jure jurando. Quæ tamen Solennitas in proximo InterRegno omiſſa eſt. Antequam verò ad ſuffragia acceditur, DOMINUM ILLUM, per quem Reges regnant, in Conſilium & Auxilium, genua flexi, vocant, intonando Hymnum:

Hymnum: VENI SANCTE SPIRITUS, &c. Tunc Palatinatus quisq; ſeceſſu facto, vota ſua expedit, ac cum aliis communicat. Quando jam in aliquem Candidatum calculi omnium & ſingulorum conſpirant, Archi-Epiſcopus Gneſnenſis tribus vicibus ſonorâ voce quærit, an omnium conſenſus, an omnibus exorbitantiis ſatisfactum ſit. *Confœderat: Anni 1674. p. 2.* Poſt datum applauſum Regem electum nominat, ac deindè Mareſchalli Gentis utriusque eundem promulgant, ac ſic deniq; TE DEUM LAUDAMUS cantatur.

XXII. Electus verò, ut omnia Jura, Privilegia & Immunitates, quæ per Pacta Conventa exhibentur, ante nominationem & denunciationem jure jurando approbet, habet *Confœderat: Anni 1668. & dict: 1674. p. 2.* Rex tamen Michaël, uti & modernus Sereniſſimus Joannes III. aliquot poſt Nominationem diebus elapſis, in Templo Sancti Joannis ad Altare majus Juramentum præſtiterunt, & ab Ampliſſimis Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ Ordinibus Decretum & Diploma Electionis traditum & conſignatum receperunt. Si verò Rex electus abſens ſit, tunc alibi coram Legatis Reipublicæ Juramen-

ramento ſe obſtringit. Ita Sigiſmundus III. in templo Monaſterii Olivenſis propè Gedanum ex Formula ab Ordinibus præſcripta, jus jurandum præſtitit, atq; Diploma Electionis accepit. *Piaſec: in Chron: ſub Anno* 1587.

XXIII. Hîc notandum, quòd novo Regi Mareſchalli caduceos non ſublevatos ſed ſubmiſſos præferant, *videatur Piaſec. ad Annum* 1632. Literæ etiam ab eodem ſub titulo ELECTI REGIS extradi ſolent, & Sigillo Cameræ muniuntur, olim Sigillo annulari; Niſi quod moderno Regi Sereniſs: Joanni III. conceſſum ſit Sigillum Magni Ducatus Lithvaniæ, idque ad ipſam tantùm expeditionem Moſcoviticam, conceſſum quoq; eidem, pro hâc vice Generalem expeditionem indicere, & Archi-Epiſcopum denominare. *Vid. Act: Elect:* Mandata autem ſive Citationes ante Coronationem ſub Sigillo aliquo terreſtri extraduntur. *Vid. Conſtitut: Anni* 1632. Jura enim Majeſtatis demùm poſt Coronationem exercentur, nam eo uſq; durat InterRegnum.

XXIV. Deſtinata Majeſtati Capita ornare Coronis, mos eſt antiqvus, & Polonis etiam uſitatus, delectâ ad iſtum Actum Cracoviâ, cujus Templum Cathedrale à Vladislao Loctico

Anno

Anno 1320. Jure coronandorum Poloniæ Regum, primùm dotatum & privilegiatum eſt; antea enim in loco minimè tuto Gneſnæ coronabantur, ubi etiam Inſignia Regni aſſervabantur. Vladislaus tamen Jagellonides etiam poſt dictū Privilegium ſcilicet Anno 1434. Poſnaniæ coronatus legitur.

XXV. Ante Coronationis Solennia defuncti Regis funus peragitur. Sic ante Coronationem Sereniſſimi Joannis III. duorum Anteceſſorum ſcilicet, Joannis Caſimiri & Michaëlis exequiæ Cracoviæ ſimul celebrabantur. Quos ad unum eundemq; Thronum Sors Regia evexit, illos mors humana uno eodemq; curru ad ſepulturæ locum advexit. Notatu hîc non indignum, quòd ultimi Deſcendentes Domus Piaſteæ & Jagellonicæ uno tempore fuerint terræ mandati. Dux enim Lignicenſis Brigenſis, ex lineâ Piaſteâ Anno 1675. die 30. Januarii, & Joannes Caſimirus die 31. ejusd: ſepultus eſt, imò ſi introitus Sereniſſimi Regis Joannis III. præfixo die, ſcilicet 29. ejusdem Cracoviæ effectum ſuum fuiſſet ſortitus, utriusq; ſepulturam præfatus dies 30. Januarii junxiſſet. Humatur autem prius Rex mortuus, ut Imperaturus, qui Imperantis cernit

Sepulturam, Privilegia mortalitatis & vitæ brevitatem noſcat. Certè, inter omnes, qui Regimen ſuper populum Dei tenuerunt, nullus eſt, quàm Rex David, qui ſeptuageſimum exceſſerit annum. Ex Regibus tamen noſtris Sigismundus I. ultra octuageſimum vixiſſe dicitur. Ad exequias redeundo, hîc annoto, quòd Caſimirus Magnus 1371. demùm poſt Coronationem novi Regis ſcilicet Ludovici ſumptuoſis admodùm expenſis terræ mandatus fuerit. Extant quoq; exempla, ubi Sepultura præceſſit Electionem, ſic Joannes Albertus electus eſt in Regem ſepulto jam Caſimiro III. Jagellonide, & illius exequiæ itidem ante Electionem Alexandri Regis celebratæ ſunt. Huic funebri Pompæ Regni, Magniq; Ducatus Lithvaniæ & Palatinatuum ac Terrarum Vexilliferi Vexilla præferunt. Adſunt infulati Epiſcopi, portatur Corona, Sceptrum, Pomum Aureum, & Gladius. Ad Sepulchrum Officiales ſua frangunt Inſignia, Mareſchalli baculos, Cancellarii Sigilla, & Armigeri haſtas.

XXVI. Coronandus, more Regibus Polonorum conſveto, pedes, rupeculam Caſimirianam, vulgari nomine Skalka dictam, Solenni Proces-

Processione visitat, & S. Stanislaum Sczepanovium à Rege Boleslao Audace, dum Sacra perageret, Anno 1079. occisum, deprecatur. Posteà ad Arcem revertitur, & in Sacella dicti Stanislai, quæ in Cathedrali Templo est, reliquias ejusdem, argentea tumbâ reconditas, veneratur, eum in finem, ut Deus Sangvinis innocenter effusi pœnam, à Rege Regnoq; avertere dignetur, exemplo Davidis ob cædem Abneri, 2. *Samuelis* 3. *versu* 28. Deindè, ut Reges in principio statim ab effusione sangvinis abominationem capiant, nec potestate suâ ad oppressionem unius vel alterius innocentis abutantur.

XXVII. Post hæc ad Solennia Coronationis (quæ pro die Dominico vel Festo determinari solet) proceditur. Quod Jus Archi-Episcopo Gnesnensi juxta Privilegium à Casimiro III. Anno 1451. concessum, & à Sigism: I. Anno 1507. tùm Sigism: Augusto Anno 1550. confirmatum competit. Rempublicam nostram (scribit ad Masovios *Carncovius Episcopus Cujavienſis*), sic à Majoribus institutam accepimus, quod ea inter nos fratres insignia partita sit. D.D. enim Polonis minoribus, Fratribus nostris datus est Thesaurus, Corona Regia, Magistratus quoq;

nunc ad illos importati ſunt, eò ad Coronandũ Reges convenimus, ibi Principes noſtros ſepelimus, magnus hic illorum honor, magnum Dignitatis decus. Nobis quoq; majoribus Polonis, id monumentum pulcherrimum, appello Excellentiam Dignitatis, relictum eſt, quòd penes Nos ſit Primatus Regni, non perſonæ Archi-Epiſcopi, quatenus eſt Archi-Epiſcopus, ſed majoris Poloniæ terris attributus, ut nullus Princeps, præter hanc prærogativam coronari queat. *Dict: Carncov: libr. 3. Epiſt: Illuſtr: Viror:* Habet minor Polonia Coronam, major Coronatorem.

XXVIII. Hinc ſi Archi-Epiſcopus functionem iſtam peragere nolit, vel legaliter impeditus ſit, Epiſcopo Cujavienſi prærogativa hæc Decreto Ordinum die 25. April: Anno 1576. quod habet *allegatus Carncovius libr:* 3. permiſſa eſt; quia Cujavienſis in majori Polonia, juxta Archi-Epiſcopum, proximum locum obtinet.

DECRE-

DECRETUM SENATUS & Ordinum de coronando Sereniſſimo Rege Stephano à Reverendiſs: Dno. Epiſcopo Cujavienſi: Et Declaratio Privilegii Reverendiſs: Dn. Archi-Epiſcopi Gneſnenſis.

Nos Conſiliarii Regni Spirituales, & Seculares, ac Nuncii omnium Regni terrarum, ab Equeſtri Ordine ad Coronationis Conventum cum plena facultate miſſi; Univerſis quorum intereſt ſignificamus. Quòd cùm Cracoviam, ad diem Coronationi in Conventu Andrejovienſi conſtitutam, & ſemel atq; iterum prorogatam conveniſſemus: communi omnium noſtrum conſilio & conſenſu id egimus, & procuravimus, quò Reverendiſs: in Chriſto Patrem & Dn. Jacobum Uchanski, Archi-Epiſcopum Gneſnenſem, eò adduceremus: ut pro officio ſuo, ex Privilegio à Caſimiro Rege ſibi conceſſo ad perficiendam Coronationem Cracoviam veniret, ſolenniq; muneri ſuo ſatisfaceret. Et quamvis jam anteà ex Conventu Andrejovienſi de eo admo-

nitus fuiſſet, tamen Concordiæ & amoris fraterni deſiderio iterum etiam ex præſenti conventu Legatos noſtros, & per literas ſuas ſe brevi affuturum promiſiſſet, cùm ſuâ causâ, tùm etiam Sereniſs: Regis expectatione, qui etiam tùm in itinere erat, tempus Coronationi præſcriptum prorogavimus. Poſteaquam verò ſatis diu eundem expectaviſſemus, Regiaque Majeſtas jam jam Cracoviam adventaret: tertiò etiam Varſaviam ad eundem miſimus: orantes & hortantes, ut ad Nos quamprimùm acceleraret; ſimulq; denunciantes, propter impendentia Reipubl: pericula, nos ipſius adventum diutiùs expectare non poſſe. Cùm verò & ex Legatis Noſtris, & ex ipſius literis, nobis ſatis jam conſtet, eum, contra quàm promiſerat, ad Nos venire, muneriq; ſuo ſatisfacere nolle, aut non poſſe: cùmq; ſatis perſpiciamus, quot & quanta pericula, ſi diutiùs etiam Coronatio prorogaretur, Reipubl: immineant: unâ mente in eo omnes conſenſimus: ut ſine ulla procraſtinatione Sereniſs: Stephanus Rex electus, unà cum Sereniſs: Anna Regina, ex præſcripto literarum ad univerſos Regni incolas jam anteà transmiſſarum à Reverendiſs. in Chriſto Patre & Domino

no Stanislao Carncovio, Dei Gratiâ Epiſcopo Cujavienſi, qui in Majore Polonia ſecundum Dominum Archi-Epiſcopum proximum locum obtinet, coronentur. Ne verò quispiam reperiatur, qui verbis Privilegii Regis Caſimiri inhærendo, quacunq; ratione hoc ipſum negotium atq; actionem in dubium revocare velit. Idcircò Nos habito reſpectu Legum & Statutorum de Coronatione factorum, diligenterq; conſideratis ipſius Privilegii verbis, animadvertentes, quæ abſurda indè ſequerentur, ſi quis illud ita intelligendum eſſe exiſtimaverit, ut ad ſolum Dominum Archi Epiſcopum omnem coronandi facultatem ita aſtrictam eſſe vellet, ut nullo caſu alium quenquam id facere poſſe affirmaret: hoc ipſum Privilegium Autoritate Conſtitutionis Conventus præſentis ita interpretamur, declaramus, ac decernimus, eamq; ipſius eſſe mentem omninò judicamus: quòd ſcilicet Reverendiſſ: Domino Archi-Epiſcopo volente & valente, nemo alius præter eum Regem coronare aut debet aut poteſt. Quod ſi verò ad id vocatus, hoc ipſum facere aut noluerit, aut non potuerit, vel etiam è vivis ſublatus fuerit: is cui hoc ipſum proximè competit ex Majori Polonia,

eadem

eâdem poteſtate atq; Autoritate id perficere poteſt & debet. Quod ſi quis præter hanc interpretationem & Declarationem noſtram, iſtud Privilegium aliter intelligere aut interpretari voluerit, præſentiq; Conſtitutioni atq; Decreto noſtro adverſari auſus fuerit; is pro hoſte & turbatore Reipublicæ habeatur, juxta Conſtitutionem Conventus Andrejovienſis. Datum Cracoviæ, die 25. Aprilis. Anno Domini 1576.

Sic ergò Stephano Regi Sacrum Diadema impoſuit, memoratus Stanislaus Karnkovvski, Epiſcopus Cujavienſis, eò, quòd Jacobus Uchanski Archi-Epiſcopus, Maximiliani partes ſequeretur. *Piaſec: in Chron: p.* 2. Conſtantiæ quoqve Reginæ Coronandæ ritum Sacrum Petrus Tylicki Epiſcopus Cujavienſis expedivit: Cardinalis enim Maciejovius nondum adierat poſſeſſionem Archi-Epiſcopatus, ſed adhuc pallium Româ expectabat. Obſervandum tamen hîc, quòd licet durante proximo InterRegno Caſimirus Florianus Dux in Klevvan Czartoriiski Archi-Epiſcopus tantùm Nominatus, & nondum à Pontifice Romano Confirmatus fuerit, InterRegis tamen munia exercuerit & denique, cum fatis cederet, meritiſſimus ille in Patriam Senator

Senator Andreas Trzebicki Episcopus Cracovienſis, (præmiſsâ per Reverendiſsimum Dominum Gembicki Episcopum Cujavienſem præcuſtoditione) Serenisſimum Regem Joannem III. nominaverit, uti in Actis Electionis reperitur. Sed ante mortem etiam ſupradicti Archi-Episcopi per totum Actum, ore iſtius Viri Gravisſimi Reſpublica locuta eſt. Poſt Cujavienſem competit jus illud Episcopo Poſnanienſi, tanquam ſecundo Majoris Poloniæ, qui in noviſſimo InterRegno, cùm Ordo ipſum tangeret, recuſavit hanc functionem, quoniam Cracovienſis & Cujavienſis Episcopi abſentes tantùm à loco ipſius Electionis, præſentes tamen Varſaviæ erant, & dehinc etiam, uti ex antecedentibus patet, comparuerunt. Sed olim Vladislai Jagellonis Conſortem Eliſabetham Pileciam ab Archi-Episcopo Leopolienſi Joanne Reſſovio coronatam eſſe legimus, Archi-Episcopus enim Gnesnenſis Nicolaus Trąba in Conſilio Conſtantienſi tunc erat, apud quod, ne ſibi poſterisqve ſuis ea prærogativa Reges & Reginas coronandi ſurriperetur, obtinuit, ut Archi-Episcopus Gneſnenſis deinceps Primas Pol. haberetur. *Herburt: in Hiſtoria pag.* 228.

XXIX. Antequam verò Ceremonias Coronandi Regis exponam, de Inſignibus Regni aliquid dicere expedit, quod nimirùm eadem ſub Sigillis & Clavibus non tantùm Theſaurarii, ſed aliorum etiam ſeptem Senatorum, Caſtellani & Palatini Cracovienſis, Poſnan: Vilnen: Sendomirien: Caliſien: Trocen: Palatinorum aſſervantur, & non niſi de conſenſu omnium Ordinum extraduntur. *Conſtit: Ann. 1576. Confœderat: 1668. Pacta Conventa Regis Michael. & Joann. III.* Abſens ex juſta cauſa, clavem mittere tenetur; Defuncti verò Sigillum & Clauſtrum per reliquos aperitur.

XXX. Ritus Coronationis defuncti Sereniſſimi Regis Michaelis I. hic erat. Poſtquam Anno 1669. inter Caſtrenſem & Civicam lætitiam, tormentorum & bombardarum exploſiones, Urbem Cracoviam (in cujus foro duo Arcus Triumphales variis Statuis & Inſcriptionibus ac mixta ſuaviſſima Muſicalium Inſtrumentorum harmoniâ venientem excipiebant) ſolenniſſimè acceptis à Magiſtratu in prima porta Clavibus ingreſſus, & ad Arcem, ubi à Capitaneo loci claves ipſi tradebantur, deductus erat, atq; altero die rupeculam Caſimirianam viſitaverat, Feſto Michaëli Archangelo dicato, ſplendidè

ſplendidè indutus, à Legatis Pontificis Romani & Imperatoris Senatuq́; & Equeſtri Ordine ad Baſilicam Cracovienſem, ſolenni Proceſſione deducebatur. Inſignia, hoc eſt, Corona, Sceptrum, Pomum aureum, & gladius evaginatus (quæ aliàs Senatores atq́; Enſiferum Regni, quibus hoc officii eſt, prætuliſſe legimus) per Præfectum Stabuli Regni Smœling ac Capitaneum Felinenſem Wolff ante ingreſſum Regis ad Altare apportata Reverendiſſimo Archi-Epiſcopo Prażmowski tradebantur, qui eadem in Altare deponebat. Coronandus ab Epiſcopo Cracovienſi & Cujavienſi, in templo exceptus, & ad Archi-Epiſcopum, cui Reverentiam faciebat, deductus, locum inter dictos Epiſcopos medium capiebat. Poſtquam ſummus Præſul cum Collegis ſuis ex Pontificali Romano Regem ad pietatem & ad benè tractanda Reipublicæ gubernacula monuiſſet, idem genua flexus manum Archi-Epiſcopi oſculabatur, votumq́; ex formula prælecta faciebat. Porrò de ſervandis & manutenendis Pactis Conventis (quæ priùs legebantur) juramentum, tacto digitis Evangelio, præſtabat, & á principio uſq́; ad finem Litaniæ (impertiente interim Archi-Epiſcopo cum

Collegis benedictionem) proſtratus humi, ad rubrum holoſericum jacebat. Tandem Sereniſſimus Rex pallio & veſte exutus, ab Archi-Epiſcopo Oleo Sacro in manu dexterâ ad cubitum & in Scapulis inunctus iterumq; indutus, & poſthac in Sacello, ubi Zadzik Epiſcopus Cracovienſis & Cancellarius Regni olim reſurrectionem expectat, per Mareſchallos Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ Sandaliis, tunicâ, Chirotecis, quæ auro, argento, gemmis, lapidibusq; pretioſiſſimis fulgebant, veſtitus à Senatoribus & Officialibus (inter quos Illuſtris Dominus Sieniawski Vexillifer Regni, uti antehac circa ingreſſum, vexillum Regni Aquilâ ex auro argentoq; texta atque inſignibus Regiis ſplendidiſſimum præferebat) ad Thronum medio templo ordinatum ducebatur, ubi ſupplex faciem advertens Altari Miſſam audiebat. Poſteà iterum ad Altare adducto Archi-Epiſcopus Gladium ad dextram inſerebat, eumq; ab Illuſtri Domino Bielenski Enſifero Regni ad vaginam reconditum, lateri Regio accingebat, cinctus aſſurgendo denudatum gladium bis in Crucem vibrabat, atq; illum cùm ad ſiniſtrum deterſiſſet brachium, vaginæ intrudebat. Deindè Archi-

Epiſcopus

Epiſcopus genua flexo Diadema imponebat, quod reliqui Epiſcopi unâ prenſum manu eouſq; tenebant, donec Coronator preces abſolveret, qui porrò dexteram Regis Sceptro, ſiniſtram aureo pomo implebat, aſſurgenti gladius ſolvebatur, atq; Domino Enſifero Regni ad præferendum tradebatur. Tandem Serenisſimus in medio Archi-Epiſcopi & Præſulis Cracovienſis ad Theatrum illud ſupra dictum ducebatur, atq; ita (ſit venia verbo) inthroniſabatur. His peractis, Archi-Epiſcopus ſe iterum ad Altare recipiebat, atq; TE DEUM LAUDAMUS exordiebatur. A quo poſt hymnum finitum, recedens, ad Altare conſidebat; Quò etiam Serenisſimus Rex veniebat, ibidemq; ſæpiùs memorato Archi-Epiſcopo ſupplex factus, aurum offerendo, manum deoſculabatur. Confeſione dein Archi-Epiſcopo factâ Sacro-Sanctum Chriſti Corpus accepit. Solennitatibus iſtis abſolutis, Archi-Epiſcopus omnibus benedictionem impertiebat, & Branicki Mareſchallus Curiæ Regni clarâ voce exclamabat: VIVAT REX MICHAEL! quam populus magno cum fœnore reddebat. Poſtremò ab Illuſtriſſimo Domino de Raciborsko Morsztyn Supremo Re-

gni Poloniæ Theſaurario de Throno Regio Nummi Miſſiles in populum erogabantur, atq; ita Coronationis Actui Coronis impoſita eſt.

XXXI. Dum ad Palatium Coronatus deducebatur, tormentorum ſonabant tonitrua, ac ibidem deſignandæ cauſa lætitiæ, convivium ſumptu Dapiumq; numero prorſùs Regale habebatur, ubi Serenisſimus ad Menſam eminentiorem ſe contulit, & in Capite ejuſdem conſedit, cujus dexteram Nuntius Summi Pontificis & Legatus Auguſtisſimi Imperatoris, Illuſtrisſimus Dominus Comes de Schafgotſch; Sinistram Regia Mater & Conjux modò dicti Comitis occupavêre, porrò ad menſam à dextera parte Aulæi D. D. Senatores, aliiq; Regni Proceres ordine accumbebant: è Regione autem Uxores, aliæq; Illuſtres fœminæ, fruebantur epulis. Interim promiſcuo vulgo in Regio iſthoc Palatio, tres integri ferarum & altilium vario genere farcti & aſſati boves, cum aliquot cereviſiæ doliis in prædam ceſsêre. Trahebatur illud Convivium uſq; ad ſeram veſperam, ubi tandem artificioſi ignes ſpectabantur. Atque ſic iſtius diei ſolennitati litatum eſt.

XXXII. Die 30. Septembr. Rex maxima cum

cum Solennitate & Pompa Equo ad forum vehebatur, & poſtquam in Curia Civitatis Regio indutus erat ornatu, pedes, ad editum ſolium hunc in finem pulcherrimè juxta Prætorium factum veniebat, ubi Magiſtratus ſubjectionem Urbis teſtabatur, & in argentea patina claves portarum omnium deauratas tradebat. Ad hæc de Throno Olſzowski, Regni Vice-Cancellarius, reſpondebat; Gratiam Magiſtratui declarando Regiam pronunciandoq́; rotam Juramenti, quod univerſi Conſules genua nixi erectis ad Cœlum digitis præſtabant, & deindè offerebant, claves memoratas recipiebant. Porrò Sereniſſimus Rex Sceptro & Pomo aureo Dn Dn. Senatoribus tradito, nudatum vaginâ enſem ab Illuſtri Domino Bielenski Enſifero Regni acceptum verſus quatuor mundi partes vibrabat, rurſumque conſidens octodecim viros levi inter ſcapulas ictu ad Equitum auratorum ordinem evehebat, ut proſpero Anteceſſorum exemplo ſignificaret, tàm patulam effuſamque clementiam fore, quàm nudus apertusque enſis, ac ut in miteſcente à Regali dextra gladio diſcerent ſubditi, nihil ſævum formidare, ſed benigna omnia ſperare. Prædictus Illuſtriſſimus Dominus

nus Theſaurarius Regni, uti in ſolenni ab Arce Proceſſione, ita nec minus à Theatro, nummos aureos argenteosque in populum ſpargebat, tandem Sereniſſimus Rex ad ædes quasdam è Diametro ſitas ſe conferebat, ubi à ſupra dicto Branicio Curiæ Regni Mareſchallo lautè excipiebatur, & flammas fuſiles atque ignes feſtivos, qui inter duos Pyramides ardentes ad aëra mittebantur, ſpectabat. Reverſo ad Arcem Rege, tormenta detonuêre. Et ſic quidem etiam huic feſtivitati finis imponebatur.

XXXIII. Poſt Coronationis ſolennia Primas Vicariatum deponit, Senatores fidelitatem juramento promittunt, quod deindè etiam Nuntii Terreſtres poſt novum electum Mareſchallum nomine totius Nobilitatis Regi, Civitatum quoque Deputati jure jurando ſubjectionem & fidelitatem promittunt, ad Civitates autem Pruſſiæ, Sereniſſimus pro recipiendo juramento Commiſſarium mittit. Tunc etiam Rex Coronationem ſuam per literas univerſales denunciat, & judicia omnia celebranda eſſe declarat, dat prætereà literas Juramenti à ſe præſtiti, & aliud Diploma, quo omnia Jura & Privilegia confirmat. Quæ ſingula uti & approbatio

tio Actorum Inter Regni ipsis Constitutionibus inserta typo mandantur.

XXXIV. Non ingratum, credo, erit Lectori, si pro Conclusione annotem, quomodo altè memoratus Rex, non inusitato Antecessoribus suis exemplo, aureum vellus acceperit. Die 6. Octobr. supra dicti anni Nomine Augustissimi Imperatoris Leopoldi I. tanquam Dispensatoris, Hispaniarum Regis, Comes de Harrach in Camera Regia Sereniſſimo (qui ad mensam coram figurâ Crucifixi Salvatoris genua flexus, verbo Regio promittebat, se Ordinis illius Conditiones, præmissâ de nonnullis in favorem Coronatorum Capitum dispensatione, servaturum) aureum vellus conferebat; actis à Rege ipso gratiis, & celebratâ ab Episcopo Cracoviensi missâ, Illustrissimi D. D. Comites de Schaffgotsch & de Harrach lautissimâ cœnâ excipiebantur, quâ durante Archangelus Michael ante Palatium Regium igne artificioso exhibebatur. Addo hîc, quòd post fata Insigne Ordinis illius Regi Hispaniarum remittitur. Quam functionem post mortem Sereniſſimi Regis Michaelis Per-Illustris Dominus Zaluski, Cancellarius Gneznensis peregit.

CAP. IV.
DE REGINALI MAJESTATE.

I.

GRaviſſimos Principis labores egere adminiculis, ut domeſticâ curâ vacuus in commune conſulat, rectè judicat nunquam tacendus Tacitus. Quod porrò honeſtius cenſoriæ mentis levamen, quàm aſſumere conjugem proſperis dubiisq; Sociam? *Annal: lib:* 12. *cap:* 5. Regis autem conjugium ad Reipublicæ Statum amplificandum, vel diminuendum, plurimum habet momenti. Reges quippè, ut dicere ſolebat Rex Alphonſus, ſunt Sponſi Regnorum, & ſic non tàm Regum quàm Regnorum Intereſſe in eo verſatur, qualem Rex Uxorem ducat. Quamvis verò gens Polonorum libera, non ex cunis expectet Dominum, qui faſces Imperii cum faſciis accipiat, neq; uniꝰ formæ hæreditas ſit, non tamen adeò diverſa eſt Domus Principis & Reipublicæ, quò minus eidem in matrimonio Regis magnum ſit poſitum momentum; Ideò Rex Poloniæ neq; Conjugium abſq; Senatu, neq; divortium absque juſtis cauſis quærit, *juxta Cautionem Sigismundi Auguſti Anno* 1540. *& Pacta Conventa Ste-*

ta Stephani *Anno* 1576. *Successorumq.* Hanc ipsam causam prætexuit Rex Vladislaus, excusans se Regi Magnæ Britanniæ, quòd sororis suæ & Electoris Palatini Friderici Filiam, dissentiente Senatu, Uxorem ducere non potuisset. Longè ante Vladislaus Jagello ea lege admissus est ad Regnum, ut Hedwigem Prædecessoris Regis Ludovici Filiam in Matrimonium duceret.

II. Reginalis Majestatis inauguratio fit præsente, deducente, & postulante pro ea Rege, loco, ut suprà nimirùm Cracoviæ, juxta morem & leges antiquas. Coronatio tamen Serenissimæ Cœciliæ Renatæ Anno 1637. Varsaviæ peracta est. Proximo dein Anno 1638. constitutum est, ut Reginæ etiam Cracoviæ coronentur. Quæ verò lex Anno 1670. ex consensu omnium Ordinum dispensata, & Serenissima Eleonora Maria, ex Augusta Austriæ Domo septima, Polonorum Regina, itidem Varsaviæ in templo Sancti Joannis, solennibus cum Ceremoniis à Prazmovio Archi-Episcopo Gneznensi uncta & coronata est, qui ejusdem Majestatis Caput Regni Diademate cinxit, dextram Sceptro, ac sinistram Pomo aureo implevit.

III. Habet Regina suos Officiales, ut Mare-

ſchallum (qui eandem prodeuntem cum ſcipione antecedit) & Cancellarium, aliosque.

IV. Impenſæ omnes in Aulam ejusdem à Rege ſuppeditantur. Quo defuncto poſthac de ſuo, ac de reditibus eorum bonorum, quæ Rex ipſi conſenſu Reipublicæ dotis & donationis propter nuptia snomine attribuit, ſeſe cum univerſo Comitatu ſuſtentat, donec Regina Poloniæ vocabitur, & in Polonia, vel Magno Ducatu Lithvaniæ reſidebit. Si verò inſcriptorum ſibi bonorum non ſit facta compos, tunc Viduæ in bonis Regalibus Proviſio annua aſſecuratur, exemplo Sereniſſimæ Ludovicæ Mariæ *per Confœderat: Anno* 1648. & altè memoratæ Sereniſſimæ Reginæ Eleonoræ, cui poſt fata Sereniſſimi Mariti ducenta & viginti florenorum millia, *per Confœderat: Anni* 1674. promiſſa, & denuò per *Pacta Conventa* aſſecurata ſunt, non computando in eandem Summam donum nuptiale annuum, ex ſalisfodinis Cracovienſibus, ſcilicet duo millia ungaricalium, quæ eidem *juxta Conſtitut: Anni* 1670. (ubi Jus reformatorium habetur) competunt. Quoad Reſidentiam ejuſdem Sereniſſimæ Viduæ, ordinatum eſt, ut eandem pro lubitu in bonis loco, exceptâ Cracoviâ, conſtituere poſſit.

V. Mo-

V. Modernæ Serenisſimæ Reginæ Mariæ, Reformatio habetur in *Conſtitutione* 1678. Vigore cujus, ipſi centum millia flor. Pol. dotis, & centũ millia donationis propter nuptias nomine bonis certis in Regno, Magnoq́ Ducatu Lithvaniæ inſcripta ſunt cum juribus Patronatus, ſalvis modernorum Poſſeſſorum juribus & communicativis, uti etiam ſalvis ſummis ante unionem exiſtentibus. Quæ bona Nobilibus benè poſſeſſionatis debent in adminiſtrationem concedi ſine impedimento Jurisdictionis forenſis. Quarta verò, reformatione non obſtante, debet Ravæ exſolvi, & in Lithvania Donativum ad Thesaurum inferri.

VI. Coronari in Polonia Reginam, licet alia prioris Regis Conſors coronata exiſtat, exempla habemus priſtinæ, & noſtræ ætatis. Nam poſt fata Vladislai Jagellonis Uxor Sophia Regina coronata vixit uſq; ad Annum 1461., interim tamen, ſcilicet Anno 1454. Caſimiri III. Jagellonidis Conjux Eliſabetha Auſtriaca coronata legitur. Ita etiam exiſtente Vidua Eleonora, Anno 1676. moderna Serenisſima Regina Diademate ornabatur.

VII. Deniq; hîc adjicio, quòd Reges in Capitu-

pitulationibus ſuis promittant, ſe curaturos, ne Reginæ negotiis Status ſe immiſceant.

CAP. V.

DE DOMO REGIA.

I.

PRæter illa, quæ hinc indè de Regiâ Sobole referuntur, annoto, Pactis Conventis cautum eſſe, quòd Domus Regia nullam ſucceſſionem & prætextum proximitatis ad Regnum ſibi præſumet, ſed æqualitati per omnia cum Statu Nobilitari ſubjacebit, quod Conſangvinei omnes collaterales eodem jure cum Nobilitate Polonica cenſebuntur, & intra æqualitatem conſiſtent.

II. Filii Regii à Republicâ proviſionem habentes, fidelitatem Regi & Reipublicæ perſonaliter jurant, cujus exemplum in *Conſtitutione Anno* 1633. extat, ſatisfaciendo Pactis Conventis Vladislavianis, ubi declaratur, quòd eouſq; juramento iſto obſtricti eſſe debeant, quousque Proviſione utentur, & in Regno domicilium fixum habebunt. Si verò cauſa quædam contra Regios Principes perſonas eorum afficiens incideret, conſtitutum eſt, quòd ejusdem cauſæ

ſæ cognitio Regi cum Ordine Senatorio in Comitiis competere debeat.

III. Obſervatione hîc dignum, quòd cùm circa ultima tempora Sigiſmundi III. Guſtavus Adolphus Rex Sveciæ per literas Regnum ambiret, Terreſtres Nuntii à Rege petierint, (quod nunquam antehàc factum) ut Soboli Regiæ locum in Comitiis faceret, á tergo lateribusqve ſuis, ut Reipublicæ paulatim adſveſceret, Parentisque Regis judicia imitaretur, *teſtante VVaſſenbergio in Geſtis Regis Vladislai.*

Series

Series I. Clasſis.	Nomina	Matrimonium cum.	Mors
1.	Lechus Ao. 630.		
	Duodecim Palatini.		
2.	Cracus 700.		
3.	Lechus II.		
4.	Venda. 750.		Spontanea præcipitatio in Viſtulam.
	Duodecim Palatini.		
5.	Præmislus ſive Leſcus I.		

Se-

Sepultura	Regimen	Ætas annorum.
In monte Lassotino ultra Viſtulam è conſpectu Civitatis Cracovienſis ſito. In monte Mogila dicto, quod ſonat, ſepulchrum.		

Series	Nomina	Matrimonium cum	Mors
6.	Leſcus II. Ao. 804.		
7.	Leſcus III. 810.		repentina.
8.	Popielus I. 815.		à muribus conſumptus.
9.	Popielus II. 830.		
II. Claſſis à Seculo IX. usque ad finem Seculi XIV.			
10.	Piaſtus. 842.	Repicha.	naturalis.
11.	Ziemovitus 861		naturalis.
12.	Leſcus IV. 892.		naturalis.
13.	Ziemomislus.		naturalis.
14.	Miecislaus, Primus Princeps Chriſtianus Anno 964.	Dąbrovvka, Boleslai Ducis Bohemiæ filia.	naturalis.

Sepul-

Sepultura	Regimen	Ætas annorum.	
	per annos 19.	120.	
	32.		
	21.		
In castro Gneznensi.	51.		
In medio Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis.	35.		

Series	Nomina	Coronatio.	Matrimonium cum.
15.	Boleslaus Chobri, Primus Rex Poloniæ, Anno 999.	Ao. 1005.	Juditha Geyſæ Ungarorum Principis filia.
16.	Miecislaus II. Rex 1025.	Ao. 1025.	Rixa Hezonis Erefridi Comitis Palatini Rheni filia.
17.	Caſimirus I. Rex. 1041.	Ao. 1041.	Dobrogniewva, anteà Maria Wołodymiri Ruſſorum Ducis filia.
18.	Boleslaus II. dictus Audax, quartus & ultimus Rex 1059.	Ao. 1058.	Anonyma, Nonnulli vocant Wiſſeslavvam, Ruſſorum Principis filia.

Mors

Mors	Sepultura	Regimen	Ætas annorum.
naturalis.	Posnaniæ.	25.	50.
Amentia.	Ibidem.	10.	50. alii tantùm 44. computant.
naturalis.	Ibidem.	18.	38.
Amentia, alii dicunt, autochiria.		20.	

Series	Nomina	Coronatio	Matrimonium cum
19.	Vladislaus Hermannus illius frater, 1082.		Juditha Vratislai Boemorum Ducis ac Adleidis ex Regiâ Ungarorum ſtirpe filiâ. Sophia, Henrici IV. Romani Imperatoris ſorore.
20.	Boleslaus III. Crivouſtus, Vladislai filius, 1103.		1. Zbislavva Svventopelci Kijovienſium Ducis filia. 2. Adleide, Henrici Imperatoris ſorore.
21.	Wladislaus dictus Sputator, ejusdem filius, Ao: 1140.		Chriſtina, filia Henrici V. Imperatoris.

Mors

Mors	Sepultura	Regimen	Ætas annorum.
	In choro Ecclesiæ Plocensis.	21.	59.
ex mœrore.		36.	54.
	Altenburgi in Alsatia.	6.	

Series

Series	Nomina	Coronatio	Matrimonium cum
22.	Boleslaus IV. Criſpus Anno 1146.		1. Anaſtaſia, Wſewlodymeri Principis Haliciæ filia. 2. Helena, Roſcislai Præmislien. Ducis filia.
23.	Miecislaus III. Senex Ao. 1174.		1. Eudoxia, Wſevvlodymeri filia. 2. Gertrude, Bellæ Ungarorum Regis filia. 3. Adleide, Friderici Romanor. Impp. ex ſorore nepte.
24.	Caſimirus Juſtus Anno 1178.		Helena, Wſevvołodæ Belzenſium Ruſſorum filia.

Mors

Mors	Sepultura	Regimen	Ætas annorum.
	In Eccleſia Cracovienſi.	36.	
		4.	
incertum, an morbo vel veneno extinctꝰ.	In Eccleſia Cracovienſi.	16.	

Series	Nomina	Coronatio	Matrimonium cum
25.	Leſcus Albus Anno 1195.		Grzymiſlavva Jaroslai Ducis Ruſſiæ filia.
	Miecislaus Senex iterum Anno 1199.		
	Leſcus Albus iterum.		
	Miecislaus Senex tertium, Anno 1202.		
26.	Vladislaus Lasconogus Anno 1203.		
	Leſcus Albus tertium, 1206.		
27.	Boleslaus IV. Pudicus Anno 1226.		Cunegunda Bellæ IV. Ungaror. Regis filia.

Mors

Mors	Sepultura	Regimen per annos	Ætas annorum.
		4.	
			63.
A Sventopoldo Duce Pomeranorum interfectus.	Cracoviæ in Monaſterio Franciſcanorũ.	36.	52.

Series	Nomina	Coronatio	Matrimonium cum.
28.	Leſcus Niger Anno 1279.		Griphina Roſcislai Bulgarorum Ducis filia.
29.	Henricus Probus 1289.		
30.	Præmislaus, qui titulum Regium iterum aſſumpſit. Anno 1295.	Anno 1295.	1. Lucarda Nicolai Serborum Ducis filia. 2. Rixa, Birgeri Regis Sveonum filia.
31.	Vladislaus Locticus, ejus nominis I. Rex. Ao. 1296.		Hedvviga Boleslai Caliſienſis Ducis filia.
32.	Venceslaus Bohemus Anno 1300.		Eliſabetha Premislai ex Rixa filia.

Mors

Mors	Sepultura	Regimen per annos	Ætas annorum.
	Cracoviæ in Monaſterio S. Trinitatis Ord. Prædicatorum.	10.	
		per Menſes 7.	
Phtiſi.	Pragæ in Monaſterio Ciſtercienſis Ordinis.	5.	

Series	Nomina	Coronatio	Matrimonium cum.
	Vladislaus Locticus iterum Ao. 1305.		
33.	Caſimirus, ejuſdem nominis Rex II. dictus Magnus ultimus Piaſtidarum. Anno 1333.	Ao. 1333.	1. Anna, Gedimini Lithvaniæ Ducis filia. 2. Hedvvige Henrici Landgraviæ Haſſiæ filia. 3. Hedvvige, Henrici Glogovienſium Ducis filia.
34.	Ludovicus Ungariæ Rex Anno 1370.	Ao. 1370.	Eliſabetha Stephani Bosnenſium Regis filia.

Mors

Mors	Sepultura	Regimen per annos	Ætas annorum.
	Cracoviæ.	28.	
ex lapsu equi.		37.	60.
naturalis.	In Alba Regali.	12.	56.

Series

Series	Nomina	Coronatio	Matrimonium cum
III. Classis ex Magnis Ducibus Lithvaniæ & Jagellonidarum.			
35.	Wladislaus Jagello, Rex ejusdem nominis II. Ao. 1386.	Anno 1386. 4. Februarii.	1. Hedvviga Ludovici Poloniæ ac Hungariæ Regis filia. 2. Anna, nepte Casimiri. 3. Elisabetha, vidua Pilecii, Ottonis Granovii Palatini Sendomiriensis filia. 4. Sophia, Andreæ Joannis Kijovienſium Ducis filia.
36.	Wladislaus III. Jagellonides Anno 1434.	Ao. 1434.	

Mors

Mors	Sepultura	Regimen per annos	Ætas annorum.
naturalis.	Cracoviæ.	48.	
Ad Varnam cæsus, Anno 1440.		10.	

Series	Nomina	Coronatio	Matrimonium cum.
37.	Casimirus III. Jagellonides Anno 1447.	Anno 1447.	Elisabetha, Alberti Austriaci Romanorum Imperatoris filiâ.
38.	Joannes Albertus Anno 1492.	Anno 1492. die 23. Septembr.	nullâ.
39.	Alexander Anno 1501.	12. Dec. 1501.	Helena, Joannis Magni Moschorum Ducis filia.
40.	Sigismundus I. Anno 1507.	24. Jan: 1507.	1. Barbara, Stephani Zapolii Comitis Scepusiensis ac Palatini Transylvaniæ filia, ob pudicitiam Esthera vulgò dicta. 2. Bona Sforcia Joannis Mors

Mors	Sepultura	Regimen per annos	Ætas annorum.
Grodnæ ex profluvio ventris & tumore.	Cracoviæ.	45.	64.
Apoplexiâ, d. 17. Jun. 1501.	Cracoviæ.	8. & totidem menſes.	48.
naturalis.	Vilnæ.	7.	45.
naturalis. 1. April. 1548.	Cracoviæ.	42.	81. & trium menſium.

Series	Nomina	Coronatio	Matrimonium
			cum Galeacii Ducis Mediolanenſis & Iſabellæ Reginæ Neapolitanæ filia.
41.	Sigiſmundus Auguſtus Ao. 1537. in Regem electus, & Patri Anno 1548. ſucceſſit.	Menſe Februario Ao. 1537.	1. Eliſabetha FerdinandiRomanorum Regis filia, Caroli V. Imperatoris neptis. 2. Barbara Radzivilia, Georgii Radzivilii Caſtellani Vilnenſis filia, Gaſztoldi Palatini Trocenſis vidua. 3. Catharina, dictæ Eliſabethæ ſoror, Franciſci GonzagæDucis Mantuæ vidua.

Mors

Mors	Sepultura	Regimen annorum	Ætas annorum.
natturalis. d. 1. Iul. 1572.	Cracoviæ.	25.	52.

Series	Nomina	Coronatio	Matrimonium cum.
IV. Classis ex diversis familiis.			
42.	Henricus Valesius Dux Andegavensis Mense April. Anno 1574.	d. 15. Febr. Ao. 1574.	
43.	Stephanus Bathoreus Princeps Transylvaniæ Ao. 1576.	Ao. 1576.	Anna Jagellonia Sigism. I. filia.
44.	Sigismundus III. Princeps Sveciæ d. 9. Augusti Ao. 1587.	Ao. 1587. die 27. Decembr.	1. Anna Caroli Archi-Ducis Austriæ, & Mariæ Ducis Bavariæ filia, Ferdinandi II. sorore. 2. Constantia sorore alterius.

Mors

Mors	Sepultura	Regimen annorum	Ætas annorum.
In Gallia à Monacho interfectus Anno 1588.		in Polonia ad quintum menſem.	
Morbo Regio ſeu Epilepſia periit Grodnæ d. 13. Menſ. Dec. 1586.	Cracoviæ.	10.	54.
Catharro extinctus.	Cracoviæ.	44. Sic quadrageſimus quartus Rex quadraginta quatuor annos Regno impendit; uti olim Hiskiæ inter Reges Judæ decimo quinto, 15. annos vivendi & regnandi adjectos legimus.	66.

Series

Series	Nomina	Coronatio	Matrimonium cum.
45.	Vladislaus IV. 13. Nov. Anno 1632. filius Sigiſmundi.	d. 6. Februar: Ao. 1633.	1. Cœcilia Renata Ferdinandi II. Imp. Filia & Ferdinandi III. Sorore. 2. Maria Ludovica, Caroli Niverniæ, Mantuæ ac Montisferrati Ducis filia.
46.	Joannes Caſimirus frater Anteceſſoris Ao. 1648.	die 17. Januar: Anno 1649.	Eadem Ludovica.
47.	Michaël Korybuth, Dux in Wiſniovviec, Duce Korybutho, fratre Vladislai Jagellonis genus ducens. die 19. Menſ. Maji Ao. 1669.	Die S. Michaelis Ao. 1669.	Sereniſſima Eleonora Maria Ferdinandi III. filia & Leopoldi Imperatoris ſorore.

Mors

Mors	Sepultura	Regimen per annos	Ætas annorum.
naturalis, Merecii oppido Lithvanico 15. Maji. 1648.	Cracoviæ.	16.	53.
naturalis, Niverniæ d. 16. Dec. Ao. 1672.	Cracoviæ.	20.	63.
naturalis Leopol. d. 10. Nov. 1673.	Cracoviæ.	4. & 4. menſ.	33.

Series	Nomina	Coronatio	Matrimonium cum
48.	Joannes III. ex illuſtri familia Sobieſciorum, antehac Supremus Regni Mareſchallus, & Dux Exercituum, de Patriâ & Chriſtianitate meritiſſimus. Electus d. 21. Maji 1674. qui nunc glorioſiſſimâ prudentiâ regnat.	Die 2. Februar. Ao. 1676.	Sereniſſima Maria Caſimira, Henrici de la Grange Marchionis d' Arquien filiâ, à Chriſtianiſſimo Rege Ludovico XIV. in filiam Galliæ cum nomine Ludovicæ adoptata, & per Ejuſdem Legatum de Forbien Epiſcopum Marſilienſem Cracoviæ poſt Coronationem declaratâ.

Mors

Mors	Sepultura	Regimen per annos	Ætas annorum.

CAP. VI.

DE ORDINE SENATORIO.

I.

IMperator Tiberius poſt fata Auguſti, variè diſſerebat de magnitudine Imperii, ſe experiundo didiciſſe, quàm arduum, quàm ſubjectum fortunæ regendi onus. Senatus igitur neceſſitatem, & utilitatem, Imperator in L. human. C. de L. L. innuit. Benè, inquiens, cognoſcimus, quod cum veſtro conſilio fuit ordinatum, id ad beatitudinem noſtri Imperii, & ad noſtram Gloriam redundare. Quin & Deus ipſe Conſilio non vacat, ſed inter nomina magna Filii ſui benedicti ponit, ut Conſiliarius vocetur. Sæpè Deus, nunquam tamen niſi quando res hominem concernit, more deliberantis, & in plurali numero loquitur, ut hominem admoneat conſilio eſſe, ubi neceſsitas poſtulat, agendum. Optimè regit ille Princeps, qui & regit, & regitur, regit Imperio, regitur conſilio.

II. Proinde in Polonia etiam, ut Conſilia ad Salutem

Salutem Reipublicæ, & Judicia ad Juſtitiæ & æquitatis trutinam dirigerentur, antiquitùs conſtitutum eſt, ut Rex prudentes ſibi Conſiliarios, eosq; Nobiles & non niſi juratos *Conſtit:* 1550. 1611. ad amplisſimum Ordinem admittat: Nonnaſcuntur Conſiliarii, ſed leguntur, non aliunde aſciſcuntur, ſed Patriæ Cives non titulis exoticis fulgentes: Magna eorum eſt Authoritas, & non malè quidam, vehiculum dignitatis Regiæ Senatum nominavit. Semel autem placiti pro æternis ſervantur, perpetuum enim hoc munus eſt, quoad quisque vivit, certis annexum honoribus & Magiſtratibus, partim Eccleſiaſticis, partim Secularibus, quorum Ordinem & Nomina hîc exhibeo.

ARCHI-EPISCOPI.

Gneſnenſis.

Joannes Stephanus Wyzga.

Leopolienſis.

Conſtantinus Lipski.

EPISCOPI.

Cracovienſis, in Minori Polonia.
Poſt fata Andreæ Trzebicki ſedes adhuc vacat.

Cujavienſis ſeu Vladislavienſis & Pomeraniæ, in Majori Pol.
Stanislaus Sarnowski.

Vilnenſis, in Lithvania.
Nicolaus Stephanus Pac.

Poſnanienſis in Maj. Pol.
Stephanus Wierzbowski.

} Alternant.

Plocen-

Plocenſis, in Mazovia.
Bonaventura Madalinski.

Varmienſis & Sambienſis in Prusſia.
Michaël Radziejowski.

Luceorienſis, in Volhyniâ.
Stanislaus Dabski.

Alternant.

Præmyslienſis, in Rusſia rubra.
Joannes Zbaski.

Samogitiæ ſive Mednicenſis.
Caſimirus Pac.

Culmen-

Culmenſis & Pomeſaniæ,
in Pruſſia.
Joannes Małachowski.

Chelmenſis, in Ruſſia rubra.
Stanislaus Swięcicki.

Kiovienſis & Czernicchovienſis,
ad Boryſthenem.
Joannes Stanislaus in Witwica Witwicki.

Camenecenſis, in Podolia.
Stanislaus de Brzezie Woienski.

Smolenſcenſis, in Ruſſia Alba.
Alexander Kotowicz.

Epiſco-

Epiſcopos excipiunt Senatores SECULARES, quorum III. Claſſes.

Palatinorum, quibus accenſentur tres Caſtellani, Cracovienſis, Vilnenſis, Trocenſis, & unus Capitaneus, ſcilicet Samogitiæ.

Caſtellanorum, Majorum & Minorum.

Officialium Ordinis Senatorii.

Caſtellanus Cracovienſis.

Stanislaus à Warzyce Warzycki, Senator à tempore Sigiſm. III.

PALATINI.

Cracovienſis.
Demetrius Korybuth Dux Wiſniowiecki.

Poſnanienſis.
Chriſtophorus in Grzymultowice Grzymultowski.

Alternant.

Vilnenſis.
Michaël Caſimirus Pac.

Sendomirienſis.
Joannes à Tenczyn Tarlo.

Caſtel-

Caſtellanus Vilnenſis.
Andreas Kotowicz.

Palatinus Caliſſienſis.
Sigiſmundus Działynski.

Trocenſis.
Marcianus de Kozielsk Oginski.

Siradienſis.
Felicianus Potocki.

Caſtellanus Trocenſis.
Joannes Kopec.

Palatinus Lencicienſis.
Wladislaus de Leſzno Leſzczynski.

Capitaneus Generalis Samogitiæ.
Poſt mortem Victorini Mleczko adhuc vacat iſte Capitaneatus.

Palatinus Brzeſtenſis.
Joannes Comes de Buin Opalinski.

Palatinus Kiovienſis.
Andreas in Stanislawow Potocki.

Palatinus Inowladislavienſis.
Paulus Szczawinski.

Pala-

Palatinus Ruſſiæ.
Stanislaus Joannes Jabłonowski.

Palatinus Volhyniæ.
Michaël Dux in Klewan Czartoriyski.

Podoliæ.
Stanislaus Koniec polski.

Smolenſcenſis.
Chriſtophorus Jeſman.

Lublinenſis,
Wladislaus de Naglowice Rey,

Polocenſis.

Joannes Caſimirus Comes in Bychow Sapieha.

Belzenſis.

Conſtantinus Dux Wisniowiecki.

Novogrodenſis.

Polubinski.

Plocenſis.

Samuel in Prazmow Prazmowski.

Witebſcenſis.

Joannes Antonius Chrapowiecki.

Mazo-

Mazoviæ.

Albertus de Kraſno Kraſinski.

Podlachiæ.

Venceslaus Comes de Leſzno Leſzczynski.

Ravenſis.

Załuski.

Brzeſcianenſis.

Stephanus Kurcz.

Culmenſis.

Joannes Gninski.

Mſcis-

Mſcislavienſis.
Joannes Oginski.

Mariæburgenſis.
Poſt mortem Bakowii nondum alius conſtitutus eſt.

Braclavienſis.
Martinus Zamoyski.

Pomeraniæ.
Vladislaus Comes à Dönhoff.

Minſcenſis.
Białozor.

Czer-

Czerniechovienſis.
Stanislaus Jaskołski.

CASTELLANI MAJORES.

Poſnanienſis.
Stanislaus Krzycki.

Sendomirienſis.
Alexander Comes de Tarnowo.

Caliſienſis.
Radomicki.

Voynicenſis.
Stanislaus Skarſzewski.

Gneznenſis.
Alexander Sielski.

Siradienſis.
Joannes Męcinski.

Lencicienſis.
Paulus de Gembice Gembicki.

Samogitiæ.
Stanislaus Vincentius Orda.

Breſtenſis.
Melchior Grudzinski.

Kijo-

Kijovienſis.

Stephanus Comes de Czernichow Niemirycz.

Inowładislavienſis.

Paulus Ludovicus Szczawinski.

Leopolienſis.

Martinus Kącki.

Volhyniæ.

Stephanus Lidichowski.

Camenecenſis.

Gabriel Silnicki.

Smolenſcenſis.

Wilczek.

Lublinenſis.

Felix Parys.

Polocenſis.

Joannes Korſzak.

Belſenſis.

Myskowski Marchio Pincovienſis.

Novogrodenſis.

Nicolaus Przezdziecki.

Plocen-

Plocenſis.
Stephanus Gembicki.

Vitebcenſis.
Koſzakowski.

Cernenſis.
Stanislaus Rudzinski.

Podlachiæ.
Stanislaus Carolus Luzecki.

Ravenſis.
Albertus Mokronoski.

Brzeſcianenſis.
Stephanus Piaſeczynski.

Culmenſis.
Michaël Działynski.

Mſcislavienſis.
Ryſzkowski.

Elbingenſis.
Joannes Działynski.

Braclavienſis.
Stephanus Lidſchowski.

Geda-

Gedanenſis.
Michaël de Działyn Działynski.

Minſcenſis.

Czerniechovienſis.
Stephanus Zamoyski.

CASTELLANI MINORES.

Caſtellanus Sandecenſis.
Nicolaus Przerębski.

Caſtellanus Medirecenſis.
Franciſcus Ciswicki, Caſtel-

Caſtellanus Vislicienſis.

Petrus Opocki.

Biecenſis.

Andreas Kuropatnicki.

Rogozinenſis.

Gizicki.

Radomienſis.

Petrus Corvinus Kochanowski.

Zavichoſtenſis.

Lucas Czerminski.

Caſtel-

Caſtellanus Lendenſis.
Laſzcz.

Sremenſis.
Petrus à Przyma Przyiemski.

Zarnovienſis.
Tęgoborski.

Malogoſtenſis.
Alexander de Rozniatycze Derſzniak.

Vielunenſis.
Thomicki.

Caſtellanus Præmyslienſis.
Felicianus de Grochowiec Grochowski.

Halicienſis.
Stephanus Zamoyski.

Sanocenſis.
Kuropatnicki.

Chelmenſis.
Joannes Piaſeczynski.

Dobrinenſis.
Jacobus Zboinski.

Caſtel-

Caſtellanus Polaniecenſis.
Stanislaus Dunin Borkowski.

Premetenſis.
Adamus Rozrazewski.

Crivinenſis.
Maximilianus Miaskowski.

Czechovienſis.
Joannes in Olexow Gniewoſz.

Naclenſis.
Chrzaſtowski.

Caſtell. Rolpirienſis.
Stanislaus Suchciecki.

Biechovienſis.
Nicolaus de Szoldr Szoldrzki.

Bydgoſtienſis.
Stanislaus Sokołowski.

Breſinenſis.
Joannes de Mniewa Mniewski.

Cruſvicenſis.
Conſtantinus Szczawinski.

Caſtell.

Castell. Oświecimensis.
Paulus Stokowski.

Camenecensis.
Silnicki.

Spicimirienſis.
Stephanus Walewski.

Inowłodenſis.

Kovalienſis.
Jacobus Trzebuchowski.

Caſtell. Santocenſis.
Chryſoſthomus Jaskołski.

Sochacovienſis.
Petrus Sładkowski.

Warſavienſis.
Joannes Narzymski.

Goſtinenſis.
Martinus Sadowski.

Viſnenſis.
Adrianus Lochowski.

Caſtell.

Caſtell. Racionſenſis.
Stanislaus de Dubnin Kriski.

Sieprcenſis.
Szydłowski.

Wyſogrodienſis.
Adamus Laſocki.

Ripinenſis.
Joannes Kuczborski.

Zakrocimenſis.
Joannes na Chodowie Olendzki.

Caſtell.

Caſtell. Ciechanovienſis.
Albertus Kraſinski.

Livenſis.
Ludovicus Conſtantinus Oborski.

Słoncenſis.
Nicolaus Tolibowski.

Lubaczovienſis.
Victorinus Stadnicki de Znigrod.

Conarienſis Terræ Siradienſis.
Dąbski.

Cona-

Conarienſis Terræ Lencicienſis,
Paulus à Warſzyce Warſzycki.

Conarienſis Terræ Cujavienſis,
--- --- --- Gorſzewski.

Per Ordinationem Ducatus Livoniæ Ao. 1677. auctus eſt numerus iſte, quippe tres Senatores ibidem conſtituti leguntur, quos hîc ſeparatim appono, quia Ordo ſeſſionis expreſſus non eſt:

EPISCOPUS.

PALATINUS.
Joannes Theodorus Comes de Schlieben.

CASTELLANUS.
Otto Fridericus à Foëlkerſam.

OFFICIALES ORDINIS SENATORII.

Mareſchallus Regni Supremus.
Stanislaus Lubomirski, S.R.I. Princeps, Comes in Wiſnicz & Jarosław.

Mareſchallus Supremus Magni Ducatus Lithvaniæ.
Stanislaus Dux in Kleczko Radziwil, S.R.I. Princeps.

Can-

Cancellarius Regni Supremus.
Joannes Comes à Pieskowa Skała Wielopolski.

Cancellarius Supremus M. D. Læ.
Christophorus Pac.

Vice-Cancellarius Regni.
Joannes Małachowski.

Vice-Cancellarius M. D. Læ.
Michaël Casimirus, Dux in Olyka & Nieswicz Radzivill, S.R.I. Princeps.

Thesaurarius Regni Supremus.
Andreas in Radzimin Morsztyn.

Thesaurarius Supremus M. D. Læ.
Benedictus Paulus in Czereia Sapieha.

Mareschallus Curiæ Regni.
Nicolaus de Granow, Comes in Szkłow & Mysza Sieniawski.

Mareschallus Curiæ M. D. Læ.
Theodorus Lacki.

III. Quod

III. Quod ſuprà de alternatis dictum, non intelligendum eſt de die in diem, vel ad dies vitæ, ſed per Comitia ad Comitia.

IV. Obſervantia erga Sacrorum Præſides, eis prima in Senatu ſubſellia detulit, & præcipuas Reipublicæ partes curare juſſit, quoniam per Spirituales lumen Religionis Chriſtianæ accenſum & introductum eſt. In Comitiis quidem Lublinenſibus ſub Rege Alexandro certatum eſt inter Proceres Eccleſiaſtici atq; Politici Ordinis de loco in Senatu, contendebant enim hi, ut Epiſcopi alterum latus Regis ſibi concederent, alterum verò vel dextrum ſanè ipſi tenerent. Poſt longam tamen contentionem, Rex controverſiam ita diremit, ut Epiſcopis ſuæ manerent prærogativæ, & utriq; Regio lateri aſſidendi jus haberent. *Crom. lib.* 30. *fol.* 830.

V. Sigiſmundus Auguſtus in Comitiis dicto loco, ſcil. Lublini Anno 1569. habitis, ubi unio ſeu conjunctio Lithvaniæ cum Polonia finem ſortita eſt,

--- --- dum paribus ſe legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittunt,

junxit Ordinem Senatus Lithvanici cum Polonico.

VI. In Comitiis Regni Generalibus ſolent

deputari XXXII. Senatores, pro quovis quadrante anni unus ex Epiſcopis, vel etiam Archi-Epiſcopis, unus ex Palatinis, duo ex Caſtellanis, eo ordine, uti in Senatu ſedent, *Conſtit. Ao.* 1576. qui ad latus Regium, ne quis ſcrupulum habeat de uſurpando dominio contra leges Regni, *Conſtitut:* 1607. & quidem pro qualibet anni parte quatuor reſidere debent, juxta *Conſtit.* 1641. *p.* 37. nam antehac ſedecim Senatores, i. e. quatuor Epiſcopi, quatuor Palatini, & octo Caſtellani conjunctim denominabantur, & non tantùm Spirituales, ſed etiam Seculares ad Semeſtre reſidere tenebantur, jam verò illi tantùm ad ſemeſtre, hi ad quadrantem anni obligantur. Anno tamen 1649. propter inſolentiam & exceſſus Coſacorum etiam ex Nobilitate & quidem ex ſingulis Palatinatibus unus ad Reſidentiam penes latus Regium obeundam deſignatus eſt. Hi ipſi Reſidentes quicquid ſtatuerunt, vim legis habuit, vid. *dicta Conſtitutio.* Antiquius exemplum *in Conſtit. Ao.* 1590. recentius *in Conſtit. Grodnenſi Ao.* 1678. reperitur. Deſignati ad Reſidentiam Senatores tenentur ſuo officio ſatisfacere, ſub pœnâ mille marcarum, Sigiſm. III. *Conſtit.* 1607. *p.* 31. quæ tamen in ſequentibus Comitiis

tiis aucta est & duplicata, *Constit. Anno* 1609. *p.* 889. Spirituales verò sub mulctâ sex mille marcarum, de quo pluribus in dicta *Constit. Ao.* 1607. *& Anno* 1678. Pœnam hanc succumbunt, si Senator Spiritualis per Semestre, Secularis per quadrimestre, non continuò residenti, *dict. Constit.* 1641. Hinc si Senator tempore residentiæ suæ causam in quocunq; habeat subsellio, beneficio exemptionis gaudet.

VII. Senatoribus autem residentibus Secularibus, ut & Episcopis ex oris Russicis constitutum est singulis salarium quingentorum florenorum ex Thesauro utriusq; gentis solvendum. Episcopis tamen ex Majori Minoriq; Polonia, quoniam ipsorum reditus sunt opimiores, nullum datur salarium. *Constit. Ao.* 1573 *&* 1576.

VIII. Licet autem extra illos Deputatos cuilibet Senatori in Aula Regia residere & consiliis interesse, Ao. 1576. p. 276. Senatores in consilio præsentes & consentientes ad consulta subscribenda obligantur per *Constit.* 1641. Ratio dein eorundem Consultorum post vota Senatorum in facie totius Reipublicæ reddenda est, *Constit.* 1576. 1607. 1641.

IX. Hîc notandum non licere Senatori, post

poſt præſtitum juramentum, ſine conſenſu publico migrare è finibus, quo de in *Conſtit.* 1613. *Confœd.* 1668. & *Conſtit.* 1677. exempla inveniuntur, ubi ut valetudinis curandæ cauſa fines Regni egredi poſſent, conſenſum publicum impetrarunt. Sicut olim apud Romanos nonniſi exquiſitâ Principis ſententiâ extra Italiam abire licebat. *Tacitus Ann. XII. cap.* 23.

X. Archi-Epiſcopos & Epiſcopos olim Capitulares eligebant, nunc verò à tempore Caſimiri III. eosdem Rex conſtituit, & Summus Pontifex confirmat. Oportet ut ſint nobili de genere. Hinc ægrè tulerunt Ordines, quod Sigiſm. I. Petrum Gamratum ad Epiſcopales honores evexerit. Hoſi etiam de plebejo ſangvine orti doctrina & fama virtutis vicit, ut à Pontifice, à quo Prælatus & poſt Cardinalis creatus fuerat, tandem moriente (menſe Pontificio) Epiſcopo Varmienſi eundem Epiſcopatum obtinuerit. *Fred. in Henr. Valeſio p.* 133. & 134. Legi tamen alibi, quòd jam prius Culmenſem geſſerit infulam.

XI. Obſervandum hîc venit, quòd Epiſcopi Abbatiarum & Præpoſiturarum Regularium incapaces ſimul ſint, excepto Archi-Epiſcopo Leopo-

Leopolienſi, Epiſcopis Præmyslienſi, Samogitiæ, Culmenſi, Kijovienſi, Camenecenſi. Quòd verò Anno 1658. Epiſcopo Luceorienſi Abbatia Sieciechovienſis conceſſa, in conſequentiam trahi non debet. Factâ ſuperius mentione Abbatiarum annoto, quòd Caſimirus I. in memoriam & recompenſam vitæ monaſticæ Monaſterium Tynecenſe fundaverit, illudq; centum villis dotaverit. Primi Abbatis Aaronis natione Galli ordinatione & privilegio quilibet Abbas Tynecenſis eſt Canonicus natus in Eccleſia Cracovienſi. *Matt. de Mechovia p.* 41. De Canonicatibus hîc obiter adjungo, quòd nonnulli à Rege conferantur, alii ab Epiſcopis concedantur, ſcilicet ſi per ſex menſes Februarium, Aprilem, Junium, Auguſt. Octobr. & Decembr. vacare cœperint, reliquis ſex menſibus Sedi Romanæ & pro tempore exiſtenti Romano Pontifici reſervatis.

XII. Nullus Spiritualium Cardinalatum ac Legationes Pontificis Romani, ſine Regis ac Senatus conſenſu ambire poteſt. Hinc ad removendos competentiarum ſcopulos, Roſa Archi-Epiſcopus Gneznenſis cum Sbigneo Oleſnicio Epiſcopo Cracovienſi & Cardinali alternis die-

bus ad conſilium vocabantur. *Alexand. in Conv. Petritovienſi Anno* 1451. Cùm Joanni Alberto Regis Vladislai IV. fratri inſula Cracovienſis concederetur, in Comitiis Anno 1633. per Conſtitutionem cavebatur, ne ſibi, etiamſi Cardinalititia dignitate emineret, aliquam præ Archi-Epiſcopo Gneznenſi prærogativam vendicaret. Georgius Radzivill, Epiſcopus Vilnenſis, qui à Gregorio Pontifice Maximo, petente Stephano Rege, in Cardinalium numerum relatus, primus Lithvanorum, eam dignitatem in familiam patriamque ſuam intulit.

XIII. A morte Epiſcopi Collegium diſtributis inter ſe curationibus bona vacantia adminiſtrat. Excepta Gneznenſi Diæceſi, quæ peculiarem habet Oeconomum, etiam vivente Archi-Epiſcopo.

XIV. Ultra commune autem Senatorium munus curamque Reipublicæ totius, habent Senatores peculiaria officia pro diverſitate Magiſtratuum. Spiritualium quidem Senatorum Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum vulgò nota ſunt.

XV. Archi-Epiſcopus Gneznenſis, Primas, Primusq; Princeps Regni nuncupatur. Defunctus

ctus Archi-Epiſcopus Prazmowski ſolebat titulo huic adſcribere prærogativam à Magno Ducatu Lithvaniæ, nam cùm exiſtens adhuc Cancellarius Regni in contextu literarum ſuarum compellaſſet Epiſcopum Vilnenſem, ut tanquam Primas iſtius Provinciæ certo invigilaret negotio, arripuit hic & uſurpavit titulum Primatis Magni Ducatus Lithvaniæ, à quo tamen, facta expoſtulatione, abſtinuit. Nam uti unus Regno Magnoque Ducatui Lithvaniæ Rex præeſt, ita unus Inter Rex Primasque ſufficit. Sublimitatem illam Primatialem primus Regno intulit Nicolaus Tromba, Archi-Epiſcopus Gneznenſis, à Concilio Conſtantienſi redux Anno 1419. Titulum LEGATI NATI, juxta *Cromerum lib.* 7. ab Innocentio III. primus obtinuit Henricus Kietlicius Theodorici Ducis Bernenſis ex Æydoriâ Polona filius, pro ſe ſuisque Succeſſoribus. *Cellarius in Deſcript. Pol. p.* 215. Id tamen de illo ſolo debere intelligi allegat *Damalevicius Varta in ſerie Archi-Ep. Gneznenſ. p.* 279. Nam uſum & titulum perpetuum Joannes de Lasko ſive Laski tempore Julii II. Papæ in Concilio Lateranenſi quinto (ad quod Regis Sigiſmundi Orator fuit) ſibi ac Succeſſoribus Anno 1515. per privilegium

quod habet *Damalevicius in ſerie Archi-Ep. Gnesnenſ. p.* 9. acquiſivit, vid. *Paprocius in Opere Stem. p.* 464. *Starovolſcius in Elog. p.* 6. Eminet inſuper aliis Archi-Epiſcopus prærogativis,

1. Mareſchallus ejus (qui ſemper ex Senatoribus Regni de Caſtellanorum Ordine eſt, ac currum Archi-Epiſcopi eques præcedit) in Aula Regia inſigne ſuum ſeu baculum verſus terram, niſi Rege præſente, non dimittit, adeò ut Eidem abſentibus aliis Mareſchallis fas ſit levato ſcipione Regem in Comitiis publicè prodeuntem anteire, vid. *Damalevicius Varta p.* 17. Præter Mareſchallum habet etiam Cancellarium, vid. *Conſtit.* 1569.

2. Eidem ſignum Crucis â perſona Spirituali præfertur, quod in Senatu Cruciger adſtans ſellæ tenet.

3. Ex itinere ad Palatium tendenti Rex ſalutandus obviam mittit Succamerarium Regni, vel aliquem ex præcipuis Aulæ Officialibus uſque ad inferiora graduum, Mareſchallus Curiæ ad caput eorundem ipſum præſtolatur, tandem jam vicino ſibi Rex aliquot paſſus it obviam. In literis dat eidem titulum Reverendiſſimo in Chriſto Patri. Archi-Epiſcopus eſt ſimul Canonicus

nonicus natus Eccleſiæ Plocenſis, quem titulum & Civitatem Lovicenſem à Conrado Duce Maſoviæ in vim ſatisfactionis ob cædem in Cancellarium patratam Anno 1240. obtinuit. *Lubienſcius de vita Epiſc. Plocenſ. fol.* 360.

4. Antequam ferculis inſtruatur menſa Archi-Epiſcopalis, tympana ſonora pulſantur.

5. Ab Epiſcopis vel eorum Officialibus provocatio eſt ad Archi-Epiſcopum & ab ipſo Leopolienſi ad Gneznenſem, quia hic, ut ſupra dictum, Legatus Natus.

6. Quod etiam privilegium cudendæ monetæ Archi-Epiſcopi habeant, recenſet ſæpè citatus *Varta.*

7. Archi-Epiſcopus nunquam pro introducendo Legato rhedam ſuam mittit obviam, niſi tempore Inter Regni, tanquam Inter-Rex.

8. Cùm Andreas Olſzowski Archi-Epiſcopus Anno 1677. d. 29. Aug. Gedani fatis ceſſiſſet, Magiſtratus, ſumptâ priùs à Sacra Regia Majeſtate declaratione, omnia Civitatis tintinnabula quotidiè per mediam horam pulſari curabat, qui aliàs honor Regum exhibetur filiis. Si verò

Rex vel Regina deceſſerit, tinnitus iſte ad horam unam extenditur.

XVI. De Epiſcopo Cracovienſi notandum eſt, quòd ſit Dominus octodecim urbium, & Dux Severiæ, atq; ordinatione Urbani V. Academiæ Cracovienſis Cancellarius. Hiſtorici (referente *Paprocio p.* 698.) aſſerunt, quòd ſtatim ab initio fuerint Archi-Epiſcopi Cracovienſes. Sed *Basko* Cuſtos Poſnanienſis ſcribit, quòd Epiſcopatus penes Cracovienſes, Archi-Epiſcopatus penes Gneznenſes fuerit, & demùm tempore Caſimiri Monachi Ao. 1046. Aaron petens confirmationem & Sacrum à Benedicto IX. Papa hunc honorem Eccleſiæ Cracovienſi acquiſiverit, uti patet ex Epiſtola, quam allegat *Paprocius* ibidem. Poſt illum fuit Lampertus Zula Polonus, qui non miſit pro pallio, ſed Epiſcopali dignitate contentus fuit; Nec Succeſſor ejus Stanislaus intermiſſo jam titulo Archi-Epiſcopali ſplendeſcere voluit. Epiſcopi Cracovienſes Sacris operantes pallio margaritis diſtincto utuntur. Notandum hîc, quòd cum Epiſcopatu Cracovienſi etiam Archi-Epiſcopatum Gneſnenſem Fridericus, Princeps Regius Alexandro VI. & Petrus Gamratus Paulo III. ac Bernhardus Maciejowski,

ki, Paulo V. indulgente tenuerunt. Fridericus ille ab eodem Papa honoris cauſa in Cardinalium Collegium eſt cooptatus. Epiſcopo huic Cancellaria Regia Titulum admodum Reverendo Przewielebnemu, reliquis verò Epiſcopis Reverendis inſcribit.

XVII. Quòd Epiſcopus Cujavienſis, nolente, abſente, vel prorſus non exiſtente Archi-Epiſcopo Gneznenſi, Inter Regis Officio fungatur, jam ſuprà oſtendi. Licet inter Pruthenicos non cenſeatur, habet tamen Jurisdictionem in Provinciam Pomerellicam, & Neringiam, ut vocant, Gedanenſem.

XVIII. De Epiſcopo Poſnanienſi hoc notandum, quòd etiam in Mazovia Jus Epiſcopale exerceat.

XIX. Plocenſis Antiſtes eſt Pultovienſis Territorii Supremus Princeps, nec ab illo datur provocatio ad Regem.

XX. De Epiſcopatu Varmienſi notandum, quòd Paulus de Legendorff ſe & Varmiam Regi Poloniæ tradiderit Anno 1466. Eſt ille Præſes Terrarum Pruſſiæ, habens ſub ſe Nobilitatem ab omni Regiorum Magiſtratuum Jurisdictione exemptam, ſicut Cracovienſis in Ducatu

tu Severiæ. Henricus Sorbohm à Carolo IV. Imperatore pro ſe & quolibet Epiſcopo Varmienſi accepit titulum Principis Romani Imperii, exſtat tamen Bulla, ubi idem Imperator ejusdem Anteceſſori Joanni Streyfrok eundem titulum tribuit. Olim Papa prætendebat ſibi ſoli Epiſcopatum Varmienſem ſubeſſe, de quare Joannes I. Roma Reſcriptum accepit, deinde ingerebant ſeſe Magiſtri Ordinis, qui tamen Ao. 1466. cùm inter Regem pax conſtitiſſet, juri ſuo renunciarunt. Nihilominus usq; ad tempora Fabiani de Luſianinis ratione Electionis inter Reges & Capitulum Controverſiæ fuerunt, donec ille Anno 1512. in Comitiis Petricovienſibus Sigism. I. Jure Patronatus ceſſerit. Olim iſte Epiſcopus Brunsbergæ habuit ſedem, nunc Heilsbergæ.

XXI. Culmenſis Episcopus olim Varmienſi fuit ſuperior, cùm ipſius Epiſcopatus fuerit antiquior, Reſidentiam ſuam habet Lübaviæ.

XXII. Episcopatu Kijovienſi ſubjecta eſt, *Conſtitut: Anno* 1638. Diæceſis Czèrnichovienſis & Novogrodnenſis Severiæ ultra Boryſthenem.

XXIII. Epiſcopatus Vendenſis per Pacta Oli-

Olivenſia ſublatus, ſed per Ordinationem Livonicam Anno 1677. inſtitutus eſt Epiſcopus Livoniæ.

XXIV. PALATINI munera ſunt, eſſe Ductorem Copiarum ſuæ Satrapiæ in expeditionibus bellicis, indeque nomen habet linguâ vernacula, ut Wojewoda vocetur, quaſi Dux belli ſive Copiarum. In Conventibus Nobilitatis præſidet, pretia rebus venalibus imponit, ponderum & menſurarum curam gerit. Judæorum etiam Patrocinium & Judicia ad eundem pertinent. Habent ſuos Vice-Palatinos juratos, qui poſſeſſionati ſint, oportet. Rem hic notatu dignisſimam appono, quòd quilibet ex Palatinis ſit Princeps creatus, juxta *Statutum Lithvanicum*.

XXV. Proximum à Palatinis honorem obtinent CASTELLANI, niſi quòd Cracovienſis Caſtellanus à tempore Boleslai Krzyvouſti primas obtineat, & conceſſu ſuffragioque omnes Palatinos antecedat. Palatini Cracovienſis & Poſnanienſis alternis inter ſe vicibus priora & poſteriora loca occupant. Porrò Caſtellani Vilnenſis & Trocenſis, ac Samogitiæ Capitaneus inter Palatinos eminent: Notandum hîc, quòd Cancellaria Regia Caſtellano Cracovienſi tan-

quam primo inter Seculares Regni Senatores, & Palatino Vilnenſi, tanquam primo in Lithvania Senatori, titulum Illuſtris Jaſnie Wielmozny inſcribit. Quod etiam Rex Mareſchallos & Cancellarios ſupremos eodem titulo per literas compellet, habet *Piaſecius in Chronico* non autem Cancellaria in uſu, à qua illis, ut Palatinis & Caſtellanis Majoribus tribuitur titulus Magnifici, Wielmozni, Minoribus Caſtellanis Generoſi, Vrodzeni. Caſtellani quaſi Legati ſunt Palatinorum, & Ductores Nobilitatis ſub ſuo quisq; territorio. Inter Caſtellanos verò Majores & Minores hæc eſt differentia, quòd illi (exceptis nonnullis) à Palatinatibus: hi à terris denominentur, diſcrimen quondam inter ipſos majus fuit ita, ut minores interdum etiam ſubierint munus nunciorum terreſtrium. Sed uſus hodiè illos cum cæteris exæquavit. In Lithvania tamen non eſt mos minores Caſtellanos creare; prout in Polonia: Nam quælibet Satrapia duos tantùm Senatores, Palatinum & Caſtellanum habet. Quilibet ex hiſce Dignitariis in Palatinatu vel terra ſua habere debet poſſeſſionem veram. Palatinatus & Caſtellaniæ nec inter ſe ſunt compatibiles, nec ibidem cum Capitaneatu vel alio quocun-

quocunque officio, excepto Palatinatu & Caſtellania cum Capitaneatu Cracovienſi, *Caſimir. III. in Conventu Nieſzov: Ao.* 1454. *Sigism. I. Anno* 1538. *& Sigism. Auguſt. Anno* 1562. vide Statuta *Laſcii & Herburti*, item Palatinatu Kijovienſi & Czerniechovienſi, juxta *Conſtit.* 1635. Nullus etiam Caſtellanus poteſt eſſe Burggrabius Cracovienſis, cum cujuslibet Caſtellani præſentia in expeditione generali opus ſit, Burggrabius verò in Caſtro Cracovienſi adeſſe teneatur. *Conſtit. Ao.* 1562. *p.* 23. Pacis autem tempore Caſtellani præter munus Senatorium nullam habent jurisdictionem.

XXVI. Juramentum, quod Senatores, qui non ſunt Officiales, præſtant, hujus tenoris eſt: *Ego N. juro, quia Sereniſſimo Principi ac Dno. Dno. N. Regi Poloniæ fidelis ero, pro ejusq; Majeſtate & Reipublicæ Regni ſui fideliter conſulam, & in judicio juſtè ſententiam dicam, ſecreta, quæ mihi per Suam Majeſtatem & Conſiliarios ejus dicentur, contingentia vel Majeſtatem Regiam vel Rempublicam aut utrumq; nemini injacturam Regiam & Reipublicæ pandam, & pro poſſe meo utilitates Suæ Majeſtatis Regiæ Regni & Reipublicæ augmentabo; quicquid verò ſcivero, intellexero, aut ſenſero Suæ Majeſtati Regiæ, Regno & Reipublicæ nocibile*

& damnoſum præcuſtodiam, & ne fiat, me opponam & illud avertam. Sic me DEUS adjuvet, & hoc ſacrum Evangelium, aut hæc ſancta Crux. vid Conſtit. 1588.

XXVII. Cum Regis Regniq; amplitudo requirat, ut ſint aliqui ſingulares Magiſtratus, ideoque de iis ſpeciatim agere, non abs re erit, & primò quidem de Supremis Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ MARESCHALLIS. Uti Cancellariis Sigillum, ita Mareſchallis ſcipio datur. Poteſt autem officium hoc viris de quacunque terrâ, dummodò ſingulari prudentiâ ſubnixis, conferri, juxta *Caſim. III. Ao.* 1454. Præferunt illi immediatè ante Regiam Majeſtatem ſcipiones, adeò ut Principes Regis Patrem non præcedant, ſed ſequantur. Incumbit Mareſchallis, ut in loco Conventus Generalis, tàm ſub Rege & in Aula Regia, quàm ſub Inter Regno omnia in tuto ac tranquillo ſint. Coërcendi ergò & puniendi facinoroſos, etiam ultimo ſupplicio, Poteſtatem habent, eſtq; eorundem forum ultimæ ferè inſtantiæ, & cum aliqua eſt cauſa majoris momenti, non per viam Appellationis, ſed Informationis ſententia Regia expoſcitur. Habent præterea facultatem præſtandi ſilentium, faciendiq; Copiam dicendæ Sententiæ, Legatos extra-

extraneos introducendi, moderandi pompis publicis, diverſoria diſtribuendi, imponendi rebus venalibus pretia, undè etiam tributum Forale ipſis provenit. Dum autem Rex in Expeditione bellicâ & loco campeſtri conſtitutus eſt, Supremus Exercituum Dux communi conſilio pretium rebus imponit. Quæ & alia munia iisdem injuncta ſunt ab Alexandro in Conventu Petricovienſi Anno 1504. Quamobrem ob tot curas officium hoc cum aliis incompatibile eſt, ordinatione *Sigism. Auguſt. Anno* 1565. *p.* 84. vid. *Pacta Conventa Michaëlis & Joannis III.* Cùm interſit Reſidentiæ Regiæ, ne unquam Officium Mareſchalcale ad aulam vacet, debent Mareſchalli Regni Magniq; Ducatus Lithvaniæ ita inter ſe dividere tempus, ut quilibet eorum per quadrimeſtre ad latus Regium commoretur, & munia quævis officio incumbentia ſine ullo reſpectu adimpleat, hoc Ordine primus erit Supremus Regni, ſecundus Magni Ducatus Lithvaniæ. Poſthac Mareſchallus Curiæ & deniquè Lithvaniæ ſuccedet, uti ordinatum legitur in Punctis Anno 32. ad Caſtra Varſavienſia porrectis. Ipſis abſentibus Cancellarii vel Theſaurarii functionem hanc exercent. Juramentum, quod præſtant, ſequens

eſt: *Ego N. juro, quod Sereniſſimo Principi & Domino, Domino N. Regi Poloniæ & ejus Succeſſoribus & Regno Poloniæ in hoc Officio Mareſchalcatus mihi commiſſo fidelis ero, illudque tàm in Conventibus publicis, quàm etiam in aliis locis in Aula Majeſtatis Regiæ ſummâ fide & diligentiâ adminiſtrabo, non privati mei alicujus quæſtus, ſed dignitatis & utilitatis tantùm Majeſtatis Regiæ & Regni Poloniæ gratia. In Conſilium Regiæ Majeſtatis adhibitus illud ego fidele Majeſtati ejus & Regno Poloniæ præſtabo. Nulla ſecreta, quæ mihi aliquando à Majeſtate Regia vel Senatoribus Regni communicata fuerint, præter voluntatem vel in præiudicium Majeſtatis ejus & Regni Poloniæ revelabo. Pericula omnia, quæ imminere Regno & Regi Poloniæ ſcivero aut opinabor, Majeſtati ejus & cæteris Senatoribus indicabo, & pro poſſe meo avertam. Perſonæ cujuſq; dignitatis rationem pro loco & tempore habebo. Seditiones, contentiones, rixas, ſcandala, exceſſus, maleficia, ne fiant in Aula Regia & in Conventibus publicis, omni meâ operâ & diligentiâ providebo. Quod ſi fortè aliqua eiusmodi acciderint ea, quantum in me erit, ſedabo aut animadverſione juſtâ vindicabo, idque conſenſu juſſu & autoritate Maieſtatis Regiæ: cæteraq; officii mei munera & onera juxta præſcriptum Statutorum Regni fideliter obſervabo, idque non ſine mutuo conſilio & Conſen-*

ſu

ſu cæterorum Regni Conſiliariorum & Officialium, qui præſentes in Aula fuerint. Sic me Deus adjuvet & ſancta ejus Crux!

XXVIII. CANCELLARIORUM munere antiquitùs ſoli ferè Sacerdotes functi ſunt, utpotè qui barbaris iſtis ſeculis ſoli ferè literarum cognitionem habuerunt, adeòque illis officiis præfecti ſunt, quæ ſine literarum adminiculo obiri nequiverunt. Caſimirus hujus Nominis primus, inter Reges primus refertur, qui linguâ calluit Latinam. Jam pridem verò Poloni è Græciâ ſimul & Latio pulſas aut ſpretas Muſas apud ſe comiter habent. Planè Romanæ par Reſpublica Polona, quæ viros alit non minùs robore ac prudentiâ, quàm eloquio florentiſſimos. Felicior lingva, quàm Respublica Romanorum. Hæc periit, illam in hunc usq; diem orbis perit, ita fructus ingenii magis perennant quàm vires. Poſteà Lege cautum eſt, ut unus ex iis ſacri, alter profani Ordinis haberetur, propter actiones, quæ interdum tales eveniunt, quòd Spirituali Perſonæ executionem committi non conveniat. *Sigism. Cracoviæ Anno* 1507. Secretariis, Scribis, Sacerdotibus, Concionatoribus, Aulicis, Ceremoniisque Eccleſiaſticis, præſertim is qui

qui eſt de Eccleſiaſtico Ordine moderatur. Si Spiritualis ante infulam adeptam Sigillo potiatur, tunc ſedem inter Cancellarios ſeculares obtinet, atque aureâ catenâ inſtar faſciæ pendentis utitur. In Lithvania uterque eſt Secularis: Majores verò Epiſcopatus, Gnesnenſis, Cracovienſis, Vladislavienſis, Posnanienſis, Varmienſis, Plocenſis, cum Officiis Sigillorum Regni, ſunt incompatibiles. *Alexander Petricoviæ Anno* 1504. Hinc tempore Sigism. Auguſti in Comitiis, Maciejovius contra Leges ſub proximis Regibus latas, Cancellarius ſimul & Antiſtes Cracovienſis eſſe arguebatur. Laurentius etiam Gembicki exiſtens Epiſcopus Culmenſis, Cancellariatum Anno 1608. aſſequebatur, & poſteà Anno 1610. Epiſcopus Vladislavienſis denominabatur, & nihilominus utramque dignitatem per tres annos retinebat, tandem cùm in Comitiis Anno 1613. Status & Ordines Regni, præprimis verò Sigismundus Miskowski Mareſchallus hoc ægrè ferrent, Cancellariatu cedere coactus fuit. In felicibus gloriosè regnantis Joannis III. Comitiis Coronationis Sigilli Regni Cura Reverendiſſimo Domino Stanislao Wyzgæ Epiſcopo Varmienſi permiſſa eſt, nam ejusdem raræ ingenii dotes

& miræ

& miræ vires eloquentiæ, quibus ſingulariter de Republica meruit, prævaluerunt ut lex pro hâc vice diſpenſata ſit, *Conſtitut.* 1676. Allegabat tamen Trzebicius Epiſcopus Cracovienſis, cùm pro illo meritiſſimo Patriæ Cive verba faceret, exemplum quod Tylicius ab Epiſcopatu Culmenſi cum Sigillo ad Varmienſem aſcenderit. Nec minus Seculares Palatinatum aut Caſtellaniam accipientes tenentur Sigillo renunciare. *Idem Alexander Petricoviæ Anno* 1540. Quanquam è contra nonnulli ſupremos Palatinatus & Caſtellanatus dimiſerint, ut Cancellariatu gaudere poſſent, niſi quòd meritiſſimus ille Neſtor Joannes Leſzczynius Cancellariatui renunciaverit, & poſthac Palatinatum Cracovienſem geſſerit. Antehac Mareſchalli, Cancellarii, & Theſaurarii non habebant locum in Senatu, ſed in Comitiis Lublinenſibus, cùm aſſignaretur ejusmodi Magiſtratibus Lithvanicis in Senatu locus, quem in Lithvania habuerant, Polonicis quoque ea prærogativa meritò conceſſa eſt, *Piaſecius ſub Anno* 1607. Sed jam antiquiùs eos fuiſſe Ordinis Senatorii indè patet, quòd in Comitiis Petricovienſibus Nuntii rogaverint, ut Rex iſtas dignitates diſtingveret, ne ſcilicet Pa-

latinis & Caſtellanis ſimul conferret. In Petricovienſi Statuto Alexandri (qui utique ante Sigiſmundum Auguſtum ſceptra tenuit) hæc leguntur: *Statuimus, quòd Theſaurarius Regni quemadmodum Coronatorum & Theſaurorum Regni, quæ omnium rerum ſumma ſunt, conſervator & cuſtos exiſtit, ſic non immeritò fungi debeat Senatoriâ dignitate.* Cancellarii & Pro-Cancellarii munus alternatis vicibus penes Epiſcopos, & par utriusq; eſt autoritas ac poteſtas, excepto, quòd Supremus ſit majoris, Vice-Cancellarius minoris Sigilli Cuſtos, & hic non niſi illo abſente, Aſſeſſorialia exerceat Judicia, in quibus cauſæ Civiles & Fiſci, omnesque aliæ, quæ ad Regiam Jurisdictionem pertinent, cognoſcuntur. Cùm Reges ipſorum ore in occurrentibus negotiis loquantur, manuque in conſignandis utantur, rectè à *Przyluſio fol.* 200. oculi, mens, lingua, & manus Principis dicuntur. Quid aliud eſt Cancellarius, quàm defenſor jurium Maieſtatis, Argo Reipublicæ, libertatis Cuſtos, Patriæ Philarum? Officio huic major pars curarum Principis incumbit, per quod maximam poteſtatem ſuam, hoc eſt, beneficam vim Deo propriam exercet. Cùm ergò Reipublicæ plurimùm interſit huic digni-

dignitati viros omnium doctrinarum virtutumque genere inſtructiſſimos præfici, ſingulari lege cavit, Cancellariatum, non niſi ex conſilio Senatorum, in publicâ Comitiorum facie conferendum eſſe atq; deponendum. *Alexander in Convent. Petricov: Anno* 1504. Non deſunt tamen exempla, quòd etiam extra Comitia hoc munus collatum fuerit. De Illuſtriſſimo Principe Michaële Radzivilio, Magni Ducatus Lithvaniæ Pro-Cancellario, Olſzowski tunc Vice-Cancellarius Regni, ad Dominum Wolowicz Campi-Ductorem Magni Ducatus Lithvaniæ ita ſcripſiſſe memini; Radzivilium Principem quod attinet, quamvis non in Comitiis Generalibus ſuſceperit Vice-Cancellarii munus, nec in Comitiis Juramentum præſtiterit, excuſari tamen poteſt gemino Magni Ducatus Lithvaniæ exemplo, quorum Autoritati ac muneri hoc nihil derogavit, neque Respublica novo emergenti contradixit, aut ne inpoſterum ſimile quicquam fieret, præcavit. Ita etiam Gedani die 28. Octobr. Anno 1677. extra Comitia Reverendiſſimus Dominus Wyzga ex Vice-Cancellario Supremus creabatur, & officium ejus præclaris Illuſtriſſimi Domini Wielopolſcii, tunc Dapiferi Regni, virtutibus

conferebatur; Ille, reddito Sigillo minori, à Rege majus, hic verò minus accipiebat. Pro quo honore uterque, ut moris eſt, ſtando agebat gratias. Aquila, quæ inſigne Regni eſt, plerumque Cancellarios Spirituales alis ſuis ad dignitatem Primatialem evehit. Cancellariorum Jusjurandum hâc formulâ conceptum extat: *Ego N. Regni Poloniæ Cancellarius (vel Vice-Cancellarius) juro, quòd Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino N. Poloniæ Regi & Maieſtatis ejus Succeſſoribus ac Regno Poloniæ, in hoc Officio Cancellariatus (vel Vice-Cancellariatus) mihi commiſſo fidelis ero. Nullas literas Pargamenas ſine ſcitu & expreſſâ voluntate Regiæ Maieſtatis tradam. Papireas verò nullas tàm in Regno, quàm extra Regnum, quæ vel Regiæ dignitati vel honeſtati derogent, vel ex quibus damnum aliquod ad Maieſtatem eius vel Regnum pervenire poſſit, & quæ Juri communi & libertatibus adverſentur, aut literis ex Cancellaria datis contrarias eſſe ſcivero. Membranas item nullas unquam tradam præterquam papyreas, idq; ſciente tantùm aut jubente Regia Maieſtate. Conſilium fidele Maieſtati Suæ & Reipublicæ præſtabo, neq; ulla unquam Secreta, quæ mihi communicata fuerint præter Suæ Maieſtatis voluntatem & mandatum revelabo: & pericula omnia, quæ imminere vel eius Maieſtati vel Regno undecunq;*

cunq; scivero & cognovero, Maiestati eius deferam, & pro posse meo avertam. Sic me Deus adiuvet & hæc Sancta Evangelia.

XIX. THESAURARIUS est promus & condus Thesauri, & Magister Officinæ monetariæ, unus in Regno, alter in Magno Ducatu Lithvaniæ. Traditur autem Thesaurus per quatuor Dignitarios, duos ex Majori, & duos ex Minori Poloniâ, ex Majoribus Consiliariis, qui regestrum ejus conscribunt, atque unum Regi, alterum Thesaurario dant, tertium ipsi asservant. *Sigismund. Aug. Anno* 1563. Sub dicto Rege Thesaurariatus aliarum Dignitatum capax erat, sed idem Rex incompatibilem declaravit. *Constit. Ao.* 1567. Ad excipiendas Thesauri rationes solent in Comitiis nonnulli ex Ordine Senatorio, atque Equestri deputari, vigore *Constit.* 1562. 1564. Juramentum, quo se Thesaurarii obstringunt, ejus est tenoris: *Ego N. iuro, quòd Serenissimo Principi ac Domino, Domino N. Regi Poloniæ & Maiestatis eius Successoribus, ac Regno Poloniæ, in hoc Officio Thesauriatus mihi commisso fidelis ero, illudq; summâ fide & diligentiâ administrabo, non privati mei quæstus, sed dignitatis tantùm & utilitatis Maiestatis Regiæ & Regni Poloniæ gratiâ, coronam & alia insignia Regni, Privilegia*

legia & theſauros omnes Regni diligenter conſervabo. Reditus omnes & ſingulos Regni, & omnia quæ ad fiſcum Regni pertinent, ſummâ curâ & fidelitate exigam & diſpenſabo. Curam monetæ cudendæ, quando uſus poſtulaverit, rationes ærarii, expeditiones militum, Aulicorum, Legatorum, & omnium eorum negotiorum, quæ ad uſus privatos & publicos Maieſtatis Regiæ & Regni Poloniæ pertinent, cæteraque omnia mei officii munia & onera fideliter, & ſecundùm præſcriptum Statutorum Regni procurabo, idq; non ſine mandato Maieſtatis Regiæ & Conſilio Conſiliariorum & Officialium Regni. In conſilio Maieſtatis Regiæ & Regni Poloniæ fidele conſilium dabo. Nulla ſecreta, quæ mihi à Maieſtate Regiâ vel à Senatoribus Regni communicata fuerint, præter voluntatẽ, & in præiudicium Maieſtatis Regiæ & Regni Poloniæ revelabo. Pericula omnia, quæ imminere Regno & Regi Poloniæ putavero, Maieſtati Suæ & Senatoribus Regni indicabo, & pro poſſe meo avertam. Sic me DEUS adiuvet, & Sancta DEI Crux!

XXX. Proximè Theſaurarios in conſeſſu Mareſchalli Curiæ ſeqvuntur, qui abſentibus ſupremis, ea omnia, de quibus ſuprà actum eſt, negotia adminiſtrant. Si vacat officium Mareſchalli Supremi, non eſt de neceſſitate, ut pro Succeſſore Mareſchallus Curiæ denominetur.

CAP.

Cap. VII.

DE ORDINE EQUESTRI ſive NOBILITATE.

I.

TErtium in Republicâ noſtrâ Ordinem conſtituit Nobilitas, ad regimen & defenſionem cœteræ multitudinis ſegregata.

II. Nobilitas nova Regiæ potentiæ ex Conſenſu Comitiorum, Opus eſt, antiqua verò temporis ſolius. Olim Nobilitates à Regibus per Diplomata concedebantur, poſteà jus hoc ad Comitia translatum, uti in *Conſtit.* 1578. cautum, ne plebeji creentur Nobiles, niſi in Comitiis, cum ſcitu Dominorum Conſiliariorum vel in Exercitu ob ſtrenua facinora. Porrò Sigism. III. Anno 1601. conſtituit, quòd nemini debeant jura Nobilitatis concedi, niſi à Senatu & Nunciis Terreſtribus, & in Exercitu à Duce commendatus fuerit, & ita quidem, ut per Conſtitutionem recipiatur, cùm nullæ literæ Nobilitatis validæ eſſe debeant. Cautum etiam ſimul eſt, ne ſubditus contra voluntatem & conſenſum Domini ad Nobili-

Nobilitatem evehatur. Deniq; Rex Michaël glorioſæ memoriæ in Pactis Conventis cavit, quod nullos extraneos, vel quemcũq; ad Indigenat⁹, vel Nobilitatis ornamenta promoturus ſit, niſi quos Exercituum Duces utriusq; nationis, & Ordines Regni Magnique Ducatus Lithvaniæ commendabunt, eosque qui honores iſtos ſangvine promeruerint, & quorum virtutes in Rempublicam ac merita probata erunt. Creatis verò Nobilibus vel Indigenis officia & beneficia ad tertium gradum conferenda, neque iidem Legationibus obeundis denominandi, exceptis illis, qui de bello optimè meruerunt, & qui tàm vitâ, quàm ſubſtantiâ Patriam juvarunt, vel juvabunt. In nonnullis adſcripta reperitur hæc vox, quòd *ex nunc* habiles eſſe debeant. Idem etiam promiſit modernus Rex Sereniſſimus. Sed Ao. 1676. conſtitutum, ut illi, qui jura Nobilitatis ambiunt, à Rege, vel Ducibus Exercituum gentis utriusque priùs in Comitiolis commendentur, ibidemque recepti, tandem in Comitiis generalibus admittantur.

III. Ne autem hæc Virtutis & honoris nomina vilipendio exponantur, non debet Nobilis ad inſignia ſua recipere ignobilem, ſub amiſſione

ſione propriæ Nobilitatis, de quo forum habebit in Tribunali inter cauſas officii ad inſtantiam cujuscunque Nobilis 1633. Vult etiam illa Conſtitutio, ut circa deductionem Nobilitatis ultra teſtes, qui in legibus antiquis reqviruntur, teſtimonia authentica literaria, i. e. reformationes, diviſiones, & bonorum terreſtrium poſſeſſiones producantur. Cui verò ignobilitas objicitur, ille non poteſt objicientem reconventionaliter ignobilitatis arguere, donec priùs ſeipſum juſtificaverit. Suprà allegata Conſtitutio refert quoque modos, quibus Nobilitas amittitur, ſcil: ſi quis mercaturam, cauponariam, vel aliam ſordidam artem exerceat. Imò annumeratur etiam geſtio Magiſtratus civilis, contra quod punctum tamen proteſtationes emanaſſe aſſeritur. Hîc devenio ad illos, qui declarationem Nobilitatis impetrant, ubi notandum, quòd cum nihil novi obtineant, & avitis gaudeant inſignib⁹, Diplomate Regio opus non habeant, nec ipſos lex de novis hominibus afficiat, nam quoniam pro antiquis reputantur, ad quævis munia & officia capaces ſunt.

IV. Utut magna Nobilitatis Polonicæ prærogativa ſit, tamen juxta *Statutum Alexandri Anno*

1505. etiam ille pro vero Nobili æſtimatur, cujus mater eſt ignobilis, dummodò Pater ſit Nobilis. Si cui judicialiter illegitimitas objecta fuerit, & ipſe non ſufficienter ſe extricaverit, tunc juxta *Conſtit.* 1578. nullis immunitatibus & prærogativis Equeſtris Ordinis gaudeat, tamdiu donec illam maculam legitimè abſterſerit, nec ipſum Decreta ex condictamine obtenta juvare poſſunt. Nobilitatis & inſigniorum cognitio & abjudicatio ad Comitialia Judicia refertur, quamvis ad Tribunal hæc etiam cauſa ſpectat. Si quis fraude & dolo ſe pro Nobili gerat, cùm non ſit, bonorum privatione punitur, quorum dimidia pars Fiſco, dimidia Delatori cedit. Impoſſeſſionatus verò ſubit pœnam carceris, per dimidium annum. Ad hæc ſi talis Pſeudo Nobilis interficiatur ab aliquo, & contra homicidam agant, quibus competit, tanquam pro capite veri Nobilis, qui declaratus Pſeudo Nobilis, nulla pœna contra homicidam decernitur. *Sigism. Aug. in Conv. Varſav. Ao.* 1577. & 1589.

V. Faſtigium Equeſtre populi Poloni pulcherrimum eſt, uti Romæ titulus civis Romani ſupra quævis alia agnomina exterarum Nationum præſtantiſſimus & clavis ad honores fuit.

Quam-

Quamvis enim apud nos nonnulli Dignitate præcellant, Jure tamen nihilominus cum aliis æquali continentur. Æqualitate libertas conſtat, *Ordo ille Seminarium Senatus eſt, inde ad Primatialem Crucem, Scipionem Mareſchalli, Cancellarii Sigillum, Clavam belli, ad tiaras curulesq; evectos ſubmiſſo capite & de genu populus veneratur. Magnanimi eorum animi magnis honoribus fiunt. Judices Generales Supremum ad Regni Tribunal è media Nobilitate deligimus, qui Majeſtate ferè Regia decernunt, venerationi ſunt, & quos Prætores fecimus, miramur*, ut verbis utar felicis illius Cenſoris, utpote cujus cenſuram de eligendo Piaſto Respublica campi Electoralis Domina jam bis optimam cenſuit. Hinc etiam in Comitiis Coronationis, cum poſt adeptum Archi-Epiſcopatum Sigillum Regni redderet, inter cætera profitebatur, quòd ſuſtulerit ex Iſraël opprobrium, non poſſe Regem, niſi ex Principibus externis fieri.

VI. Nullum in Polonia Comitum Ducumve diſcrimen eſt; illos enim ab externis Principibus oblatos titulos Nobilitati Suæ non præferunt, ſed talibus ornamentis inſignitos paritati Juris & pœnæ ſubeſſe volunt. *Conſtit.* 1638. 1641. Hinc Magnus ille non Poloniæ tantùm, ſed & ſe-

culi decus Joannes Zamoyſcius ſupremus Cancellariæ Militiæque Regni Præfectus titulum Ducis, & honorem aurei velleris, quod ipſi à Legato Regis Hiſpaniæ offerebatur, recuſavit, dicens, ſibi ſuisque poſteris abundè honorum Regem ſuum & Patriam ſuppeditare, ſi eos mereantur, externos verò honores ſuperfluos, & alienos à dignitate Regis ſui & Patriæ legibus videri. Eodem tempore oblatus fuit Firleio Palatino Cracovienſi titulus Comitis, quem etiam pari conſtantia & laude poſthabuit. Sic etiam cum Sigism. I. Viennam Auſtriæ ad viſitandum Maximilianum Imperatorem veniſſet, & hic Primoribus, (qui cum Rege tunc erant) Ducales, cæteris Comitum obtuliſſet titulos, reſponſum eſt, ſe gratias habere Cæſareæ Majeſtati pro iſto benevolentiæ documento, ſed Nobilitate contentos velle vivere, nec quicquam alieni legibus Patriæ & æqualitati communi inducere, teſtante *Fred. in Henrico Valeſio p.* 74. Imò ad Nobilitarem æqualitatem, quæ magnis ſemper titulis par eſt, conſervandam, *per Conſtitut. Anno 1673.* tituli extranei, ut Principatus, Comitatus, omnesque alii perpetuis temporibus abrogati & ſublati ſunt, quò nemo ejusmodi titulis, inſignibus,

ſupra

ſupra æqualitatẽ Nobilitarem in Regno uti auſit, ſub pœna perpetuæ infamiæ, de quo forum ad cujusvis inſtantiam in Tribunali. Tituli autem omnes, qui cum unione Magni Ducatus Lithvaniæ, uti & Palatinatus Kijovienſis, Volhynenſis & Braclavienſis per incorporationem acceſſerunt, intacti relinqvuntur, juxta *Conſtit.* 1638. 1641. Quoniam ſuperiùs facta eſt de Comitibus mentio, adjiciendũ hîc eſſe putavi, quod ſub Vladislao Jagellone Rege circa An. 1416. cum ille privigno ſuo Joanni Granovio ex Eliſabetha Pilecia nato Diploma de Comitatu ſubſcripſiſſet, Albertus Epiſcopus Cracovienſis & ſimul Regni Cancellarius ſignare noluerit, quòd eodem titulo contra leges ornatus eſſet. *Herb. in Chronico p.* 228. Antiquius autem Comitum & Baronum titulus tribuebatur omnibus, qui cum dignitate vel Magiſtratu aliquo aulæ Regis aderant. Undè in Legibus ſæpè invenies, Proceres, Comites, Barones, Regni Poloniæ, qui tamen non hæreditarii, ſed honorarii erant.

VII. Prærogativæ autem Nobilitatis hæ potiſſimùm ſunt:

1. Libera Regis Electio, quæ non multorum ſed ſingulorum fit ſuffragiis, nemine contradi-

cente. Sicut in Comitiis Arragonum uno conſultis contraveniente, omnes diſſentire videbantur. Hinc etiam non cuivis conceditur hanc adire Corynthum; Duces enim Maſoviæ licet Principes eſſent IndigenæRegni vetuſtisſimi generis, & locum in conſiliis, Terrarum Conventibus &Comitiis haberent, voce tamen eligendi Regis deſtituebantur. *Przyluſius fol.* 784. Sic & Princeps Carolus Ferdinandus in numerum Conſiliariorum Regni admiſſus eſt, impetrato conſenſu ad Epiſcopatum Plocenſem, Jus nominandi, inaugurandi, coronandi Regis, eidem conceſſum non eſt, juxta *Conſtit.* 1641. Imò Princeps ille nunquam locum in Senatu ſibi competentem occupavit, eminentiam Domus Regiæ conſervando. Sub InterRegno Sigism. III. Anno 1642. Coſacis Zaporovianis, qui per Nuncios ſuos ad danda ſuffragia in Electione Regis admitti petierunt, ſeverius, ut decebat, reſponſum fuit, nempe Coſacis ex plebe collectis nullas partes in Conſiliis publicis, nec in Electione Regis competere, quæ ſoli Senatui ac Ordini Nobilium convenirent, referente *Piaſecio in Chron. ſub dicto Anno.* Idem ipſis ſub InterRegno poſt Abdicationem Regis Joannis Caſimiri Ao. 1669. reſponſi

reſponſi loco dabatur, cùm per Deputatos ab Archi-Epiſcopo ſciſcitarentur, num gaviſuri eſſent in futura Electione aliquo ſuffragio. Magnum certè libertatis, quæ inter præcipua animi humani bona cenſentur, momentum eſt, illi parere, quem ſponte elegeris. Quàm ingens bonum & donum ſit libera animi Electio ipſe DEUS monſtrat, dum nemini niſi ſolis Regibus, ſcilicet Davidi, Salomoni, Achæ, & Ezechiæ, gratiam eligendarum rerum feciſſe ex Scriptura pateat.

2. Quod Nobilis poſſeſſionatus non adjudicandus carceri à Rege, niſi Jure victus, *Conſtitut. Anno* 1550. præterquam in publico maleficio, *Herburtus fol.* 103. vel in Regeſtris maleficorum ter deſcriptus ſit; dedit autem hoc Privilegium Nobilitati Vladislaus Jagello Anno 1430. Fundamentalis hæc libertatis Nobilium, & in Capitulatione Regia juramento comprobata lex eſt. Nobilis Nobilem captivans incurrit pœnam centum viginti marcarum ac in fundo ſeſſionis turricæ, per unum annum pro pœna publica, quod æqualem ſibi captivaverit, & deniq; triplicato temporis ſpatio, quo alium detinuit, detineri debet ſub pœna infamiæ. Damna etiam refun-

refundere tenetur, Sigism. III. 1588. Idem intelligendum de Capitaneo, qui ſub prætextu Officii Nobilem captivavit, excepto jure victo & recenti crimine, *ibidem.*

3. Quod Milites in bonis Nobilium nullas Stationes habeant, ſed ex foro vivant. *Sigism. Anno* 1588. *& Joann. Caſimir. Anno* 1650. ſub pœna infamiæ prævia Citatione vindicanda, & in *Conſtit: Ao.* 1659. ſub pœna bis mille marcarum & triplici refuſione damnorum, & noviſſimè ſub pœna capitis irremisſibili; Forum injuriatis aſſignatur in Tribunali ex regeſtro militarium. *Conſtit.* 1678. *p.* 26.

4. Quod Nobiles in ſubditos, uti olim Romani in ſervos, jus vitæ & necis antiquitus habeant.

5. Quod ſi in fundis Nobilium metalli, vel ſalis fodinæ, aut ſimile quid reperiatur, reditus ad Dominum fundi ſpectent. *Pacta Convent. Sereniſſ. Joann. III.* Olim tantùm ſpecialibus privilegiis Regum Poloniæ hujusmodi Regalia, quærendi metalla concedebantur, poſtea per *Conſtitut. Anni* 1576. cautum, quòd Nobilitas omnes utilitates ex fundis ſuis liberè recipiat, vid. *Lipsk. in Obſervat. Pract.*

6. Quòd

6. Quòd Domus Nobilis inſtar aſyli ſit, ubi facinoroſi arreſtari, vi autem illicò extrahi nequeunt.

7. Quòd Nobiles non adſtricti ſint vias publicas juri ſtapulæ aſſignatas obſervare, de quo *Conſtit.* 1565. prolixiùs agit; exponendo Civitatum deſuper privilegia.

8. Si extraneus aliquis in bonis Nobilium ſteriliter moriatur, bona ejus non fiſco Regio aut Reipublicæ, ſed Domino fundi cedunt, quod jus caduci alibi inter Regalia recenſetur. *Conſtit. Anno* 1588.

9. Quod Nobilis ægrotans coram Delegato Regio recognovit, adeò firmum & validum æſtimatur, ac ſi judicio actisque publicis inſinuatum eſſet, prout ex *Statut. Sigism. Auguſt. Anno* 1550. à Lipſcio in Obſervationibus pag. 181. allegato videre licet. Aliàs verò non eſt licitum, ut officium ad quempiam proficiſcatur pro recipiendo actu aliquo *dict. Sigism. Auguſt.* 1550.

10. Quòd Nobili ſine liberis defuncto, ſi cognati uſq; ad octavum gradum incluſivè ſuperſint, Rex extraneo bona ejus jure caduco non conferat. *Sigism. III. in Conſtit. Anni* 1588.

11. Inter privilegia Ordinis Equeſtris etiam

hoc eſt, quòd non plebejæ ſed Nobiles tantùm perſonæ ad Eccleſias Cathedrales recipiantur, *Conſtit.* 1550. Theologiæ & Jurisprudentiæ Doctoribus aliquot exceptis.

12. Nobilibus certa quantitas ſalis, (ſuchodniowa) dicitur viliori venditur pretio ex ſalinis Bochneri Anno 1252. Vielicen: Anno 139. inventis, ut & ex Oeconomia Samborienſi, vid. *Conſtit.* 1654. Hoc verò beneficium omni Nobili ſcilicet poſſeſſionato inſervit, nam ad uſum prædiorum ſeu villarum datur. Proximiores Palatinatus pro eo mittere tenentur remotioribus. Rex ſalem ad certa loca devehi curat, vid. *Pacta Conventa.*

13. Quòd Nobilitas legi ſumptuariæ non ſubjaceat, vid. *Conſtit.* 1613. 1629. Lex ſumptuaria.

14. Quòd Judex Civilis in Civitatibus, vel Oppidis Regni in ſubditos vel res Nobilium arreſta concedere non poſſit ratione quorumvis debitorum, vid. *Czaratki proceſſu Civili parte* 1. *titulo* 8.

De immunitatibus à teloniis *infra ſub tit. de Jure tributorum dicetur, lib. II. c.* 5.

De privilegio bona terreſtria poſſidendi, vid. *infra c.* 9. *de Civitatibus.*

Hæ & aliæ prærogativæ Nobilibus Polonis conceſſæ ſunt, quia membra Principis ſunt, &

pro

pro ſalute Regis & Reipublicæ excubant, atque cervicibus ſuis Regnum à caſibus bellicis defendunt, de quo infra *ſub tit. de jure Armor.* Maximè autem per electiones Regum liberas, libertas Nobilitatis Polonæ crevit.

VIII. Poſtquam ſupra c. 6. Ordinis Senatorii Officiales exhibui, jam de aliis Officialibus extra eundem Ordinem poſitis, hîc agendum venit. Sunt autem trifariam diviſi, alii totius Regni, & Magni Ducatus Lithvaniæ, alii Curiæ, alii Palatinatuum, Terrarum vel Caſtrenſes Officiales.

IX. Ad primam & ſecundam diviſionem pertinent:

SECRETARIUS MAJOR, unus Regni, alter Magni Ducatus Lithvaniæ, uterque Spiritualis. Admittuntur hi ad ſecretiora Conſilia, expeditionesque publicas, eorumque conſcii ſunt, quæ Cancellariis & Vice-Cancellariis panduntur, atque adeò officium illorum eſt gradus quidam ad dignitatem Cancellariatus & Pro-Cancellariatus aſſequendam. *Alex. in Conv. Petricov. Anno* 1504.

REFERENDARII Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ, quorum utrobique unus Spiritualis,

alter Secularis eſt. Nomen à referendo acceperunt, quia referunt Principi deſideria ſupplicum, & mandata Principis, ſive ſacras juſſiones inſinuant. Antiqvum hoc & Romanis uſitatum fuiſſe munus, conſtat ex Novella X. ubi pleniùs Referendarii ſacri Palatii nuncupantur. Habent illi eam prærogativam, quòd licet non ſint Ordinis Senatorii, in Judiciis tamen Relationum cum Senatoribus aſſideant, votumq; ſuum expediant, ac ſententiam Regiam partibus litigantibus annuntiant, illiusque contenta Notario Decretorum extradunt, *Conſtit.* 1550. Habent illi judicia de colonis & glebæ in bonis Regalibus adſcriptis.

EXERCITUUM Duces Generales ac Campi-Ductores bini in Regno & M. D. Læ. Cum in Senatu locum non habeant, Chriſtophorus Radzivill exiſtens Dux Campeſtris Lithvaniæ Ao. 1632. in Conventu Regni Generali functus eſt officio Mareſchalli Ordinis Equeſtris. Nec eſt, quòd miretur quiſpiam tàm amplas Dignitates in Senatu non cenſeri, Senatoribus namque conferuntur, vel etiam Dignitas Senatoria confertur ſimul. Majores noſtri, (ait *Starovolſcius Inſtit. Rei Milit. lib.* 8.) nuſquam bellorum Duces perpetuos

tuos habuerunt, Poloniæque jam coronati Reges ad tempus Duces Exercitibus præficiebant. Primus Joannes Tarnovius à Sigism. I. perpetuus Exercituum Dux creatus fuit. In Lithvania verò à Jagellone Rege ſtatim Radzivilius Nicolaus I. perpetua militiæ Præfectura donatus erat. Campi-Ductori æqualis poteſtas cum Supremo Duce conceſſa fuit Anno 1653. Sed anno ſequenti retractatum, & uterque penes jura antiqua conſervatus eſt, ut videlicet nonniſi in abſentia Supremi Ducis æqualem Campi-Ductor haberet poteſtatem, juxta *Conſtit.* 1601. Quicquid decernebant in Ordine ad diſciplinam militarem, id robur Comitiorum habebat, *Conſtit.* 1590. *p.* 569. 570. Quæ poteſtas licet anno ſubſequenti reſtricta fuerit, anno tamen 1620. p. 13. redintegrata legitur, cùm diſciplina militaris firmamentum ſit Imperii.

Dignum hic obſervatione eſt, quòd Sigiſm. III. cum Exercituum Dux Zoſkiewski, Atavus moderni feliciter Regnantis Joannis III. Ceczoræ occubuiſſet, poſt duodecim demùm annos, cum jam in agone vitæ eſſet, Koniecpolſcio hanc functionem conceſſerit. Quod exemplum allegabat Trzebicius Epiſcopus Cracovienſis, cùm

in Comitiis Coronationis proponeret, ex publico commodo fore, ut Sacra Regia Majeſtas heroicum illud munus penes ſe retineret, quod tamen Illuſtriſſimo Duci Wiſniovecio tunc Belzenſi, nunc Cracovienſi Palatino, & hujus officium ſcil. Ducis Campeſtris Illuſtriſſimo Domino Jablonovio Palatino Ruſſiæ cum priſtinis juribus, (ſine circumſcriptione temporis ex ſuggeſtu legis Anni 1673. p. 2.) conferebat. Non indignum quoq; hîc notatu, quòd Ao. 1579. Supremus Dux Exercitus Lithvanici fuerit Nicolaus Radzivill, Palatinatus Vilnenſis & Dux Campeſtris filius ejus Chriſtophorus.

SUCCAMERARIUS Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ. Horum officium in Aula Regia magnam præ ſe fert autoritatem. Ab illis enim audientiæ apud Regem procurantur, qui etiam in ſecretis adeſſe conſiliis facultatem habent. Incumbit ipſis pro ratione officii & familiaritate cubiculi Regii ſuſpicioſa omnia Ordinibus denuntiare. Ideò diſceſſus Regis Henrici non leviter affecerat Archi-Camerarium (erat tùm in officio Joannes Tenczinskius) ne pro officio ſuo in conſcientiam facti traheretur.

The-

Thesaurarius Curiæ Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ.
Vexillifer Regni & M. D. Læ.
Ensifer Regni & M. D. Læ.
Præfectus Stabuli Regni & M. D. Læ.
Pocillator Regni & M. D. Læ.
Incisor Regni & M. D. Læ.
Dapifer Regni & M. D. Læ.
Subdapifer Regni & M. D. Læ.
Pincerna Regni & M. D. Læ.
Præfectus Culinæ Regni & M. D. Læ.
Notarius Campestris Regni & M. D. Læ. de quo videatur *Constit. 1621. & 1628.* Quòd hoc munus non sit cum Dignitate Senatoriâ compatibile, cavet *Constitutio Anno 1633. p. 19.*
Magister Artilleriæ Regni & M. D. Læ. quæ functio cum dignitate Senatoria compatibilis est.

Præ-

Præfectus Caſtrorum Regni & M. D. Læ.
Præfectus Vigilum Regni & M. D. Læ.
Notarii Quatuor M. D. Læ.
Regentes Cancellariæ Majoris & Minoris in Regno & M. D. Læ.
Inſtigator Regni & M. D. Læ.
Notarius Decretorum Curiæ Regni & M. D. Læ. qui ſuos habent Regentes.
Venator Regni & M. D. Læ.
Notarius Theſauri Regni Supremus.
Vexillifer Curiæ Regni & M. D. Læ.
Vice-Præfectus Stabuli Regni & M. D. Lithvaniæ.
Vice-Inſtigator Regni & M. D. Læ.

Hæc eſt conſignatio Officialium Regni & M. D. Læ. quos, cùm nonnulli inter ſe de Ordine non conveniant, ſine nominibus & cognominibus appoſui, nemini faciendo præjudicium.

X. Ad tertiam Claſſem ſpectant:

Succamerarius, ſive finium regundorum Prætor. Capi-

Capitaneus cum Jurisdictione.
Vexillifer.
Judex Terreſtris.
Dapifer.
Pocillator.
Sub-Judex Terreſtris.
Subdapifer.
Pincernæ.
Venator.
Tribunus.
Notarius Terreſtris.
Enſifer.
Tribuni alii minores.
Qvæſtores ſive cuſtodes Theſauri.

Et in Mazoviâ Judex Caſtrenſis ante Notarium juxta excepta. Ordo hic habetur in *Conſtit. Anni* 1611. 1635. 1638. quæ reaſſumpta *Ao.* 1647. *p.* 18.

Circa Succamerarios ſciendum, quòd cum Reges quotannis Provincias Regni obierint, ve-

riſimile ſit, eosdem cubiculi Regii fuiſſe cuſtodes. De Judiciis ipſorum *vide infra.*

De Capitaneis notandum, quòd licet Ordo Officialium in *Conſtit.* 1611. deſcriptus per *Conſtit. Anni* 1613. mutatus ſit, & Terreſtres Officiales Caſtrenſibus præferantur, Capitaneus tamen excipiatur. Sunt autem Capitanei Arcium & Bonorum Regalium Præfecti. Redituum ex iisdem quartam partem, (quæ ita intelligitur, ut primò pro alendo Tenutario juxta reviſionẽ, pars ſeponatur, ex reliquo demùm Quarta currat, *Conſt. Ao.* 1562.) ex Ordinatione Sigiſm. Aug. ſecuritati Patriæ providendæ contra excurſiones Tartarorũ pro alendo milite quartiano, pendunt. Quæ Quarta per Inſtitutionem Oeconomiæ bellicæ *Ao.* 1638. factam, duplicata eſt. Utraq; verò (tempore pacis circa Feſtũ Pentecoſtes in fiſco Arcis Ravenſis in præſentia non tantùm Theſaurarii ſed etiam duorum ex Senatorio, atq; duorum ex Ordine Equeſtri Majoris & Minoris Poloniæ, deponenda,) ut ſucceſſu temporis augeatur, ſingulis quinquenniis conſtituuntur certi bonorum Regalium Luſtratores. *Conſtit.* 1562. Novi Donatarii & Ceſſionarii de bonis Regalibus primo anno

no quadruplam Quartam Theſauro Regni tempore & loco deſignato inferre tenentur, vigore *Conſtit. Anni* 1658. Ad cujus cuſtodiam præter ſupradictos etiam Capitaneus loci *Conſtit.* 1508. pertinet. Præcuſtoditiones juris de Quarta vid. in *Conſtit.* 1667. Si quis verò injuſtè delatus fuerit, Notarius Theſauri pœnâ mille marcarum debet condemnari, *Conſtit:* 1673. Nemo autem duos Capitaneatus Juridicos obtinere poteſt, *Conſtit.* 1652. Nec ejuſmodi Præfecturæ, quæ brachium Regale repræſentant, minorennibus, ſed tantùm viris de Republicâ benè meritis conferendæ ſunt, *Conſtit.* 1589. Quia etiam Pater & filius una & eadem perſona eſſe cenſentur, ſtatuit *Sigism. I.* Petricoviæ, quòd ſi Pater in aliqua terra fuerit ad Palatinatum evectus, filius in eadem Terra vel Palatinatu Capitaneatus officium habere non poſſit. Si Capitaneus vel Notarius cauſa legali impeditus Judiciis adeſſe nequeat, ſolent ex conſenſu Comitiorum Surrogatores admitti, cujus exempla in *Conſtit. Anni* 1621. & 1673. aliisque extant. De Judiciis Capitanealibus & Vice-Capitanealibus *infra lib.* 3. Vice-Capitaneum autem non Rex, neque Nobili-

tas, ſed Capitaneus conſtituit. Capitanei ſine jurisdictione ſunt Bonorum Regiorum Tenutarii, nullam jurisdictionem annexam habentes, ideò ejuſmodi Capitaneatus Nobilibus etſi in illa Terra non poſſeſſionatis, conferre licitum eſt, *Sigism. Aug.* 1562. Poſt mortem Præfecti, Theſaurarius ab hæredibus defuncti ea bona recipit, ſecundum inventarium poſſeſſori datum, tenetque donec Rex eadem cui contulerit, tunc novo donatario tradit conſcripto inventario, *Conſtit. Anni* 1652. In Capitaneatibus finitimis Ukrainæ Palatinatus Ruſſiæ & Podoliæ uxor Jus communicativum habere non poteſt per *Conſtit.* 1662. quia Capitanei ipſi reſidere tenentur, *ibid.* ſub pœnâ privationis Capitaneatus, *Confœderat. Anni* 1668. Ad amplianda etiam benè meritorum præmia conſtitutum eſt; ne uxor poſt fata mariti duos Capitaneatus vel advitalitates teneret; *Conſtit. Anni* 1662. *p.* 9. Jam autem hæreditario nonniſi ex conſenſu Ordinum dantur. Ita in Comitiis Anno 1588. Joanni Zamoyski Regni Cancellario, & Exercituum Duci, bona Regalia, Zamech & Kreſſow, ob maxima ejusdem erga Rempublicam merita in vim donationis

tionis hæreditariæ tradita ſunt. Simile exemplum Anno 1631. ubi Alexandro Gąſiewski Palatino Smolenſcenſi, certa in eodem Palatinatu bona jure perpetuo data ſunt; Sic Anno 1661. Domino Palatino Ruſſiæ Stephano Czarnecki, Achilli Sarmatico, ad perpetuam meritorum ingentium memoriam, Capitaneatus Tykocinenſis, jure hæreditario datus & conceſſus eſt, vid. *Conſtit. Anni* 1661. De quatuor Candidatis ad Officia Judicis, Subjudicis & Notarii, per Electionem Nobilitatis, Regi præſentandis, cavet *Conſtitutio* 1550. juxta quam Rex unum eligit confirmatque. In Lithvania non ſunt Diſtrictuum Caſtellani; extant MARESCHALLI, perpetui Comitiorum Directores, ſcilicet, Oſmianenſis, Lidenſis, Braclavienſis, Grodnenſis, Caunenſis, Vpitenſis, Slonimenſis, Wołkovienſis, Orſzanenſis, Pincenſis, Mozyrenſis, Rzeczycenſis; Deindè etiam ibidem reperiuntur TIWUNI Ciwunowie, ut ſunt Vilnenſis, Trocenſis, & Eyrogalenſis, qui juxta *Conſtit.* 1598. Officiales Terreſtres præcedunt. Item TIWUNUS in Magna Dyrvian in Minore Dyrvian, Retovienſis, Vzuventenſis, Tuverenſis, Berzanenſis, Korzenſis, Schaudovienſis, & alii. Olim habebant jus vitæ

& necis. Cùm hi Officiales non ſint jurati, incompatibilitati haud ſubjacent. Eſt porrò in Palatinatu Lithvaniæ Officialis, Horodniczii id eſt Burggravius dictus, locum habens poſt Notarium Terreſtrem, *Conſtit.* 1667. & 1676.

XI. Magiſtratus Caſtrenſes ſunt ſequentes:

Capitaneus cum Jurisdictione.
Capitaneus ſine Jurisdictione.
Burggrabius.
Vice-Capitaneus.
Judex Caſtrenſis.
Notarius Caſtrenſis, qui ſuum Vice-Notarium, ſed Nobilem poſſeſſionatum, habere poteſt. Vid. plura *infra de Judiciis Terreſtr. & Caſtrenſibus.*

CAP. VIII.

DE COMITIIS.

I.

TRes illi Reipublicæ Status & Ordines, tàm propter conſultationem de Republica, quàm propter

propter Judicia habenda conveniunt ad Comitia Regni Generalia, ante quæ, indulgente *Sigismundo I. Anno* 1522. Conventus particulares habentur, & hi ſex ſeptimanis Comitia antecedunt, *Anno* 1613. & antequam celebrentur, duabus vel tribus ſeptimanis publicantur, *Anno* 1567. & 1589.

II. MINORIS POLONIÆ CONVENTUS PARTICULARES OMNES UNA DIE INDICUNTUR.

Palatinatus Cracovienſis Proſzovię Generalem Conventum peragit, quem Comitiola Oſviecimenſia & Zatorienſia, in Oppido Zator tribus diebus præcedere debent, *Conſtit. Anni* 1581. & 1616. in *Conſtit. Anni* 1635. *p.* 26. octo dies præfiniti ſunt. Dictus Palatinatus mittit ſex Nuntios, Ducatus verò Oſvecinenſis & Zatorienſis unum nominat, ubi notandum, quòd Rex ad Conventum Zatorienſem non mittat Nuncium, ſed Capitaneum Oſviecimenſem literis inſtruat, quibus de rebus Nobilitati deliberandum veniat. *Conſtit. Anno* 1581.

Palatinatus Sendomirienſis in Oppido Opa-

Opatow, eligit ſex Nuntios. Lublinenſis Lublini, mittit tres Nuncios.

Palatinatus Ruſſiæ celebrat Conventus particulares; videlicet Leopolienſ. Præmislienſ. & Sanocenſ. Diſtrictus Wiſnienſis Wiſniæ, Halicienſis Haliciæ, Chelmenſis Chelmæ. Generalis autem Wiſnæ, per *Conſtit. Anni* 1635. *p.* 36. peragitur. Nuncios creat quatuordecim.

Palatinatus Belzenſis convenit in Oppido Belza, quatuor mittit Nuntios.

Palatinatus Podoliæ Cameneci ſolebat habere Conventus ſuos ante & poſt Comitiales, qui poſteà Haliciam translati, ſed cùm hoc Oppidum ruinas paſſum ſit, ideò Leopoli eousq; celebrandi ſunt, donec Halicia reſtauretur, juxta *Conſtit.* 1677. *p.* 18.

Palatinatus Kijoviæ Zytomiriæ, ſex denominat.

Palatinatus Volhyniæ in Civitate Luceorienſi, ſex.

Palatinatus Braclavienſis in Opp. Winnica, duos.

Pala-

Palatinatus Czernichovienſis Wlodzimiriæ, quatuor Nuncios eligit, vid. *Conſtit. 1659. & Anno 1667. p. 53.*

III. MAJORIS POLONIÆ CONVENTUS PARTICULARES, ITIDEM OMNES UNA DIE INDICUNTUR.

Palatinatui Poſnanienſi & Caliſſienſi in Oppido Szreda, ubi nominantur duodecim Nuncii.

Siradienſi in Opp. Sadek, qui quatuor eligit.

Terræ Vielunenſi in Oppido Vielun, mittit duos.

Palatinatui Lencicienſi in Opp. Lencic, quatuor.

Palatinatui Brzeſtenſi & Inovladislavienſi in Cujavien, in Opp. Radziejovo, nominat quatuor Nuntios.

Terræ Dobrynenſi in Opp. Lipno, duos creat Nuncios.

Palatinatui Plocenſi in Oppido Radziadz, tres mittit.

Palatinatus Ravenſis in tribus locis habere conſvevit Conventus ſuos, diſtrictus Ravenſis Ravæ, Sochaczovienſis in Oppido Sochaczevo, diſtrictus Goſtinenſis Gombini, in univerſum ſex mittit. Podlachiæ Palatinatus habet tres terras, inter quas Terra Drohicenſis Conventum habet, Drohicini, Mielnicenſis in Oppido Mielnik, Terra Bielſcenſis in Oppido Bransk, quælibet terra duos eligit, & ita ſex mittuntur Nuncii. Mazovia cum Podlachia uno die ſuos habet Conventus. Terra Cyrnenſis Cyrnæ, Varſavienſis Varſaviæ, Wyſnenſis Wyſnæ, Wyſzogrodienſis Wyſzogrodiæ, Zakrocimenſis Zakrocimii, Ciechanovienſis Ciechanoviæ, Lomzenſis Lomzæ, Rozanenſis Rozanii, Livenſis Livæ, Nurenſis in Oppido Nur, quælibet Terra duos creat Nuncios, atque ſic in univerſum viginti ad Comitia expedit. Generalis Conventus Varſaviæ eo die, quo in majori Polonia Generalis in Opp. Koło, & in minori Polonia in Oppido Corczyn, vigore *Conſtit. Anno* 1576. & *Anno* 1613. habendus eſt.

De

De Pruſſia hîc quædam in ſpecie notanda ſunt: Olim Pruthenici Senatores nec Senatum, nec Comitia frequentabant. Succedente tamen tempore (ſub Sigiſm. Auguſto fortè) ſenſim plerique comparuerunt, & Nuncii quoque eligi cœperunt. Succamerarii etiam Atrium Nobilitatis in Comitiis intrant; Civitatum autem Delegati nec in hoc, nec Senatorio (ad quod in Pruſſia pertinent) comparent. Quando in Regno Comitia celebrari debent, expediuntur ad Culmenſem, Mariæburgenſem, & Pomeraniæ Palatinos ſingulæ univerſales literæ, latino idiomate, ut, pro more ſolito, Conventus particulares præfigant. Aliæ etiam binæ literæ, ſed Polonico ſcriptæ ſermone, ad Varmienſem & Culmenſem Epiſcopos mittuntur. Actis Conventibus particularibus Varmienſis tanquam Præſes Terrarum Pruſſiæ Statibus & Ordinibus, (inter quos etiam Civitates Majores ſunt, Thorunium, Elbinga, & Gedanum) Conventum Generalem, alternatim Mariæburgi & Grudenti, celebrandum indicit. Ubi poſtquam convenerunt ad locum, audito ſacro Nobilitas Mareſchallum eligit, & deindè Nuncius Regius, ad quem à Rege Literæ Polonico, credentiales

autem Latino idiomate ſcriptæ mittuntur, in plenum conſeſſum Statuum ſolenniter introducitur. Factâ propoſitione, & exhibitâ inſtructione Latinâ, Nuntius Regius eâdem pompâ reducitur, nec poſteà in Conſeſſum Ordinum niſi ſub ipſum Conventûs finem, revertitur. Poſt diſceſſum Nuntii Regii dividuntur conclavia. In ſuperiori ad caput menſæ duo illi Epiſcopi, ex alterâ parte tres Palatini, tres Caſtellani, & tres Succamerarii, ex oppoſito bini Delegati majorum Civitatum aſſident. In conclavi inferiori hodiè ſola Nobilitas (excluſis jam minoribus Civitatibus,) votum habet. Excuſſis denique rebus, quæ ad conſultationem pertinent, junguntur iterum duo iſta conclavia, ita ut Director ad menſam Senatoriam aliique juxta ipſum Nuncii, reliqui in appoſitis ſubſelliis conſideant, donec prævio conſenſu Ordinum Laudum commune per Secretarium Thorunenſem conſcribatur, idque Latino idiomate, quo etiam in votis ſuis Urbium Delegati utuntur. Numerus Nuntiorum in Pruſſiâ non eſt circumſcriptus. Ex Inſtructione ad Comitia Grodnenſia numeravi in univerſum viginti novem, nimirùm ex Palatinatu Culmenſi undecim, ex Mariæburgenſi duos,

ex

ex Palatinatus Pomeraniæ Diſtrictu Dirſchavienſi octo, ex Diſtrictu Svecenſi tres, ex Diſtrictu Tucholienſi tres, ex Diſtrictu Czluchovienſi unum, ex Diſtrictu Mirachovienſi unum.

IV. PALATINATUUM ET DISTRICTUUM MAGNI DUCATUS LITHVANIÆ CONVENTUS.

Palatinatus Vilnenſis congregatur Vilnæ, duos Nuntios eligit.

Diſtrictus Oſmianenſis Oſmianiæ, duos.

Diſtrictus Lidenſis Lidæ, duos.

Diſtrictus Wielkomirienſis Wielkomiriæ, duos.

Diſtrictus Braclavienſis Braclaviæ, duos.

Palatinatus Trocenſis in Civitate Trocenſi, duos.

Territorium Grodnenſe Grodnæ, duos.

Territorium Caunenſe, in Civitate Caunenſi, duos.

Territorium Vpicenſe in Opp. Vpicenſi, duos.

Ducatus Samogitiæ Comitiola ſua peragit Rozienis, in quibus duos eligit Nuncios.

Palatinatus Smolenſcenſis & Diſtrictus Starodubovienſis Vilnæ, durante armiſtitio cum Magno Duce Moſcoviæ, per *Conſtit. Anni 1667. pag. 78.* duos ex Palatinatu, & totidem ex Diſtrictu Starodubovienſi mittit.

Palatinatus Novogrodenſis in Oppido Novogrod, duos eligit Nuntios.

Diſtrictus Slonimenſis in Oppido Slonimenſi, duos.

Diſtrictus Volkoviſcenſis in Oppido Vilkoviſcenſi, duos.

Palatinatus Polocenſis Polocii, duos.

Palatinatus Witebſcenſis Witebſcii, duos. Diſtri-

Diſtrictus Orſzanenſis in Oppido Orſzanenſi, duos.

Palatinatus Breſtenſis Breſcii, duos.

Diſtrictus Pinſcenſis Pinſcii, duos.

Palatinatus Mſcislavienſis Mſcislavii, duos.

Palatinatus Minſcenſis Minſcii, duos.

Diſtrictus Mozyrenſis Mozyri, duos.

Diſtrictus Rzecenſis Rohaczeviæ, duos.

Livonia Düneburgi in loco Territorii ſolito, per *Conſtit. Anni 1673. p. 24.* ſex creat Nuntios, vid. *plura infra de Livonia.*

V. Antequam Conventus in locis enumeratis celebrentur, præmittuntur Literæ Univerſales Regiæ ad Officia Caſtrenſia duabus vel tribus ſeptimanis, ut jam ſuprà dictum. Literæ iſtæ poſthac ad Senatores & Officiales per Miniſterialem expediuntur, atque etiam in foro Urbium ac Oppidorum per eundem Miniſterialem publicantur, & templorum valvis affiguntur,

tur, ut tempus & cauſa Comitiorum innoteſcat. Conveniunt ergò præfixo die locisq; ſolitis non modò Nobiles, ſed etiam Senatores ejusdem Palatinatus vel Diſtrictus, quibus Capitaneus aſſignat hoſpitia ex Officio. Priusquam autem ad Conſultationes deſcendunt, à Sacris faciunt initium, ac deindè Mareſchallum ſive Directorem eligunt. In Diſtrictibus tamen Lithvanicis ſupra recenſitis perpetui ſunt Mareſchalli, qui hoc munus, quousque vivunt, exercent. Ad Comitiola iſta mittit Rex Delegatum ſuum, qui à primo Senatore vel Officiali excipitur, & honore ſupremi loci afficitur. Hic habita priùs Oratione inſtructionem prælegit, de cujus articulis aliisque etiam rebus poſtea per vota deliberatur. Poſtquam de certis Punctis conventum eſt, conſignantur illa à Mareſchallo, & tandem iterum ad trutinam recitantur. Palatinatus tamen Poſnanienſis & Caliſienſis, utut *Conſtitutionem Anni* 1616. receperit, extra Templum convenit & conſultat.

VI. His ita peractis Nuncii Terreſtres ex Ordine Equeſtri non autem Senatorio eliguntur, Mos iſte temporibus Caſimiri Jagellonidis Secul. XV. introductus. Cùm enim illo tempore finito

finito tredecim annorum bello contra Cruciferos geſto, tributum ad exſolvenda ſtipendia militum à Minori Polonia exigeretur, noluit illud ſine Majori ſciſcere, quare placuit è Palatinatibus Nuntios ad Comitia Petricovienſia expediri. Poſterioribus temporibus hoc ita inolevit, ut citra ejusmodi Nuncios nulla Comitia legitima habeantur, neque tributum decerni, ac ne lex quidem ulla ferri poſſit. Eliguntur autem Viri poſſeſſionati nulla infamiâ & bannitione notati, idque pluribus calculis, *Conſtit. Anno* 1631. Non tamen actionem & cauſam judiciariam in iisdem Comitiis habentes, *Conſtit. Anno* 1540. Præprimis ſi circa Electionem Contradictio interceſſerit *Anno* 1601. neq; Exactores Contributionum, niſi factâ plenariâ ſatisfactione Theſauro, & ſi electi fuerint, locum tamen inter Nuncios habere nequeunt, nam propter ejusmodi privata, ſolent negotia publica pati difficultates. De Deputatis Tribunalitiis, Nunciis Terreſtribus, & militaribus, extat in novella lege 1679. p. 9. explicatio, quòd nemo qui eſt Deputatus (licet ipſo actu ad Tribunal non aſſideat) debeat in Nuncium eligi, niſi poſt expirationem functionis ſuæ; Idem etiam ſtatuitur

de Nuncio, quòd non debeat fieri Deputatus, niſi poſt Comitiola Relationis tàm in Regno, quàm magno Ducatu Lithvaniæ, quicunq; verò in præjudicium hujus Conſtitutionis ſeſe eligi permittat, non debet capax eſſe ſeſſionis Comitialis & Tribunalititiæ, ſed ad primam objectionem, dummodò legitimè deductam, ex utraq; ſtatione removeri. Hoc etiam extenditur ad Nuncium Terreſtrem, cujuscunque nationis functionem ab exercitu habentem. Nec debent eſſe plures ultra conſvetum numerum, *Conſtit. Ao.* 1540. In univerſum autem centum ſexaginta tres numeraveris, exceptis Pruthenicis, quorum numerus, ut ſupra dixi, non eſt definitus. Hi Nuncii ad rem benè gerendam ſub fide, honore, & conſcientia obligantur.

VII. Quod ſuperiùs de Nunciis allegatum eſt, illud etiam ad Senatores defertur, nam æquè nullus, qui bannitione vel crimine notatur, ad ſeſſionem & jus ſuffragii admittendus eſt. Quod tunc obſervatur, ſi adverſa pars urgeat, probationesque ſufficientes producat.

VIII. Comitia ſunt vel TOGATA vel PALUDATA. Illa frequentia, hæc verò quando interdum Status militari manu ſtipati conveniunt,

unt, uti Anno 1587. electuri Regem & Anno 1592. inquiſitionem facturi. Similiter Anno 1607. Rex Sigiſm. III. & Rokoſiani ad Comitia armati comparuerunt. *Rokoſz autem vulgatum nomen eſt, & teſſera Gentis Polonicæ, quâ audita, omnis, qui cenſetur Juris & Status Nobilis, licet ſit obligatus obſequio alicujus Principis & Nobilis, relicto eo, ad communem concurrentis Nobilitatis cœtum venire pœnis gravioribus obligatur.* Piaſecius in Chron. ſub Anno 1587.

IX. Locus Comitiorum erat olim in arbitrio Regnantis. Poſt hæc 1413. conſtitutum, ut Lublini aut Parczoviæ haberentur. Anno 1540. Petricovia pro iisdem celebrandis electa eſt. Tandem verò cum Lithvani longiùs diſtarent, in gratiam illorum VARSAVIA in meditullio Regni ſita, Comitiis celebrandis lege definita eſt *Anno* 1569. Notatu hìc digniſſimum, quòd Varſavia Centrum ſit multarum Reſidentiarum, ſcilicet Romanæ, Pariſienſis, Londinenſis, Moſchoviticæ, & Conſtantinopolitanæ. Æquali diſtantia, minori tamen extant etiam ab illa, Urbes Stokholmia & Haga Comitis. Non habentur autem Comitia Varſaviæ, ſi Cauſa legitima aliud ſvaſerit, ut ægritudo Regia, *Sigism. Anno* 1540. Obſidio vel peſtilentia, ſic tempore Sigiſm.

Auguſti populante peſte effectum eſt, ut nec Comitia Varſaviæ indicta haberi potuerint, & Rex ipſe ab infecta Urbe ire Kniſzinum coactus fuerit. Ob eandem etiam cauſam Ao. 1653. Brzeſcii in Magno Ducatu Lithvaniæ Comitia celebrata ſunt. Cùm verò nihil magis uniat animos Civiũ & conſonam reddat Rempublicam, quàm æqualitas, autoritate Conventus Regni Anno 1673. in vim Legis perpetuæ conſtitutum eſt, ut tertia⸗ impoſterum Comitia in M. D. Lithvaniæ in Civitate Grodnenſi (quæ ad capienda incrementa libertatione trium Annorum donata eſt) peragerentur, excepto Actu Convocationis ſub tempus InterRegni, tùm & ipſo Actu Electionis & Coronationis, qui in Regno expediri debent, vid. *Conſtit. dicti Anni* 1673. Hîc obſervandum⸗, quòd Serenisſ. modernus Rex Joannes III. in *Pact. Convent.* promiſerit, ſe velle etiam tertio quovis Anno in M. D. Lithvaniæ reſidere. Placet hîc apponere⸗:

IN-

INSCRIPTIONES GRODNENSES AD FORES CURIÆ SENATORII.

Auguſtum Summis
Poloni ac Lithuani Senatus
Purpuratorum Patrum capitibus
Grodnam reducibus
Aſſurgo Capitolium.
Quod
Obſcuro Bellona togæ inſidiatrix
Rudera inter condiderat buſto
Ac deforme dederat,
Hoc
Ad monumentum Pacis
Et Populorum æqualitatis
Ad Sacra
Sereniſſimorum Regum
Michaëlis & Joannis III.

Comitialia Sancita
Chriſtophorus Pac Cancellarius Magni
Ducatus Lithvaniæ
Denis bis vicibus ad Comitia Nuncius,
Breſtæ Mareſchalcus
Officioſo in Patriam cultu ſuscitavit.
Ita
DEO, Regi, Patriæ, Legi,
Auguſto ſub ſcuto, Regali ſecurum
Lilio Paciano decorum
Ærario M. D. Litt. perennabo reſtauratu.
Agite Polonæ decora Purpuræ
Sanis Conſiliis
Regum & Legum Majeſtatem
ſulcite,
Anno Domini M DC LXXVIII. Menſe
Xbri circa inchoationem Comitiorum
Die XIV.
Ad Conclave Nuntiorum Terreſtrium
Martis

Martis ac Jani delubrum
Polonæ Libertatis domicilium.
Hoſpes ingredere
à Sereniſſimorum Regum
Michaëlis & Joannis III. beneplacito
Vel inter Decembres pruinas
Sereniſſimum.
Vos ô Cives
Rerum hic præclarè gerendarum
Claritudine Loco Lucem addite,
Omnia acturi benè
Cum in commune bonum ſemper
dicetis unum,
Si idem omnes quod rectum ſentitis
Singuli.
Hanc liberorum Populorum
Reginæ libertati
Publico ſumptu erexit Regiam
Chriſtophorus Pac

Can-

Cancellarius M. D. Litt:
Regiam Martem ſemper ſecutus
In Sago, Paternis Scipio Veſtigiis
In Toga.
Anno Domini M DC LXXVIII. Menſe
Xbri circa inchoationem Comitiorum.
Die XIV.

X. Terminus non poteſt pro die Dominico, vel feſto majore præfigi, juxta *Conſtit. Anni* 1591. Certa etiam iisdem præſtituta tempora, nempè ut poſt decurſum ad minimum biennii fierent. *Stephan. Anno* 1576. *Sigism. III. Anno* 1591. Et quidem per Deliberatorios Senatorum rogatûs. Comitia quippe libertatis ſervandæ efficaciſſima media creduntur. Hinc Conventum Regni Generalem, Magnus olim Senator, Illuſtriſſimus Andreas Comes de Leſzno, unicum malorum Reipublicæ remedium & antidotum ad conſervationem ipſius nominavit. Deindè etiam ideò intra certum tempus Comitia intimari debent, ut juſtitia litigantibus adminiſtrari poſſit, de quo *infra de Judiciis Comitialibus.*

XI. Or-

XI. Ordinariis Comitiis præfigitur terminus ſex ſeptimanarum: Extraordinaria autem ſeu duarum vel trium Hebdomadarum Comitia celebrantur, dum neceſſitas poſtulaverit, accedente Conſilio Senatorum *Stephan. Anno 1576. & Sigism. III. Anno 1627.* Sed hæc Extraordinaria ſub *Vladislao IV. Anno 1637. p. 1.* ſublata ſunt, niſi in Comitiis ex conſenſu omnium Ordinum decernantur, vid. *Conſtit. Anno 1642. Anno 1646. Anno 1647. Anno 1654. & Anno 1662. p. 1. Anno 1652.* indicta quidem fuerunt Comitia ſex ſeptimanarum, ſed propter ſummam Reipublicæ neceſſitatem ex ſuffragio Ordinum ad duas tantùm ſeptimanas reſtricta. Sic etiam Comitia Ordinaria Anno 1668. ad tres ſeptimanas redacta ſunt. In ejusmodi Comitiis, nec judicia, nec aliæ res, niſi propter quas præfixa ſunt, tractari debent. Refert Dlugoſſus, ut rem novam & inauditam, quod Comitia Petricovienſia Anno 1453. ad nonum uſque diem duraverint, noſtro tempore rarum intra totidem ſeptimanas finiri Comitia, cui exceſſui *Conſtitutione Anni* 1678. medela præſcripta eſt.

XII. Quando jam dies Comitiis præfixus adeſt, Nuntii Terreſtres, poſt auditum ſacrum,

conveniunt ad atrium ſuum, libertatis officinam legum, ubi rarâ aliàs felicitate ſentire quæ velis, & quæ ſentias, dicere licet. Hinc cùm Anno 1673. poſt Confœderationem Galgbienſem ex multis rationibus Rempublicam perimentibus contra Jus antiquum Nuncii Terreſtres mox cum Rege & Senatu conſilia inchoarent, cautum Lege, ne hoc exemplum libertatibus nocivum & præjudicioſum in ſequelam trahatur. Ante omnia Mareſchallus præteritorum Comitiorum, vel eodem abſente aut dignitate jam Senatoria ornato, alius interim ex eadem alternata ad novum eligendum, Calculos connotat, quorum pluralitas conſtituit Directorem, cujus Electio, dum unaquæq; pars pro ſuo contendit, aliquando contra præſcriptum legum extrahitur, adeò, ut teſtante *Piaſecio Anno* 1592. demùm poſt trium hebdomadarum concertationis, atque adeò elapſo dimidio tempore Comitiorum electus fuerit Mareſchallus. Ab induſtria & dexteritate ejusdem exitus Comitiorum potiſſimùm dependet. Hic in futurum cum Deputatis ad Conſtitutionem ex Ordine Equeſtri juramentum præſtare tenebitur, cujus rotha in novella lege Anno 1678. extat. Cùm autem libertatis inter-

interſit, ut æqualitatis habeatur ratio, idcircò alternatim per nationes: primo ex Minori, ſecundo ex Majori Polonia, tertio ex Magno Ducatu Lithvaniæ Mareſchalci petuntur.

XIII. Poſtquam Rex deſuper in conclavi ſuo certior eſt redditus, Nuntii præſtituto tempore eundem ore novi Mareſchalli publicè ſalutant, & in teſſeram Regalis benevolentiæ ad oſculum manus admittuntur, præeunte Mareſchallo, qui deindè Ordinem ex ſchedulâ prælegit, obſervatâ inter Nuncios Palatinatus Cracovienſis & Poſnanienſis alternatâ ſingulis Comitiis. Reſpondet in Regno Regni, in Lithvaniâ Cancellarius eiusdem Ducatus, & dehinc ad propoſitionem Regis nomine à Cancellario Regni in rebus, quæ ad Regnum & Lithvaniæ, quæ ad Magnum Ducatum pertinent (vigore *Conſtit. Anno* 1673.) prolatam, poſtridiè Senatores ſua vota expediunt. Porrò negotium Vacantiarum agitatur, quæ in Conclavi Nunciorum ex Palatinatu conſignatur, de quo infra. Aliquando etiam Mareſchallus circa vacantias exponit querelam de hoſpitiis, pro Nuntiis Terreſtribus. Ratio etiam Senatus Conſultorum inter Comitia ultima & præſentia latorum, in facie totius

Reipublicæ redditur, vid *Conſtit. Anno* 1576. *& Anno* 1641. Cum juxta Machiavelli præceptum, Leges aliaque de rebus publicis privatisq; ſtudia crebro ad ſua initia revocanda ſint, placuit, ut juramentum Regis & Pacta Conventa ſingulis Comitiis, primo ſtatim die, loco articulorum Mareſchalcalium, in præſentia omnium Ordinum legerentur, vid. *Pact. Convent. Sereniſſ. Joannis III.* Cùm inter Conditiones Regum Iſraëliticorum eſſet, ut legem deſcribi curarent, eandemque per dies vitæ legerent, quid aliud ſignificabatur, quam ut juxta legem ſe populumque gubernare diſcerent?

XIV. De Senatus Conſiliis hîc adjicio, quòd ſint duplicia, nonnulla oretenus, alia per literas expediuntur, ut itaq; in Republicâ non tantùm rectè dictorum conſultorumque, ſed rerum geſtarum quoq; memoria ſervetur, & tàm Regibus quàm Senatoribus contra diffidentias, & ſuſpiciones Civiles remedium quæratur, omnia iſthæc Senatus conſulta inſcribuntur libris, & quidem Cancellariæ Regni per Secretarium Majorem, vel eo abſente per Referendarium. Lithvanica per Referendarium vel quemcunq; Notarium connotantur, primo debet occaſio,

&

& res de quâ consilium suscipitur, describi, & postea brevissimè addi, quale quis dederit Consilium per literas ad illam propositionem, & ex quibus rationibus, denique quomodo quis ex præsentibus votum suum expedierit, & quibus rationibus sententiam suam stabiliverit, & quale deniq; steterit conclusum. Quilibet ex D. D. Senatoribus tenetur sententiam suam in libro isto subscribere, absentium verò literæ in vim testimonii adservari debent, juxta *Puncta Anno* 1632. ad Castrum Varsavienſe porrecta.

XV. His peractis, Nuntii Terrestres ad suum Consessum se recipiunt, & vel de propositione Regiâ vel de aliis rebus consultant. Deputatis etiam ab Exercitu sedentibus audientiæ conceduntur. Postquam priùs apud S. R. Majestatem in curiâ Senatorum stantes admissi fuerunt. Instructio eorum, à Supremo Duce subscripta, utrobiq; prælegitur. Quoniam verò sæpissimè necessaria in Comitiis pertractari non possunt, ideò inposterùm à Recessibus fieri debere initium, decrevit Sigism. III. *Constitut. Anni* 1611. Interdum ex Ordine suo mittunt Delegatos ad Regem, qui eosdem, licet Consilio vel Judicio distractus sit, admittit dando vel statim de-

clarationem vel annectendo ſe cum Senatoribus re priùs examinatâ mentem ſuam Ordini Equeſtri aperturum. Noviſſima lex 1679. pag. 8. vult, ut Mareſchalcus Equeſtris ſtatim poſt vota Senatorum Deputatos ad Remiſſas denominet, nulla obſtante contradictione. Rex enim interim in Conclavi Senatorum vacat Judiciis, de quibus infra. In hoc lucubrationes admittuntur, & aliquando vigilatæ tranſeunt noctes. In illo verò ſcilicet Nuntiorum Terreſtrium rariſſimè ad lucernam conſultatur, nunc verò per legem novellam 1678. Seſſiones ad lucernam prohibentur; Si aliquis Nuncius proteſtando recedit, tunc cæteri omnes quousque non revertitur, paſſivè ſe habent & activitate carent.

XVI. Nuntii Terreſtres quinque ante expirationem ſex Hebdomadarum diebus tenentur rebus paratis adire Senatum, *Conſtit. Anno* 1633. Antequam autem Nuncii Terreſtres conclave ſuum relinqvunt, Mareſchallus ſolenniter valedicit, cui per unum ex iisdem pro ſuſcepto labore gratiæ aguntur. Aliquando tamen ſalvum regreſſum ſibi præcavent, qui *Conſtit.* 1678. interdictus eſt. Quando ſic Comitia ad Patres transferuntur, Ordinis Equeſtris Director, medius

dius inter Senatorios Mareſchallos, ſubſellio humiliori velut Tribunitio, conſidere ſolet, ceſſante ipſius facultate in danda Copia ſententiæ dicendæ, quam tunc Mareſchalli præfati exercẽt. Director autem Equeſtris Ordinis Conſtitutiones in conclavi Nunciorum vel ſuperiùs delineatas prælegit, ut à Rege & Senatu fiat approbatio. Quæ ſi ſubſecuta fuerit legem facit. Tum Comitia vel præfixo ſex ſeptimanarum termino feliciter finiuntur, vel per declarationes Palatinatuum, aliquando etiam per verbum placet, prorogantur aut irrito effectu (etiam uno contradicente per Tribunitium illud INTERCEDO) dilabuntur. Crevit ſub Sigiſm. Auguſto Autoritas Nuntiorum in tantum, ut unus fuerit, qui, exemplo Clodii, Ordine Senatorio ſponte ceſſerit, quo popularis haberetur, plusque in Republica, ut Nuntius, polleret. Jus vetandi eſt pupilla libertatis, quam, ſi fundamentum in lege vel in articulo inſtructionis Juribus conformi habeat, tollere non convenit. De Jure nemo poteſt ex Nuntiis obnuntiare Comitiis, niſi circa Concluſionem in Curia Senatorum. Sed hoc procedit in materia Conſiliorum publicorum, quæ ante concluſionem Comitiorum nemini

nemini præjudicant, aliter verò in Judicialibus, quæ ante Concluſionem vires acquirunt, licet poſthac Comitia rumpantur. Debet itaq; proteſtatio in Conclavi Nunciorum præcedere. Secùs ſe res habet in extrajudicialibus, ubi omnia jam concluſa negotia, interveniente contra unum punctum proteſtatione, corruunt.

XVII. Uti verò circa ſalutationem Nuncii Terreſtres Regiam oſculantur manum, ita non minùs ad eundem honorem circa concluſionem ſive proſperam ſive improſperam admittuntur, petentes hoc in Oratione valedictoriâ per Mareſchallum ſuum, cui à Throno Regio per Cancellarium vel Vice-Cancellarium Regni reſpondetur, in Lithvania autem, ſi Comitia celebrantur, ad Cancellarios ejusdem Nationis illa functio pertinet. Si absque fructu diſſolvuntur Comitia, tunc Rex Conſilium poſt-Comitiale cum Senatoribus habet, & inter alia, tempus futurorum, Comitiorum, quando neceſſitas ſvadet præfigit.

XVIII. Cùm verò Officium ſuum nemini debeat eſſe damnoſum, ſalutariter conſtitutum eſt, ut omnes actus Juridici, in quibuscunque ſubſelliis contra prædictos Nuncios à prima die Conven-

Conventuum Ante-Comitialium usque duas ſeptimanas poſt Comitiola Relationum formati, & Decreta lata nullitati ſubjaceant, quibus tamen elapſis fatalibus tenentur parte inſtante reſpondere, vid. *Conſtit. Anno* 1658. *Anno* 1659. *Anno* 1661. *p.* 29. *&* *Anno* 1678.

XIX. Ad reddendas deindè rationes Fratribus, & eligendos Contributionum Exactores, determinantur Conventus Relationum locis conſvetis, *Conſtit. Anno* 1591. qui in M. D. Lithvaniæ, juxta Statutum, quatuor ſeptimanis poſt Comitia incidunt, *Confœderat. Anno* 1668. Præfixum tempus dictorum Conventuum ex declarationibus Palatinatuum & Diſtrictuum Conſtitutionibus annexis patet. Addunt interdum hanc præcuſtoditionem, ſi Conſtitutiones typis excuſſæ transmiſſæ fuerint. In Regno Nuncii reditum ſuum Capitaneis cum Jurisdictione, in Lithvania verò Palatinis vel ubi Diſtrictus ſunt, Capitaneis, & hi deindè per Miniſteriales Nobilitati ſignificant.

CAP. IX.

DE CIVITATIBUS.

I.

POſtquam hactenus de Ordinibus, qui de Regni Juribus participant, & Comitiis interſunt, actum eſt, præſtat, ut etiam nonnulla adjiciam de CIVIBUS ſtrictiori interpretatione ſumptis, id eſt, qui ſingularis alicujus Civitatis incolæ. Præſtantiori enim ſignificatione, Civitas etiam Reſpublica dicitur, & Cives ſunt, qui optimo Jure Reipublicæ gaudent, ad quod in Polonia ſoli Nobiles admittuntur.

II. In Pruſſiâ tamen Majores Civitates Thorunium, Elbinga, & Gedanum ſingulari prærogativâ eminent, adeò, ut ex ſingulis Civitatibus bini Delegati compareant, & in Conventibus poſt Succamerarios locum ſimulque facultatem dicendæ inter Senatores ſeu Conſiliarios Provinciales ſententiæ habeant: In Comitiis verò Regni Generalibus malunt Nuntiis Terrarum ſua committere deſideria, quam ipſi publicis aſſidere Conſultationibus, ad quas in Pruſſia & non alibi

alibi habendas asserunt, juxta reservationem tempore subjectionis Casimiro Regi factæ. Jus etiam Suffragii in Electione Regia antiquitùs habent, & non demùm Anno 1632. in Electione Vladislavianâ obtinuerunt. Error autem ita sentientium Autorum, indè, credo, ortus est, quòd tùm primùm EPISCOPUS CULMENSIS & POMESANIÆ suo & aliorum Consiliariorum Terrarum Prussiæ nomine suffragia subscripserit. Sed sciendum est, quòd anteactis retrò temporibus, calculi eligentium non fuerint volumini Legum inserti.

III. Jam dudum etiam Civitates, Cracovia, Vilna, Leopolis, & Posnania, ad Comitia Regni, etiam quando semotis arbitris tractatur, admittuntur, & nec minùs earundem subscriptiones inter suffragia Palatinatuum suorum reperiuntur, carent autem activitate dicendi.

IV. Bonorum quoque Terrestrium Civitates hæ (quemadmodum & supra memoratæ in Prussia) juxta *Constit. Anni* 1612. *p.* 14. *Anno* 1631. *&* *Anno* 1658. *p.* 37. *&* *Anno* 1667. *p.* 30. habiles sunt: Cùm aliàs Sigism. I. Petricoviæ decreverit, ne plebei bona Terrestria deinceps emerent, sed

quæ hactenus posſederant, intra tempus quatuor annorum venderent.

V. Regalium verò & Spiritualis Ditionis Oppidorum incolæ, pro plebeis liberis, Nobilium pro adſcriptitiis putantur. Niſi ipſis Domini Jura & immunitates aliquas conceſſerint, ut iis, quos ad Oppida & Civitates noviter erectas alliciunt, indulgent.

VI. Notandum hîc, quòd Magiſtratum Civicum lex ſumptuaria non ſtringat, ſed à pœnis, quæ per *Conſtit.* 1613. & 1629. contra homines plebejæ conditionis ſancitæ ſunt, liberos pronunciet.

CAP. X.

DE KMETONIBUS ſeu RURICOLIS.

I.

QUI in Villis fundisve Regiis aut Nobilium habitant, agris addicti ſunt, unde etiam vocantur Servi Glebæ. Non ſolùm verò ipſi in poteſtate Dominorum ſunt, ſed etiam ex iisdem proge-

progeniti in eandem recidunt, quoad vitam & fortunas, nec habent contra Dominos actionem, Capite enim Jurisdictione carere dicuntur.

II. Sunt quidem nonnulla à Divæ memoriæ Regibus, præprimis Caſimiro Magno (qui à benignitate in vilioris ſortis homines Patris plebejorum & ruſticorum nomen accepit) edita Statuta, quæ tàm arctæ ſervituti aliquatenus ſuccurrunt, quæ vide *apud Herburt*: uſu tamen vix obſervantur, niſi quòd Status Spiritualis vel in facultate aliquâ gradûs aſſecuratio libertate donet ſubditos: Ex ſimilitudine illius Statuti, quod Doctores plebejos ad beneficia Cathedralium Eccleſiarum ſuſcipi permittit.

III. Sunt aliàs duo manumiſſionis modi, I. quando Dominus actis intervenientibus recognoſcit, ſe ſubditum ſuum de omni heroicâ poteſtate Jureque, Dominio & proprietate ſibi ad eundem ſervienti & competenti abſolvere, & liberum mittere. Ildus modus eſt, quando Dominus Libertationem privatis literis teſtatur.

IV. Eadem verò poteſtas non tantùm in Ruſticos, ſed etiam in Oppidanos ſeſe extendit, niſi ipſis Domini (ut ſuprà commemoravi) immunitates aliquas indulſerint.

V. Ad tollenda gravamina, quæ Status Equeſtris vigore bonorum Terreſtrium, & recuperationis ſubditorum hactenus ſubiit, conſtitutum eſt *Anno* 1679. ut Status Spiritualis, tàm in Judiciis Terreſtribus, quàm Caſtrenſibus provocatus reſpondeat, ratione injuriarum illatarum, & poſthàc ut appellatio judicetur in ſeculari Judicio.

CAP. XI.

DE JUDÆIS ET CIGARIS.

I.

OLim Judæi Cracoviæ inter Chriſtianos habitarunt, poſteà in locum ſeparatum ſeceſſerunt, ut plebis contumelias evaderent, & majores conſequerentur immunitates, quas potiſſimùm debent Caſimiro Magno, circa annum 1341. & ante eum in Majori Polonia BoleslaoDuci Caliſienſium. *Anno* 1264.

II. Decrevit quidem *Sigism. Auguſt. Petricov. Anno* 1562. ne Telonia & alia id genus tenerent: ſed

ſed moderna tempora aliud docent. Videatur tamen noviſſima lex, *Anno* 1679. *p.* 34. Propter pretia rerum in immenſum aucta, conceſſa ipſis eſt per *Conſtit. Anni* 1633. *p.* 39. LibertasCommerciorum Vilnæ.

III. Quoniam ſæpiùs extra forum evocari ſolent, reaſſumpta ſunt eorum jura, & declaratum eſt, ut vigore antiquiorum & recentium jurium ſuorum ad Judicia Palatinorum pertineant, & Volhynenſes coram Capitaneis reſpondeant, in omnibus cauſis, ſalvâ Appellatione, *vid. Conſtit. noviſſima p.* 10. *&* 11. *& in Lithuanicis pag.* 23.

IV. Ne in uſurarum voragine eſſent inſatiabiles, decrevit *Conſtit.* 1670. ne plus quàm viginti à centum annuatim prætenderent.

V. Eadem etiam Conſtit. ſecuritatis ergò cavet, ne Judæi & Cigari (quibus per *Conſtitutionem* 1557. *&* 1565. in Regno interdicta eſt commoratio) intra tria milliaria â præſidio Camenecenſi habitent. Sed quid juvat hæc recenſere, poſtquam dolendo fato hoſtis Chriſtiani Nominis Ante-Murale illud nobis eripuit!

VI. In

VI. In Statuto Lithvanico occurrit res ſingularis ex Zelo promovendæ Religionis Chriſtianæ orta, quòd nimirum, ſi Judæus vel Judæa Religionem Chriſtianam ſuſceperit, Nobilitatis prærogativam unà cum ſobole acquirat.

LIBRI II.

CAPUT I.

DE RELIGIONE.

I.

POſtquam & imperandi & parendi ſubjecta introduxi, tractanda veniunt ea, in quibus Imperii poteſtas verſatur. Sunt autem res illæ vel ſacræ vel profanæ. Ab illis meritò fit initium.

II. Primus Poloniam Chriſto adduxit Miecislaus I. abnepos Piaſti electâ in Uxorem Dambrowkâ Boleslai Bohemiæ Ducis (qui Venceslai Sancti frater erat) filia. Hæc enim, ut Clotildis Clodovæum Galliæ, Giſella Bavara Stephanum Ungariæ Reges, Maritum ſuum Chriſto lucrata

lucrata eſt. Romanis libertatem pudicitia, Polonis Religionem pietas muliebris attulit.

III. Floret quidem in hoc Regno Fides Romano-Catholica; ne tamen propter diverſitatem alicui negotium faceſſatur, â morte Sigiſm. Auguſti Reges Juramento ſe obſtringunt ad pacem inter Diſſidentes Religionis Chriſtianæ tuendam, manutenendam, & quòd nullo modo vel Jurisdictione ſuâ, vel Officiorum ſuorum & Statuum quorumvis Autoritate quenquam afficient ac oppriment. Intereſt enim Regni ut Pax religioſa conſervetur. DEUS non crudelitate, ſed credulitate quærendus, rectè inquit Auguſtinus. Quod tempore dicti Regis Sigiſm. Auguſti Senatus majori parte ex Diſſidentibus conſtiterit, teſtatur Epiſcopus Præmislienſis *Piaſecius p.* 48. 49. Et Rex Stephanus non ducebat eſſe Religionis, Religionem vi promovere, dictitans *DEUM ſibi tria reſervaſſe, ex nihilo aliquid facere, futura præſcire, & Conſcientiis dominari.* Imò quòd ſub hoc Rege in Magno Ducatu Lithvaniæ Cancellarius Reformatæ Religionis fuerit, nomine Euſtachius Wolowicz, deducit ex actis Rigenſibus Chytræus. Fuit ejusdem nominis Epiſcopus Vilnenſis ſub initium hujus

ſeculi; an verò ille idem, quòd poſteà Religionem mutaverit, mihi haud conſtat. Libertas tamen Religionis per *Conſœderationem Anni* 1668. circumſcripta eſt, ubi habetur, quòd à Fide Catholica Romana & Unitorum tranſeuntes, & convicti in foro fori exilio puniri debeant.

IV. Fides illa Catholica Cardinalis in Polonia Regnantium lex eſt, adeò ut etiam Regina ſive Natione, ſive Vocatione Catholica eſſe debeat. Hinc Helenæ Alexandri Regis Conſorti Diadema impoſitum non eſt, quòd Græcæ Religioni tanquam Joannis Magni Moſchorum Ducis Filia eſſet addicta, & Romanæ Eccleſiæ inſtituta nollet amplecti; Regina vocata, diademate caruit, ſepulta etiam Vilnæ in Sacello Ritus Græco-Rutheni. Sarmatia enim Romanorum armis impervia, Romanæ Religioni mancipata eſt. Aliter fecit Maria, Caſimiri primi Uxor, quæ Græcam Religionem deſeruit, atque in baptiſmate Cracoviæ ſuſcepto, Dobrogniewæ nomen ſibi elegit, & denique Gneznæ coronata eſt. Lex verò illa REX CATHOLICUS ESTO, non adeò pridem Capitulationi Regiæ ſcil. Michaelis & Joannis III. inſeri conſvevit. Nam quòd Rex Poloniæ debeat eſſe Catho-

Catholicus, indè colligebatur antea, quòd in Statuto quodam extent iſta verba: REFERENDARIUS ADEAT REGEM POST SACRUM MISSÆ.

V. Quoad Religionem Græcam, magna Ruſſorum pars ſub exitum ſeculi ſuperioris, in Concilio Breſtenſi Lithvanico Eccleſiæ Romanæ ſeſe conjunxit, retentis tamen ſuis ritibus. Hinc jam diſtingvuntur inter *Unitos* & *Non-unitos*. Ne autem hi in Religione ſuâ turbarentur, cautum eſt, in diverſis legibus & Pactis, præſertim Hadiaci *Anno* 1658. initis, ita ut etiam eorum Archi Epiſcopus cum aliis quinque Epiſcopis in Senatum admiſſus ſit, ſed cùm hæc Pacificatio inſerta ſit Conſtitutionibus dicti Anni, Lectorem ad eandem remitto. Hoc tantùm adjicio, quòd Græci hactenus Jus ſuum non ſint proſecuti.

VI. Rex Joannes Caſimirus Armenicum populum ritumque unioni Romano-Catholicæ Eccleſiæ in Poloniâ conſociavit, & Arrianos per *Conſtit. Anni* 1658. & 1659. è finibus Regni proſcripſit. Undè etiam ab Alexandro VII. Titulo ORTHODOXI Regis donatus eſt. Reaſſumptæ ſunt iſtæ Conſtitutiones *Anno* 1670. ita ut contra Fautores Arrianiſmi executio Capitaneis,

neis, ſine appellatione, competere debeat. Quoniam autem contigit, ut nonnulli per ſpeciem Arrianiſmi ad Tribunal evocati fuerint, *Conſtitutio Anni* 1678 pœnam quingentarum marcarum cum ſeſſione turrica per duodecim ſeptimanas in Procuratores definiit.

VII. Quoniam ad Conſervationem Sacrorum facit, Scholas inſtituere, pauca hìc de Academia Cracovienſi adjungo, quòd ſcilicet eandem à Caſimiro M. ex conceſſione Papæ Urbani V. Anno 1364. inchoatam Rex Jagello ex ultimo voto Hedvigis Uxoris ſuæ abſolverit. Papa dictus Theologiam doceri prohibuerat, quamtamen poſteà Bonifacius permiſit. Quoniam dictus Rex Academicos ab omnibus teloniis ac oneribus liberos fecit, ac eâdem planè libertate, quâ Spirituales, gaudere voluit, ideò Epiſcopus Cracovienſis ejusdem Cancellarius & promovendorum Examinator eſt; Sede autem vacante Officialis ejus ſeu Vicarius Generalis. Et Anno 1590. Sigiſm. III. ſe ipſum præſentatione Præpoſituræ S. Floriani in Clepardiâ abdicavit, & Academiæ dictæ Jus ſuum conceſſit integerrimum. Conſervatur etiam Academia hæc circa Jura ſua per *Conſtit. Anni* 1613. & 1635. & noviſſimè

visſimè per Pacta Conventa Sereniſſimi Joannis III. Sic in *Conſtit. Anno* 1676. confirmata ſunt Jura Academiæ Vilnenſis. Fundationes etiam Templorum & Monaſteriorum approbari ſolent in Comitiis.

Cap. II.

DE ADMINISTRATIONE ſive REGIMINE POLITICO.

I.

POſtquam de rebus ſacris pro Inſtituto meo breviùs egi, ſeqvuntur res Civiles ſeu profanæ. Adminiſtrantur autem hæ, vel à Sacrâ Regiâ Majeſtate ſolâ, vel ex conſenſu Comitiorum. Ad illas ſpectat jus indicendi Comitia, de quibus *ſuprà Lib. I. cap. VIII.* honores ac officia pro arbitrio conferendi, de quibus infra; Jus renovandi pacta & feuda; Jus Securitatis ſeu ſalvi conductus; ſi verò quis Decreto Comitiali infamis pronuncietur, tali, niſi ex conſenſu omnium Ordinum in aliis Comitiis beneficium ſalvi

conductus dari non poteſt; Jus tribuendi moratorias inducias &c. De Privilegiis autem & immunitatibus generaliter ſciendum eſt, quòd ſub titulo & ſubſcriptione Regiæ Majeſtatis ac Sigillo Regni, vel Magni Ducatûs Lithvaniæ impetranda ſint. Sed progredior ad Jura ſpecialia.

CAP. III.

DE JUSTITIA DISTRIBUTIVA ſive DE JURE HONORES ET BONA CONFERENDI.

I.

PRinceps in ſummo faſtigio collocatus, fons eſt omnium Dignitatum, ex quo honores, tituli, & quævis præeminentiæ derivantur. Aula quid eſt, niſi perennis concurſus & ſtatio orientis fortunæ, ſic in Polonia decet Regiam fortunam alios fortunare. Rex quippè honorum & dignitatum ſummus Arbiter, *ut meminerit, ſolam benefaciendi Civibus gloriam ad illum ſpectare, translatâ in Magiſtratus cujusvis ſeveritatis rigorisque invidiâ,*

invidiâ, & intelligat, ſub Regiæ dignitatis prærogativa paternæ charitatis includi vincula, quæ Regibus tranquillitatem vitæ, immortalitatem gloriæ, perenne ſubditorum deſiderium conciliant. Præmiandi autem ſunt terrigenæ Nobiles æquitate Juris & pœnæ gaudentes, benè meriti alterutrâ Pallade Cives, ætate & diſcretione vigentes, aliàs enim homines quidem non eſſent ſine titulo, ſed tituli ſine homine. Idque fieri debet intra decurſum medii Anni à tempore Vacationis, vel ab initio Comitiorum, ſi immediatè ante Comitia vel ſub tempus eorundem vacent, *Stephan. Anno* 1576. *Sigism. III. Anno* 1543. *Anno* 1607. *& Conſtitut. Anno* 1631. *p.* 4. Sed deindè ſub Vladislao IV. *Conſtit. Anno* 1632. cavet, ut extra tempus Comitiorum Vacantiæ intra ſex ſeptimanas ad maximum, à die notitiæ, ſub tempus autem Comitiorum à Principio eorundem, inſtante Mareſchallo Ordinis Equeſtris, ſecundùm Jura & Statuta per Cancellarios utriusque gentis publicè & ſpecificè diſtribuantur, vid. *Pacta Conventa Sereniſſimi Joann. III.* Quintâ verò die ante Concluſionem Comitiorum, Nuntii Terreſtres in præſentia Regis & Senatûs, ante omnia, pro diſtributione vacantiarum inſtant, juxta *Conſtit. Anni* 1576. *&*

Anni

Anni 1588. ut Rex imitetur naturam, quæ ſuas opes ita diſpenſat, ne detur vacuum. Diſtributio autem expectativarum in *Conſtitutione Anno* 1550. prohibetur. Factâ hîc mentione de Mareſchallo Equeſtris Ordinis annoto, quòd licet eidem ex vacantiis Senatoria conferatur dignitas, non deſerat tamen ſtationem ſuam, exemplo Illuſtriſſimi Domini Nicolai de Granow Sieniawii, qui in Comitiis feliciſſimæ Coronationis moderni Regis, Mareſchallus Curiæ Regni creabatur. Aliud obtinet in Nuntiis Terreſtribus, nam hi ex Collegio, prævia gratiarum actione & reſponſione Mareſchalli, recedere ſolent, ut locum in Senatu ſibi competentem occupent. Si in Civitatibus, quæ Speciali privilegio caduci carent, bona caduca exiſtunt, Rex non Civibus, ſed hominibus benè meritis, ſive Nobilibus, ſive Ignobilibus, prævia recommendatione Ducis Exercituum, diſtribuit, cum tali onere ſervitii, quod antehac ipſis adhæſit. Bona autem poſt Nobilis mortem caduca, ſolis Nobilibus conferenda ſunt, niſi ob defectum condignorum ex bonis Menſæ redituum Regi vel Reginæ ad tempus concedantur, vid. *Conſtit.* 1649.

II. Digni-

II. Dignitarius & Officialis debet esse possessionatus in Palatinatu. In Palatinatu autem Russiæ, Mazoviæ, & Ravensi, ac Terra Vielunensi, quia in sua circumferentia multas in se continent terras, Officialis quilibet, non in Palatinatu, sed in illa terra, ubi Officium est, possessionem habere debet.

III. Exteri ab Officiis publicis excluduntur. Hinc dictus Rex Vladislaus Anno 1633. ejusque Successores inter cœtera promiserunt: Nolumus etiam ullos extraneos secundùm tenorem *Constit.* 1607. ad nostra Consilia, functiones & officia admittere. Cardinali hoc tanquam scuto peregrina ambitio retunditur. Quòd etiam Confessionarius & Concionator Aulicus debeat esse sangvine & genere terrigena, placuerat Reipublicæ *Anno* 1632. *in Punctis ad Castrum Varsaviense porrectis.*

IV. In Prussiâ Vacantiæ indigenis secundùm Privilegium Incorporationis distribuendæ sunt.

V. De incompatibilibus *vid. Pacta Conventa* D. Michaelis & Serenissimi Joann. III. ubi cavetur, quòd scipiones Mareschalcales, Sigilla, & Thesauriatus cum clavâ Ducum Exercitûs sint incompatibilia.

VI. *Cùm* (juxta Ciceronem) *pro ſuâ Patriâ pauci poſt genus hominum nati & reperti ſint, qui nullis præmiis propoſitis vitam ſuam hoſtis telis objicerent:* Proindè laudabili & ad virtutis uberrimum alimentum utili inſtituto Rex Poloniæ per quatuor menſes militares, hoc eſt, per Septembrem, Octobrem, Novembr. & Decembr. vacantes Capitaneatus, & Officia Terreſtria benè meritis militibus confert, *vid. Conſtit. Anni* 1662. Uti enim milites pœna & timor in ſedib° corrigunt, ita in expeditionibus ſpes & præmia faciunt meliores, *Vegetius lib. III. cap. ultimo.* Si omnes, qui Reipublicæ conſulunt, chari eſſe nobis debent, certè imprimis Imperatores & milites, quorum Conſiliis, virtute, periculis, retinemus & noſtram ſalutem, & Imperii dignitatem. Ad ſecuritatem enim ejusdem requiritur præſidium perpetui militis, cum Regna *Paternoſtris* conſervari nequeant, uti dixit Henricus IV. Rex Galliæ. Singulare benemeritorum militarium præmium refert *Sarnicius* de Joanne à Tarnow, quem Sigiſmundus Rex tanti fecerit, ut poſt illam memorabilem Victoriam de Valacho ad Obertinum, binorum groſſorum in jugera contributionem publicam ei decreverit. Super Advoca-

vocatias etiam Privilegia dantur benè meritis militibus, Perſonis Nobilibus, non verò plebeis, & licitum eſt easdem aliis vendere Nobilibus, juxta *Conſtit.* 1662. Excepit tamen Rex Joannes Caſimirus decem Advocatias, præſertim Samborienſem, Servitoribus ſuis, etiam plebeis, jure advitali conferendas *per Conſtit. Anni* 1662. *p.* 15. *vid. etiam Conſtit. Anni* 1647. Factâ hîc mentione Advocatiarum, adjicio, quòd Lublinenſis, Lancicienſis, Wſchovenſis & Sredenſis iisdem Civitatibus incorporatæ, ac proventus illarum in uſus publicos Civitatum convertendi ſint, ſalvo Servitio bellico, juxta *Conſtit. Anni* 1589.

VII. Hoc etiam de Officiis notandum, quòd Rex aliquando conſentiat, ut alter alteri ſuam cedat functionem.

VIII. Placet hîc examinare quæſtionem, an Reſpublica tempore InterRegni vacantes dignitates poſſit diſtribuere. Ventilata eadem eſt tempore InterRegni *Anno* 1632. ex occaſione, quòd Rex Sigiſm. III. defunctus Filio ſuo ex Conſtantia Auſtriaca Joanni Alberto Cardinali Diacono & Epiſcopo Varmienſi Epiſcopatum Cracovienſem contuliſſet, & inopinata morte præventus, non ſubſcripſiſſet literas ad Cathe-

drale Collegium Cracovienſe & ad Summum Pontificem in ſimilibus negotiis neceſſarias. Poſt multas ratiocinationes concors tandem ſtetit declaratio, quòd Senatus poſſit ejuſmodi literas dare, quas etiam deindè Primas Regni edidit. Ratio decidendi erat, quod conſtabat jam collatam fuiſſe Principi illam dignitatem, à ſuccedaneo Rege pro ratâ habendam, manu tenendamque. Quod enim alioquin InterRegni tempore Vacantiæ diſtribui non poſſint, ſolidioribus argumentis tunc demonſtratum fuiſſe, teſtatur *Piaſec. in Chron. ſub Anno* 1632. Ita Czarnkowski Referendarius Regni, de Coadjutoriâ Archi-Epiſcopatus Gneznenſis perDecretum Comitiale abjudicatus eſt, quod Conſenſum â Rege Henrico jam in Galliam tendenti extra Regnum, quaſi ſub InterRegno obtinuiſſet, quamvis non fuerit res inſolita ejusmodi dari Conſenſus, necdum Reſpublica obedientiam dicto Henrico renunciaverit, *Dargodzki de Titulatâ Nobilitate.* Aliam tamen rationem initæ factæ adoptionis ſive Coadjutoriæ allegat *Piaſecius.*

CAP.

Cap. IV.

DE JURE CUDENDÆ MONETÆ.

I.

POlonos olim, ad inſtar aliarum gentium permutatione rerum uſos fuiſſe dubium non eſt. Fruſtulis quibuſdam argenti pellibusq; apreolorum ſibi res comparaſſe, docet *Gvagvinus*. Undè etiam in vim mulctæ pelles dabantur, *videſis Januſs. lib. 5. Conſtit. part. 3. tit. 1. fol.* 425. Sic nec in Lithvania ſub finem ſeculi XI. pecunia extitit, uti patet *ex relatione Neugeb: Lib. III. Hiſtor. Polon. ſub Vlad. Lasconogo.* Nummiſma Peregrinum groſſos ſcilicet Bohemicos & denarios argenteos primus in Poloniam invexit Rex Venceslaus, *circa Annum* 1300. Ex Polonis autem Caſimirus Magnus poſt coriaceas pecunias quadratas primus monetam cudit groſſos ſcilicet argenteos cum Titulo: MONETA REGIS CASIMIRI Aureus verò nummus tempore Alexandri cœpit cudi. Olim jus cudendæ monetæ penes Regem fuit, quæ poteſtas deindè tem-

pore Vladislai Jagellonis in Comitiis Jedlinenſibus Anno 1430. reſtricta eſt, ne Rex monetam absque Senatus Conſilio cudat. Ita etiam Reges nonniſi cum Senatu peregrinam & adulterinam monetam proſcribere ſolebant. Modernis verò temporibus Rex Poloniæ jus cudendæ monetæ ex conſenſu Comitiorum exercet, *juxta Pact. Convent.* Vladislai, Joann. Caſimiri, Michaelis, & Sereniſſimi Joannis III. Hinc proventus etiam non Regi nunc cedunt, ſed Reipublicæ accreſcunt, vigore *Act. Elect. Vladislavianæ Anno* 1632. ac Theſaurarius deſuper in Comitiis rationem reddit *Anno* 1654. Cauſam verò hujus legis *Stanislaus Kobierzycius de rebus geſtis Vladislai Principis* ſequentem allegat, quod cum Reſpublica Sigiſm. III. Regis ſoboli liberaliter proſpexiſſet, ideò gratitudinis ergò Rex ceſſerit Reipublicæ jus cudendæ monetæ. Hoc etiam gaudent tres Majores Pruſſiæ Civitates, Thorunium, Elbinga, & Gedanum, ideoq; ad Conſilia de re monetaria invitantur. Sed Cuprea nunc nobis ſunt ſecula, utinam aurea Saturni mox redeant!

CAP.

Cap. V.

DE JURE TRIBUTORUM ET VECTIGALIUM.

I.

JN Tributis eſſe Reipublicæ nervos nemini dubium eſt, impoſſibile eſt, ut ſacris tributis non illatis alioqui Reſpublica conſervetur, benè dicit Imperator *Juſtin. Nov.* 149. *Neque enim quies gentium* (ait ille) *ſine armis, neq; arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Proximum autem id Libertati, eadem non indici. Hinc libera Polonorum gens non impoſita, ſed ſponte in Comitiis laudata agnoſcit. Antiquiſſimum jus Comitiorum, libertatis prima baſis, contributionum neceſſitati originem ſuam debet. Prutheni autem non in Comitiis ſuas Contributiones declarant, ſed ſingulari immunitate ad referendum Palatinatibus ſuis gaudent. De his contributionibus, ultra Conſiliarios & Nobiles, minores quoque Civitates primò deliberabant, ſed jam hæ activitate excluduntur.

II. Antiquis temporibus, ut patet ex *Cromero lib.*

ro lib. II. pag. 128. penſitabatur quot annis tributum *poradine*, etiam *Kroleſtwo*, id eſt Regale dictum, quod conſtabat duodecim groſſis de manſo, donec Ludovicus Rex *Anno* 1374. Nobiles & eorum aſcriptitios ab illo liberavit, duos tantùm reſervando groſſos, quos deniq; *Sigism. I. Anno* 1507. planè remiſit.

III. Ordinarii proventus Reipublicæ ſunt, *Quarta*, de quâ jam ſupra *lib. I. cap. VII.* dictum eſt, *Depoſitoria vini*, *Aquaticum Fordanenſe*, *Capitatio Judaica*, *Evecta & inducta*, *Quartus groſſus majoris Poloniæ & Ruſſiæ*, de quibus agit *Conſtit. Anni* 1647. cavetque, ut in ſolutionem militum impendantur.

IV. Extraordinariæ Contributiones ſunt, *Capitatio*, Polonicè poglowne, quæ ab omnibus Chriſtianæ fidei addictis Nobilibus & Ignobilibus exigitur. Quæ enim à Tartaris, Lithvanicis vecturam, commercia & opificia exercentibus, & à Judæis penditur, ordinariis annumeratur, videantur *Conſtitutiones* 1667. 1673. & 1677. variat pro ratione temporis, & ita eſt intelligenda, quòd præter illam ad alias etiam Contributiones, quæ incolis Regni & M. D. Lithv. imponuntur, teneantur. *Agraria*, lanowe dicta, quando

quando pro laneis & manſis certa pecuniæ ſumma exſolvitur. *Czopovve*, olim erat nummus à ſingulis groſſis, nunc ferè nona pars dolii Cereviſiarii, vel aliorum potuum, vocatur Contributio ducillorum ſeu ducillaris, nec ſunt ab hac Contributionis ſpecie immunes Nobilium ſubditi, qui in diverſoriis liquores divendunt, videatur *Conſtit. 1667. 1676.* conceſſa eadem fuit Civitati Posnanienſi à Sigismundo Auguſto *anno* 1588. item Civitati Cracovienſi in reparationem *anno* 1589. Decernitur etiam aliquando in Regno noſtro *acciſa*, quæ ab omnibus mercimoniis tàm victualibus quàm utenſilibus in omnibus oppidis Regni, Eccleſiaſticorum & Nobilium ſolvitur, & quidem de quolibet floreno duo groſſi penduntur. *Vid. Conſtit. Anno* 1588. *&* 1658. Notum quoque tributi genus eſt *donativum*, quod Mercatoribus imponitur; Pro ratione periculorum variat, & aliquando ad vectigalia computatur, uti noviſſimè *anno* 1678. Eſt & alius modus collectandi, nimirum fumalis collecta *podymne*, à ſingulis domibus tam Civitatum quam pagorum, Curiis Nobilium & Eccleſiaſticorum exceptis, quæ tributi ſpecies primùm *ſub Sigismund. III. anno* 1629. ad proportionem Geometricam introducta eſt.

Solet etiam eſſe non poſtponenda auctio ſubſidii ex Monopolio Tabaci, quod plùs offerenti arendatur, cujus Exemplum *in Conſtit.* 1673.

V. *Vectigalia* inſtituere, augere, vel mutare, Comitiorum quoque arbitrio ſubeſt. Immunes ab iisdem ſunt Nobiles & Spirituales perſonæ, eorumq; ſubditi quo ad res domeſtico labore quæſitas, & ad propriũ uſum advectas. *Albert.* 1496. *Sigism. I.* 1523. *Sigism. Auguſt.* 1550 & 1569. prævio juramento ſive per Dominos ſivè factores in officio Terreſtri, vel in defectu ejusdem coram Notario Vectigalium, non eſſe iſta bona empta, ſed proprio vel ſibi ſubditorum labore quæſita. Qui autẽ ſemel juravit, illius literis ſignificatoriis ubique ſtandum & fides adhibenda eſt, *Sigism. Cracoviæ* 1540. 1543. Eſt ergò inter egregias Nobilitatis Polonæ prærogativas, vectigaliũ immunitas, quæ pulcherrimum donum generis mortalium vocatur Hiſtoricorum Principi: Niſi neceſſitate ſic exigente *generale* (uti nominatur) *vectigal terreſtre & Aquaticum* decernatur, cujus exemplum in Conſtit. 1673. reperitur. Teloniatores autem de jure debent eſſe Nobiles iique benè poſſeſſionati. Quare ii ipſi, qui Telonium ſolvere tenentur, ſcilicet plebeji, Teloniatores eſſe

ſe non poſſunt, *Conſtit.* 1569. 1616. De Judæis etiam, quòd non poſſint telonia tenere, expreſſiſſima ſunt Regni ſtatuta, ſub pœnâ centum marcarum toties, quoties contra permittentes. Sed hæc non obſervantur.

Cap. VI.

DE JURE ARMORUM.

I.

REgum ſit inſtrumentum tempore pacis ſceptrum, tempore belli gladius. Sed cum hoc plurima in ſe habeat mala, omnia priùs experiatur Princeps, quàm decertet. Quo forſan collimabat articulus Regibus Iſraëliticis præſcriptus, qui volebat, ne multos alerent equos, ſcilicet ne animo geſtirent Ægyptos bello lacesſere. Imò Codex Sacer arma DEI, quibus contra hoſtes ſuorum uſus eſt, potius defenſiva quam offenſiva exhibet. Nominat ipſum ſæpiùs Petram, & turrim fortiſſimam, frequenter etiam Clypeum. Hic eſt ille titulus primus, quem DEus poſt primum in mundo bellum aſcivit. *Geneſ.* 15. Hinc Rex Poloniæ inter alia Pacta jurat, ſe absque con-

conſenſu Reipublicæ, neque bella offenſiva ſumpturum, neque peregrinum militem in Regnum aut Lithuaniam introducturum, neque Exercitum aucturum; Bella igitur in Comitiis contra hoſtes publicantur. Declaravit autem Respublica tempore Inter-Regni 1632. quod pro ſuſcitatione belli offenſivi haberi non deberet, ſi Exercituum Dux defenſivum bellum gerendo hoſtem ultra fines fugientem, ubi hoc rationes belli requirerent, licet in alieno territorio, internecioni vel fugæ dare poſſet. *Ex punctis dict. anno ad Caſtr. Varſav. porrectis.*

II. Olim Nobiles tantùm in bellum profectos fuiſſe vel inde conſtat, quod Nomine militum, Nobiles inſigniebantur, nunc vox Equitum frequentior eſt, & indignum Nobile viro habetur, non vacaſſe vel literis vel militiæ. *Majores noſtri*, ait Lubienſcius, *ſelectam quandam militiam habuerunt, nec eam ruſticæ Genti unquam communicare voluerunt, equite non pedite in bellis utebantur: ipſa Nobilitas arma inſigne militare tenebat, rei Agrariæ curâ Advocatis, Scultetis, & Ruſticis relictâ. Idque non ſine cauſa Majores noſtri faciebant, nam ſi Nobilitati ruſtici mixti fuiſſent, Nobilis deſertæ ſtationis accuſatus parem ſibi genere non habuiſſet, quem teſtem adhiberet, ſe*

in

in bello eum locum qui ei obtigerat tenuiſſe: quæ quidem cauſa etſi Nobis valdè levis videtur, cæterùm illis temporibus, quibus alius bellandi modus erat, valuit, imò fundatur in eâdem Conſtitutio 1578. de illegitima prole. Primùm ſub Caſimiro Magno ultima domus Piaſtanæ progenie, ea auctorandi militis ratio mutata eſt: Diſperſas etenim reliquias Regni cum perſequeretur, & intra anguſtos terminos hoſtibus reſiſteret, Ruſſicaque Imperia, quondam ſuum labore Boleslaorum, Uladislaorum, Caſimiriorum conquiſitum patrimonium recuperaret, & Coronæ Polonicæ jungeret, ex hominibus conditionis plebejæ colendis agris tam Regiis quam ſpiritualium & ſecularium adſcriptis exercitum collegit. Atque inde illud Statutum de ſubditis tam Spiritualium quàm ſecularium crevit, quod æquè Nobilitatem ac Statum Eccleſiaſticum affecit. Quando antiquitùs Sculteti & Kmetones in militarem Ordinem recipiebantur, Scartabelli vocabantur Σκαρθμός Græcè, Latinis agilitatem, vel curſum ſignificat, quòd in bello ad omnem uſum currendi vel recurrendi celeres atque expediti eſſent.

III. Quando verò Nobilitas ad Expeditionem generalem polonicè *Pospolite Ruszenie* evocatur, nullius Imperio, quam Regis ſubeſt, cujus præſentia tunc eſt neceſſaria, adeò ut quidam

dam Ruthenus in literis ſuis ad Regem Sigism. Auguſt. datis, uſus ſit hisce verbis: Virum libertas noſtra requirit, ut ſit ſalva, non titulum Regis. Hinc, quia anno 1576. Rex deerat, dicti ſunt Inter-Regno illo, ex communi omnium aſſenſu, tàm generali Expeditioni, quàm noviter lectis cohortibus Duces Stanislaus Gorka, & Stanislaus Ckovius Succamerarius Cracovienſis. Veteranus autem miles Duci ordinario parere juſſus. Vid. *Fred. Henr. Val.* 246.

IV. Expeditionem Generalem Rex, & tempore Inter-Regni Primas ex publico Comitiorum conſenſu indicit ſine diviſione belli, *Conſtit. anno* 1576. In Conſtitutione 1557. cavetur, quod ſi hoſtis in diverſa ingrueret loca, tunc Rex ad eum locum, ubi maximum fuerit periculum ſe recipiet, & alii Palatinatus cum Exercituum Ducę periculis obviam ibunt, ſed pro illa tantùm vice. Modum expeditionis iſtius Generalis legas prolixè *in Conſtit. anno* 1621. præſcriptum. Univerſales, quibus Nobilitas intra quatuor ſeptimanas ſucceſſivè, ter convocatur, dicuntur *literæ reſtium*, quia in perticâ reſti alligatæ, à Miniſterialibus ad Dignitarios & Officiales, ſublimes & conſpicuæ circumferuntur ſub Sigillo Regni vel M. D. Lithua-

thuaniæ. Moderno tamen Serenisſ. Regi Joanni III. conceſſa eſt facultas ſub Sigillo Cameræ, (quod Auguſtus Rex, teſtante Varſevicio, primùm introduxit) convocandi Nobilitatem. Quod verò tantum pro hâc vice currere debet. *Vid. Act. Elect.* Plerumquè literæ ſingulæ pro binis mittuntur, imò ut unæ literæ pro tribus valerent, concesſit Nobilitas *anno* 1576. ſed tantùm pro illâ vice.

V. In Plocenſi & Mazoviæ Palatinatibus Fratres disjuncti ſex, unum mittunt militem, *Conſæd.* 1674. poſſeſſionati tamen ſubditos habentes in perſonis comparere tenentur. In Palatinatu Podlachiæ & Terra Lukovienſi, ſecundum jus & conſuetudinem, ex decem manſis unus mittitur Eques, *Conſtit.* 1676.

VI. Qui bona jure Emphyteutico, vel etiam per arendam tenent, ipſi debent militatum ire, aut cum iis, quorum bona ſunt, juſtum expedire Comitatum, *vid. Conſtit.* 1621. Nobiles in diverſis Terris domicilia habentes, bellico ſervitio ex eis bonis, ubi eos reſtes prævenerint, propriâ perſonâ; de aliis autem bonis expeditione congruenti ſatisfacere debent. *Sigism. Cracov.* 1510.

VII. Nemo excipitur, niſi quem jus antiquum

qvum excepit, præter triginta perſonas Aulæ Reginalis Majeſtatis *juxta Conſtit.* 1628. In Aula Archi-Epiſcopi Gneznenſis duodecim, Epiſcopi Cracovienſis ſex perſonæ eximuntur. Penes Theſaurarium Regni Officiales manebunt liberi, *vid. Conſtit.* 1678. Quòd Cancellarii liberi ſint, habet *Conſtit. Anni* 1655. Sic vacationem militiæ habent, Tribuni Terreſtres, Præfecti Arcium in finibus Regni ſitarum, Vicarii cœterorum præfectorum Jurisdictione gaudentium, & qui Reipublicæ cauſa abſunt, ita ut ne poſtas quidem ex bonis ſuis expediant *juxta Conſtit.* 1655. Pupilli autem, ægroti, ſenio confecti, & Viduæ per neceſſarios aut famulos militatum abeunt. Habet quoque vacationem Ordo Eccleſiaſticus, præter eos Sacerdotes, qui bona Terreſtria poſſident, vigore *Conſtit.* 1607. 1621. 1635. Major tamen, qvàm illa Expeditio Generalis in Republicâ noſtrâ extat antiquitùs reperta ac præcepta, à quâ ne Sacerdotes quidem cum ſuis proventibus excipiebantur, teſte Przyluſio in Stat. p. 930. Sed in Lithuaniâ non tantùm ex bonis Hæreditariis, ſed etiam Eccleſiaſticis mittere tenentur, quæ diverſitas in Stat. *Litt. in additamentis ad C. 2. Artic. 9. annotatur.*

VIII. Ab

VIII. Ab Oppidanis pedites & currus expediuntur, *vid. Conſtit.* 1612. Ex bonis etiam Regiis id eſt Capitaneatibus & Tenutis mittendi ſunt milites lecti Wybranci nuncupati. *Anno* 1649. conſtitutum erat, ut loco militis ejusmodi Coloni ſexaginta florenos penderent, quos Capitaneus Ravam transferret. Sed poſteà lex vetus de milite lecto *per Conſtit.* 1652. 1653. 1662. re-inducta eſt, ut ex viginti manſis unus pedes acinace, ſclopeto, & ſecuri armatus expediatur.

IX. Deſignato per Caſtellanum loco & die Conventus particularis, inſtituitur luſtrum (polonicè *podpis*) & poſtea Nobilitas ad Palatinum deducta iterum luſtratur, abſentesque notantur, ac Jurisdictio quæ hactenus ad Caſtellanum pertinebat, Palatino traditur, quí tandem, nullas faciendo in Bonis Nobilium Stationes, ad locum à Rege univerſo Nobilitatis Exercitui deſignatum, procedit.

X. Nobilitas autem extra fines Regni abire non tenetur, *vigore Conſtit. Caſimir. M.* 1368. ſed poſteà Uladislaus Jagello, juxta privilegium *Jedlin.* 1433. poſtulante caſu neceſſitatis extra fines eundi, ſingulis equitibus quinque marcas (fecit tunc quinque Gallicos Coronatos) pro

ſingulis menſibus, & pro damnis etiam & captivitate ſatisfactionem promiſit. Quo de etiam Henricus Rex cavit, cum additamento, ſe tunc Exercitum non eſſe diviſurum. Palatinatus Podoliæ ad Cameneciam ſub directore ſuo conſiſtere ſolebat, *Conſtit.* 1667. Lithuani & Prutheni limites ſuos non egrediuntur. Sed hi tantum ad Viſtulam, Oſſam & Drevantiam progrediuntur, inſiſtentes privilegio Culmenſi *anni* 1251. *per Conſtit.* 1659. 1676. roborato. Ideòque ſolet aliquando expeditio pro ratione facultatum conſtitui, nam ſic Lithuani & Prutheni ultra Leges ſuas de expeditione Generali, ſubſidia præſtant. Ita *anno* 1676. ex omnibus bonis tam Regiis Oeconomicis, quàm Eccleſiaſticis & Terreſtribus, nemine excepto, ex fumalibus ſive domibus viginti octo, juxta *Tariffam* abjuratorum *anni* 1661. unus pedes expediri juſſus eſt, polonicè vocatur *VVyprawa*.

XI. Abſentes ab iſtâ Expeditione in Judicio generali militari judicari, & bona ipſorum in communem fiſcum pro exſolvendis ſtipendiis converti debent, juxta *Conſtit.* 1676. *p.* 12.

XII. Nullus famulus conditionis Nobilitaris, qui ſub tertiis univerſalibus ſervitium ſuſcipit,

pit, à Domino recedere poteſt ſub pœnâ capitis & infamiæ. Notandum hîc, quòd etiam illi, qui vigore Decretorum pro pœnâ publicâ ſeſſionis turris ſatisfaciunt, ad ejusmodi expeditionem venire, & poſtea reliquam ſeſſionem abſolvere teneantur, *Conſtit.* 1621.

XIII. Poſt finitam Expeditionem Generalem nemo debet diſcedere, niſi id priùs Palatino vel Caſtellano vel Ductori Diſtrictus ſui vel Officialibus Judiciorum ſignificaverit & literas de ſuper receperit, quæ ipſi denegari non debent, *dict. Conſt.* 1621.

XIV. Cum verò inter Arma ſileant Leges, tempore ejusmodi motus publici omnia ceſſant Judicia, & jus omne tunc penes Principem eſt, ita, ut ante extraditionem tertiarum literarum Rex Tribunalia compellet, ad limitanda Judicia, Caſtrenſia verò & quærelarum aliaque durant, usque ad publicationem tertiarum literarum *Conſtit.* 1634. *p.* 4. Poſt reditum Curialia, Tribunalitia & Caſtrenſia in ſex ſeptimanis reaſſumuntur. Terreſtria verò prout eorum inciderit terminus.

XV. Nunc dicendum de ſtipendiario Milite, qui eſt vel Equeſtris vel Pedeſtris. Equites

gravioris armaturæ Cataphracti Uſarze lanceis ſive haſtis polonicè Kopije dictis inſtructi ſunt. Simile eſt adhuc præprimis in Lithuaniâ genus Militum Petyhorſcy appellati, qui brevioribus lanceis ſive ſarisſis Drzewca utuntur. Levioris armaturæ vocantur Pancerni ſive Koſacy, qui loricis & haſtis Turcicis Dzidy dictis inſtructi. Facit huc *Conſtit. An.* 1658. quæ ita ſe habet: Quoniam robur & antiqvum Genus Militiæ atque nationi noſtræ nativus miles haſtatus (Kopiynik) hactenus intermiſſus fuit, ideò conſtituimus, & ab Exercituum Ducibus requirimus, ut cohortes Cataphractas & Petyhorscas colligant. Valachicæ autem cohortes debent penitùs eſſe caſſatæ, exceptis duabus Ducum Exercitus; Tartaros autem Lithuanicos, quoniam ad ſervitia Reipubl. tenentur, in ſuo robore conſervamus, ita tamen, ut Magiſtros Eqvitum (Rotmiſtrzow) Nobiles benè poſſeſſionatos juxta Leges habeāt. De Quartiano Milite jam ſupra, ubi de quartâ agitur, dixi, & nunc addo, quòd illa pro militibus in terris Podoliæ excubantibus inſtituta fuerit, ita quidem, ut ante omnia cuilibet Capitaneo & Tenutario bonorum Regiorum ſalarium ex iisdem penderetur, reſiduum verò in qua-

tuor

tuor partes divideretur, quarum tres Menſæ Regiæ, quarta ſtipendiis exolvendis cederent, quæ tamen reſpectu portionis pro Capitaneo & Tenutario computatæ, etiam quinta in antiquioribus libris Theſauri, vocatur. *Anno* 1567. quarta, eum in modum, qui ſequitur, expenſa fuit; In unum Eqvum gravis armaturæ florenos 12. & in unum Equum levis armaturæ florenos 10. Ad alia verò quartualia videlicèt ſecundum & tertium ſolutio ſtipendiorum illis data eſt ex contributionibus publicis dicto *anno*, in Eqvum unum gravis armaturæ florenos 10. & eqvum unum levis armaturæ florenos 8. pro quartuali autem quarto prout pro primo. *Anno* 1569. exactà ratione Quartæ Ordinatio facta eſt. *Anno* 1675 Quarta eum in modum erogata legitur: in Equos gravis armaturæ Numero 120. florenos 12. Levis armaturæ num. 1380. per florenos 9. in Equos Strzelcow Czerniſow num. 200. florenos $4\frac{1}{2}$. In bombardas mediocres Hakownice numero 30. florenos 9. In Pedites ad tormenta bellica num. 200. florenos 5. Iisdem in Equos gravis armaturæ num. 4. florenos 12. Coſacis Niſovienſibus num. 300. per florenos $2\frac{1}{2}$. Notandum hic, quod olim non fuerint, ut nunc ſunt, integræ gravis

armaturæ cohortes, ſed quælibet cohors centum virorum 92. levibus, & 8. cataphractis conſtiterit: inter centum autem & quinquaginta Equites duodecim cataphracti computabantur, & ſic proportionaliter. *Anno* 1589. ordinatum eſt, ut ſi quis Nobilem ſe venditet & non ſit, bona ſua amittat, eorumque medietas ad quartam convertatur, altera pars delatori cedat. *Anno* 1590. terminus, qui eſt pro Feſto Pentecoſtes, unâ ſeptimanâ anticipatus eſt, ſed pro illâ tantùm vice; *Anno* 1613. cavetur, ne quarta alium in uſum, ſed tantùm ad præſidia ordinaria, hoc eſt in Militem Quartianũ impendatur; Eâdem Conſtitutione pro Equite Cataphracto 15. pro Coſacico 12. floreni conſtituti ſunt, & Magiſtro eorum 100. floreni tàm intra quàm extra Regnum. Ut ex auctione proventus augerentur etiam præſidia Regni, *Conſtitutio* 1616. ad quartam depoſitoria vini, & tertium groſſum de lapide plumbi Mercatilis ordinavit. *Anno* 1619. duplex Ordinata fuit quarta pro milite quartiano, computando ratione ſummæ iſtius quartæ tot Cataphractos, quot hæc quarta exportaret, tot Coſacos etiam ad quot hæ pecuniæ in vim ſtipendiorum ſufficerent; Exceptâ autem leguntur à duplici quar-

quartâ Oeconomiæ in jure ſpecificatæ, ſalisfodinæ, Telonia, Bona Magnæ procurationis, & omnes alii proventus menſæ Regiæ, ex quibus ſimpla tantùm ſolvenda eſt: Id quod etiam de bonis Reformationi Reginæ ſubjectis intelligendum. *Anno* 1620 Conſtitutum fuit, ut Capitanei & Tenutarii primam quartam die Lunæ poſt Feſtum Purificationis, & alteram pro Feſto Pentecoſtali inferant: Pro illâ vice etiam quilibet Capitaneus & Tenutarius ex Capitaneatibus antiquis ſummis oneratis ad quinq; florenos de manſo obligabatur. *A.* 1627. iterum cavetur, ne quarta aliorsùm quam in militem, qui Ukrainam ab incurſionibus hoſtilibus tuetur, expendatur. *In Conſt.* 1637 Vladislaus Rex decernit, ut quoniam à felici ejusdem Electione, poſt deceſſum vel ceſſum priorum poſſeſſorum duplex quarta ad apparatum bellicum deſtinata Ravæ pendatur, ſub pœnis de quarta antiquâ & deindè à Theſauro Regni ad manus Præfecti Artilleriæ, (qui Nobilis benè poſſeſſionatus & Juratus eſſe debet) transmittatur, & quidem illuc, quorſùm à Duce Exercitus aſſignatio erit. *Anno* 1658 Conſtitutum eſt, ut in poſterum poſt ceſſum vel deceſſum Capitaneorum & Tenutariorum novi Donatarii & Ceſſio-

Ceſſionarii primô Anno poſſeſſionis ſuæ quadruplam quartam inferant. *Anno* 1661 Leges de antiquâ quarta reaſſumptæ leguntur, & revificatio novæ quartæ in Oeconomiam bellicam *juxta Conſtit.* 1637. 1638. 1640. 1641. ordinatæ extat. *Anno* 1667. *exolutio* quartæ ſub pœnâ amiſſionis bonorum Regiorum in Comitiis benè meritis & in Artilleriam Regni conferendorum injungitur, ita quidem, ut Notarius quartæ (quô officiô Caſimirus Kowalkowski de Kowalki Terræ Dobrinenſis Sub-Dapiferâ multis jam Annis fungitur) hanc delationem cum ſubſcriptione Deputatorum connotet, & ad Caſtrum Ravenſe porrigat, & poſtea, mediante inventario, bona recipiat, tandemque illum, cui eadem Rex contulerit, intromittat, Conſtitutâ contra impugnantes poſſeſſionem pœnâ perpetuæ bannitionis in Tribunali Regni inter cauſas fiſci publicandæ. Ab *anno* 1667. usque *ad annum* 1673. *diem ultimum Aprilis* ex Quartâ pro quinque cohortibus haſtatorum, quæ ſeptingentis Viris conſtabant, exſolvebantur ſtipendia, ſcilicet pro haſtato ſive Huſaro 51. pro Coſaco 41 florenos, ita tamen, ut iſte unus florenus Magiſtro cohortis pro culinâ vulgò Kuchenne cederet, cui præterea etiam duodecim portio-

portiones non exiſtentium polonicè Slepych. *Locum* tenenti 6. & vexillifero 2. admittuntur. *Anno 1673. usque ad annum 1677.* quarta in Generalem ſtipendiorum ſolutionem computabatur. Denique *per Conſtit.* 1677. ordinatum eſt, ut ex quartâ antiquâ centum & quatuordecim millia ad hyberna inferantur, & diſtribuantur. Cum autem modernô tempore Capitaneis & Tenutis omnes reditus, exceptâ quartâ, cedant, nec, uti olim, tres partes ad menſam Regiam ſpectent, curioſiùs indagavi, ſub quo Rege & quare mutatio iſta introducta. Tandem incidi *in Conſtit. Sigismundi III. de anno* 1590. ubi ob certiores reditus pro mensâ Regiâ, &, ne quid propter defectum contra dignitatem Regiam eveniret, Respubl. certas Oeconomias & proventus ordinavit. Ab illô itaque tempore, credo, quod ſupra dictæ tres partes remiſſæ fuerint. Nam *Conſtit. anni* 1638. ſub titulô â Oeconomiach quæ obſtare videtur, dum vult, ut tres partes ad menſam Regiam convertantur, loquitur, non de omnibus Capitaneatibus, ſed de illis tantùm, quæ ad bona menſæ Regiæ olim (*ſcil. à dictô Annô* 1590.) ordinati ſunt. In Magno Ducatu Litthuaniæ ultra ſimplam quartam, quæ *in Conſtitutione* 1590 funda-

mentum ſuum habet. *anno* 1613. duplex conceſſa eſt, ſed ob ſummam neceſſitatem pro illâ tantum vice. *Anno* 1620. iterum in unum tantummodo donativum conſenſerunt Lithvani. Quod & *anno* 1626. factum eſt, tandem in Capitulatione Vladislai IV. conventum eſt, ut in poſterum ſemper donativum ſimplex ex bonis Lithvanicis pro apparatu Bellico in Theſaurum inferatur, & quidem Vilnæ pro Feſto Sancti Johannis per 4. Septimanas. Poſtea tamen *anno* 1641. ordinatum, ut illud ſingulis annis ſex hebdomadis poſt Feſtum Johannis ad manus Præfecti Artileriæ reddatur, & ipſe in quibusvis Comitiis Theſaurario Magni Ducatus Lithvaniæ rationes referat.

XVI. Ordo militiæ pedeſtris circa *annum* 1581 inſtitutus. Nam veteres Poloni, quia campeſtria incolebant, equis potisſimùm gaudebant, adeò, ut munia pedeſtrium apud eos extraneus Miles, non ſine magnis ſumptibus obierit. Sic ſub Auguſto Crivouſto mercenarios ex Ungariâ milites fuiſſe accitos contra Pomeranos refert *Cromerus lib. 5. fol. 472.* Undè forſan in hunc usque diem uſitatisſima Polonis Militia, quæ Węgierska Piechota Hungaricus Peditatus nuncupatur, alias Hayducii. Ut verò illud incommodum vita-

vitari poſſet, miſſi fuerunt ad Regias poſſeſſiones, qui ex robuſtiſſimis vigeſimum quemquè in militiam legiſſent, ab oneribus ruſticis & poſteri eorum immunes redderentur *Sarnicius.* Nobiles enim Poloni non tantùm nomine, ſed & re ipſâ Equites eſſe amabant, atq; pedeſtri militiâ fungi, minùs decorũ æſtimabant, ſed deliberavit Respubl. ſub tempus Inter-Regni *An.* 1632. de pedeſtri militiâ honoratiori inſtituendâ, uti patet ex Punctis ad Acta Varſavienſia porrectis. Benè etiam hæc ſucceſſit intentio, adeò, ut ab illô tempore Nobiles inter pedites juſſa dare vel exequi non ambigant.

XVII. Militem ſine literis Regiis nemo colligere poteſt, ſub pœnâ infamiæ & perduellionis, juxta Pacta conventa Serenisſimi Joannis III. *vid. etiam Conſtit.* 1670. *p.* 6. Magiſter Artileriæ ſit Patricius & benè poſſeſſionatus *vid. allegata Pacta.* Gubernatio quoque Arcium & fortalitiorum Extraneis ac plebejis perſonis non conceditur, niſi Nobilibus benè poſſeſſionatis *Conſtit.* 1550. & benè-meritis ab Exercituum Ducibus commendatis, nec minus ex annexis Provinciis, tenore Pactorum Conventorum altè memorati Serenisſimi Regis Joann. III. Articuli Militares in *Conſtit. anni* 1609. reperiuntur. XVIII.

XVIII. Anterioribus temporibus in confiniis Regni Exercitus Hyberna & Stativa expediebat, quæ deindè ad assignationem Ducũ in viscera Regni transpoſita. Per Conſtitutionem autem *An.* 1670. hyberna in meliorem redacta Ordinẽ, ac ne quis ab istâ æqualitate importunis instantiis se, uti antea contigit, liberet, ad Duces Exercituũ duos Deputatos ex Senatu, & duos ex Gentibus nullam cum Exercitu connexionẽ habentes assignatos legimus, ut cum quatuor ab Exercitu Deputati distributionem faciant; Tandem Serenissimus Rex nunc gloriosè regnans *Anno* 1677. per tot oneroſa per multos annos hyberna, & gravamina per varios militum transitus afflictis succurrendo ſubditis hyberna ex bonis Regiis ad ſummam ſeptingentorum & ſexaginta millium Leopolim pro Feſto S. Michaëlis convehendam reduxit, Status verò ſpiritualis in vim ſubſidii charitativi trecenta florenorum millia promiſit. Epiſcopi & Archimandritæ uti & omnia bona ſpiritualium Græco-Ruthenorum Unitorum & Disunitorum in vim hybernorum ad ſummam quatuor millium obligabantur. Dicti anni Conſtitutio in Comitiis Grodnenſibus 1678 reasſumpta, & ad hyberna diſtribuenda præter alios,

non

non tantùm Officium Theſauri uti Anno 1677, ſed etiam Notarius Campeſtris Regni adjunctus eſt. Ex Senatu; Posnanienſis, Kyovienſis, Lublinenſis, Palatini & Nicolaus Comes in Szkłow & Myſz Marſchallus Curiæ Regni. Ex Equeſtri Ordine ex Majori Poloniâ, Albertus Adrianus Laſocki Capitaneus Viſogrodnenſis, Joannes Korzenienski Capitaneus Coſtenenſis, Regens Cancellariæ Regni, & Procopus Granowski. Ex Minori Poloniâ, Stephanus Bidzinski Præfectus vigilarum Regni, Capitaneus Chęcimenſis, Caſimirus Cieciſzewski Capitaneus Mielnicenſis, Martinus Trzebachowski Dapifer Premiislienſis.

XIX. Cum Coſaci genus militum ſint, de iis quædam hîc annotare expedit. An ſponte nomen aſſumſerint, an ab aliis acceperint, haud conſtat. Nonnulli dictos putant, à pervagâ caprarum (quæ Sarmatice kozy vocantur) agilitate, quâ illi pollent; Alii à navigiis polonicè kozy ſed apud ipſos czaybi vocantur, quibus Volgam, Tanaim, Boryſtenem fluvios imò Pontum Euxinum & marè Caſpium percurrunt. Derivationem tamen veriſimiliorem exiſtimo à Sſavanicâ voce chodzic currere, undè primum Chodziacii poſtea Coſacii facilè appellari potuerunt, nam

palmarium ipſorum opus eſt, per fluvios & maria decurſus. Eſt autem ruſtica Gens collectitia (ita eosdem definit Fredro in Henrico Vales.) robubuſta & fortis plùs arma quàm aratrum colens. Summum apud illos regimen tenet Præfectus Exercitus. Deinde ſunt; Notarius, Præfectus Caſtrorum, Judices Generales Aſſavuli, i.e. Conſiliarii, Tribuni, Notarii Legionum, Centuriones. Enumerantur hoc Ordine in Conſtitutione *an.* 1661. Deliberantium maxima ſemper vis eſt in favore & aſſenſu totius multitudinis, quã illi Czern nuncupant. Cum olim Tartari Tauricam Cherſoneſum occupaverant, magna Ukrainæ pars in ſolitudinem abiit, in quam tandem Poloni, defuncti Bellis, quæ cum Cruciferis in Pruſſiâ geſſerant, colonias inducere cœperunt, quibus defendendis Sigism. Auguſtus Excubitorem exercitum ſub Duce Euſtachio Daſkovicio impoſuit. Hanc militiam ſex virorum millibus conſtantem Stephanus Rex melioribus ſociatam Legibus multis privilegiis donavit. Deinde crevit, ut numerus & animus Coſacorum, ut prædationes per Ruſſiam & Lithvaniam exercuerint, Trapezontum urbem Aſiæ expugnaverint, imò in ipſa ſuburbia Conſtantinopolis effuſi, prædâ repletis

ſcaphis

ſcaphis abierint; Dixiſſe fertur Aumurathes Turcarum Imperator, ſe inter Arma Principum in ſe conſpirantium Conſtantinopoli degentem, in utramque dormire aurem, ſolos Coſacos eſſe, qui tanti Principis turbarent ſomnum. Hinc Turca ſolicitatæ peripſos Pacis accuſabat Polonos, armaquè contra minabatur, niſi iſtos Rex aut exſcinderet, aut coërceret, uti etiam Oſmanes Imperator inter pacis conditiones potiſſimum ſibi caveri voluit, Coſacos à navigatione Boryſtenis & Ponti Euxini prohibitum iri. Ex eo tempore illorum vires accidi cæperunt, & poſt aliquot clades notabiles, firmatamquè ad Boryſthenem arcem Codanam, obſequium cum ſecuritate, quàm contumaciam cum pernicie, maluerunt. Licet autem poſt transactionem Anni M. DC. XXXVII. Imperia Ducum Poloniæ audiverint, & in Officio manſerint, intra animum tamen ſubindè ad libertatem priſtinam ſuſpirabant, conquerentes ſe non eo loco, quem viri militares merentur, haberi. Tandem Bogdanus Chmielnicius (qui dictæ Transactioni interfuit) parte agri à Czaplinſcio Czeherinenſis territorii Sub-Præfecto exutus, nec precibus, minis, & literis etiam ab Exercituum Duce Potocio, imò à

Rege

Rege ipsô Vladislao IV. oppositis, quicquam efficiens, inquietus animi, casus pro insidiis interpretabatur, & obliquos in se Proceres animadvertens, carcerem sibi imminere ratus, quem etiam postea subiit, quod siniſtra Consilia in Aquiliferum Regni Coniecpolscium, è Tartarorum tum finibus magnâ prædâ redeuntem cum aliis Zaporovianis inierat. Præcluso enim reditu intercipere ipsum meditatus fuisse arguebatur. Sed postquam deinde ex Carceribus dimissus fuit, non intermisit contumelias suas vel sumo Reipublicæ damno ulciſci, sic è parvâ scintillâ magnum ortum est incendium, sic ex privati hominis unius offensis mille in publicum redundarunt calamitates. Licet postea per Commisionem Hadziacensem *anno* 1658. certæ Pacis conditiones inter Cosacos steterint, & Chmielnicius in vivis esse desierit, non tamen desierunt motus Cosacici, sed Duce & Authore Doroszenkio perfidia adeò invaluit, ut infideles contra Poloniam in auxilium vocaverint, & perniciem, quàm pœnitentiam maluerint, adeò, ut Podolia & Ukraina Turcico proh dolor! jugo subjecta sit. Notandum hîc, quod Ukrainæ vel Cosacorum triplex sit respectus; alii enim ab illâ, alii

ab

ab hâc, alii denique â ſuperiori parte Boryſthenis ſcilicet in Inſulâ Zaporovianâ ſunt. Omnis quæ ab illa parte ſita eſt Ukraina, ad Magnum Moſchoviæ Ducem ſpectat. Quicquid verò ab hâc parte Boryſthenis reperitur, in diverſas diſtractum eſt partes; Kyoviæ Stayski, Rzyowo, Trzypol, Trechtimirow; Kaniow jam â Moſchoviæ Duce poſſidentur. Białocerkiew, & Pawołocz, Regiam Majeſtatem obſequiosè venerãtur. Raſzkow, Kalnik, Bracław, Niemierow, Koreſteſzow & alia loca jam ſub Turcarum ſunt Dominiô. Quoad Inſulam Zaporowianam convenit per Pacta inter Polonos & Moſchovitas, ut eandem utrique defenderent, & ſemetipſos juvarent. Hinc in noviſſimis quoque Tractatibus Inducia-rum ad viginti annos cum Turcâ initis Magnus Dux Moſchoviticus de Zaporovianis, ut in ſuô ſtatu manerent, per expreſſum caviſſe aſſeritur. Zaporoviani autem nuncupantur, quod ultra cataractas Ruſſis parohi, hoc eſt limina dictas, habitent.

XX. Antequã Caput hoc de Bello concludã, non abs re erit de DUELLO aliquid in arenã producere. Vetus Francorum mos fuit, ut Reges cũ Regibus vel jure certarent, vel ſingulari inter ſe

certamine concurrerent, ut ſic citius Bella finirentur, morte unius Regis, quàm tot myriadum. In hiſtoria Polonâ occurrit exemplum, quod Rex Stephanus Johannem Ducem Moſchorum ad certamen ſingulare per epiſtolam provocaverit, ne videlicet ſanguis Chriſtianorum utrinque ſine causâ juſtâ profunderetur. Sic Zamoyſcius à Zuiſcio ad Duellũ provocatus eſt. Ille ſuſceptâ conditione ad muros Plescoviæ, quã tunc obſidebat, obequitavit, expectans Zuiſcium, qui tamen inſidiis in eum ſtructis, quàm apertô Marte maluit rẽ gerere. Sed Zamoiſcius & inſidias ejus evitavit, & redargutô Zuiſciô, ad ſuos cum laude incolumis rediit. *Vid. Sulikovius Comment.* rerum Polonicarum *pag.* 135.136. Modus autem iſte litium finiendarum inter privatos, tanquam Juſtitiæ & Ordini Judiciorum adverſus, Conſtitutionibus Principum ſublatus eſt. Hinc etiam in Polonia *per Conſtit. Anno* 1588. duella non debent peragi, niſi cum ſcitu Regis, quod Cromerus ſuâ memoriâ ſemel tantùm à Sigismundo Primo admiſſum eſſe refert. Idem Statutum in Regno Caſtiliæ obtinuiſſe, patet ex Hiſtoriâ, quam allegat Camerarius *hor. ſucciv. parte primâ Cap.* 21, ubi conſentiente ac præſente Imperatore Carolo Quinto multis cum ceremo-

ceremoniis inter Torellium & Ancam permissum est duellum. Acta Electionis Serenissimi Joannis Tertii decernunt, ne quis alter alterum ad duellum provocet, sub pœnâ sessionis turris per bimestre & sexaginta marcarum.

Cap. VII.
DE FÆDERIBUS & PACTIS.

I.

IN Capitulatione Reges promittunt, quòd pacta & fœdera cum extraneis Principibus & Dominiis renovabunt, de conservandâ cum iisdem Pace studebunt, & amissa à corpore Reipublicæ recuperabunt. Pacta autem sunt vel antiqua, vel nova; Ad illa renovanda sufficit consensus Senatorum ad latus residentium: Ad hæc verò stabilienda robur Comitiorum requiritur, uti patet *ex Constitut. Anno* 1658. ubi Pacta cum Imperatore, Rege Daniæ, & Electore Brandenburgico approbata sunt. In Comitiis aliquando non tantùm ex Senatoribus, sed etiam ex Ordine Equestri eliguntur Deputati ad Consilia Bellica & ad pacem cum hoc vel illo hoste ineundam,

eundam, hoc tamen cavetur, ne poteſtatem ſibi arrogent Bellum offenſivum decernendi, *videatur Conſtit.* 1590. Aliud exemplum ſupra de Senatoribus *ex Conſtitut.* 1649. allegavi. Recentiſſimum extat *in Conſtit. Grodnenſ. Anni* 1678. Ubi Respublica in Generale Conſilium conſenſerat, eidemquè per Scriptum ad Archivum, in abſentia Archi-Epiſcopi Gnesneſ. ſub manu Pro-Cancellarii Regni & Marſchalci Ordinis Equeſtris, majorem quàm alias poteſtatem, dederat. In Pactis autem nonnullis de ſubſidiariis cavetur militibus. Ita olim Boleslaum Crivuſtum ex fœdere auxiliares habuiſſe Ruſſorum copias, teſtatur *Cromerus lib.* 5. *fol.* 472. Non minùs teſtantur hiſtorici, quod Vitoldus magnus Dux Lithvaniæ Tartarorum auxiliis contra Cruciferos in Pruſſia uſus fuerit: Porro ex *Kojalowicio* parte ſcundâ Hiſt. Litt. lib. 5. fol. 234. patet, quod Caſimirus IV. Rex Scythis Tauricanis Imperatorem præfecerit Mendligereium, qui certo ex pactô operam ſuam contra Pruſſos pollicitus fuit: Deinde ſtipendia illa quæ tum temporis promiſſa fuerunt militaturis, à Sigismundo I. in annuum honorarium Cuponinki Tatarskiej duobus millibus veſtium ex pellibus agnorum ac mediocri copiâ pan-

pannorum Anglicorum conſtans converſa ſunt. Sed meritò poſt hæc dictus Sigismundus poſt mortem Setkierei, qui ipſi fidelia præſtiterat obſequia, noluit iisdem ampliùs honorarium iſtud dare, reſpiciendo ipſorum erga ſe fidem Barbaram. Ita & Rex Stephanus aliquando dixit, cum pro iſtis pellibus Tartarorum Chanus Varſaviam miſiſſet; Nolo hujus Beſtiæ tributarius eſſe. Sed ad inſtantiam Chani *Anno* 1591. in Comitiis donativum illud iterum promiſſum fuit, ſi Tartari in poſterum quietius agerent. Tandem ſub Joanne Caſimiro Rege cum Chanus ad pacem inclinaret, & per Vezirum ſuum peteret, ut ſtipendium militare antiquiùs à Polonâ Republ. dari ſolitum, ſed à Rege Vladislaô denegatum, perſolveretur, in hoc Caput, inter alia conventum eſt, ut Rex Poloniæ ex liberalitate ordinarium ſtipendium Chano Tartarorum retentum hactenus, penderet, in poſterum, ubi id per Ablegatos Cameniciam miſſos petet daret; Chanus vicisſim Regi adeſſe quandocunque hic juſſerit, cum copiis ſuis contra quemvis hoſtem teneretur.

II. Quando de ſociis hîc agitur armis, non poſſum auxilia Auguſtiſſimorum Imperatorum

transmittere ſilentio. Cum *A.* 1629. Svecorum ingraveſceret Potentia, Ordines Regni jam dudum oblata ſubſidia Ferdinandi II. deſiderarunt, quas etiam Arnheimius adduxit. Hoc deindè revocatô ſucceſſor miſſus eſt Dux Lauenburgicus & Mansfeldius Comes. Sic ulterius cum ſub Regè Johanne Caſimiro Polonia bellô arderet Suetico, Ferdinandus III. decreverat, rem Polonam ſibi ſeriò juvandam, ſed mors ſuperveniens Conſilia interrupit. Optimus tamen filius ejus Leopoldus I. licet nondum Imperatoriam adeptus eſſet dignitatem, inſigne tulit auxilium, ſubmittendo Duce Hatzfeldio Exercitum decem millium Peditum & ſex Equeſtrium. Principem quoque Rakocium per Cancellarium Ungariæ ab hoſtili animô avocare conatus fuit, ſed in fata præcipitem nulla eloquentia, nulla authoritas retinere valuit. Militis tamen Cæſarei conjunctio cum Polonis mox effecit, ut Rakociani fugam animis, vulnera tergo tulerint. Serenisſimum etiam Electorem Brandenburgicum eidem pro Polonis ſocietati maximô cum emolumento innexuit. Vetat hîc memoria dignum laude adjumentum Serenisſimi Regis Daniæ Friderici III. obliviſci, qui contra hoſtes noſtros hoſtiles induit

duit Spiritus, atque Regem Sueciæ adeò distraxit, ut nec redire in Poloniam, nec justum postea mittere Exercitum potuerit. De perpetuo Regni Fæderato Electore Brandenburgico, infrà erit dicendi occasio.

III. Denique hîc addo, quòd libera Gens Polonorum offensiva non amet Fædera. *In Constitut. Anni* 1670. cavetur, ne cum exteris Principibus hoc ineatur, ut copias militares submittant, quin potius, ut nobis per summas pecuniarias succurrant, vel per diversionem belli.

IV. Cum verò Pacta ad Notitiam Juris publici pertineant, nec semper, quando occasio poscit, ad manus sint, operæ precium esse duco, eadem hîc apponendi.

V. Ut Sacræ Cæsareæ Majestatis & Sacræ Regiæ Majestatis Poloniæ subditi, formulâ Pactorum probè cognitâ & perspectâ, secundùm præscriptum illorum eò magis sese gerere, justitiæque adeundæ, si quid usu veniret, rationem observarent, Pactorum Exemplum, sub Matthia Imperatore & Sigism. III. Rege typis excusum est. Idem An. 1677. factum est, curante renovationem Johanne Christophoro Zierowski de Zierowo, Augustissimi Imperatoris Consiliariô, & ad Aulam Polonam Residente. JO.

JOANNES III.

Dei Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Rusſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Kiiouiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Severiæ, Czerniechoviæquè.

UNiverſis & ſingulis Regni & Dominiorum Noſtrorum annexarumquè illi Provinciarum, cujuscunque Status, Conditionis, Dignitatis & Præeminentiæ Subditis Noſtris præſentibus literis ſignificamus.

Quod cum inter primarias muneris Noſtri Regii curas poneremus, ut poſt felicem Electionem & Coronationem Noſtram Fædera & Pacta; quæ inter Sac. Cæſ. Majeſtatem Domumque Auſtriacam & Serenisſimos Prædeceſſores Noſtros antiquitus interceſſerunt novis utrinque nexibus roborarentur, Populorumquè tranquillitati & bonæ Vicinitatis cultui, quæque inde dependent, correſpondentiarum & Commerciorum uſui proſpiceretur. Ideò Pacta eadem renovanda & confirmanda eſſe duximus: Prout renovamus & confirmamus. Quorum tenor ſequitur ejusmodi.

Nos

NOS LEOPOLDUS, Divina favente Clementia, Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucenburgiæ, ac Superioris & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ, Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum, &c. &c.

ET NOS JOANNES III. Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, ac Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Kiioviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Severiæ, Czerniechoviæque &c.

TEnore præſentium recognoſcimus, ac notum facimus, univerſis & ſingulis, præſentibus, & futuris, harum notitiam habituris. Quandoquidem, qui Chriſti locum in terris gerunt, eos in hoc elaborare maximè decet, ut cujus lo-

cum obtinent, ejus veſtigiis incedant: Nos memoriâ tenentes, quod non aliunde poteſtas Noſtra ſit, quam ab eo, à quo Nomen ducimus, cujus appellatione cenſeri volumus, Domino Noſtro JEſu Chriſto, qui, quos ipſe Nobis ſubjecit populos, eos loco ſuo regere Nos voluit, & gubernare; huc omnes curas, & cogitationes Noſtras convertendas duximus, ut quatenùs id humanitus præſtari poteſt, adjuvante eo, cujus id ſolius munere contingit, quàm proximè ad ſimilitudinem ejus accederemus, per quem Reges regnant, Principes imperant, & Potentes decernunt juſtitiam. Quoniam vero, non ille potentiam ſuam non ſapientiam, ſed eam ſolam, quâ ſocietas hominum inter ipſos continetur, dilectionem, qua Nos prior ipſe præter meritum ullum, proſecutus eſt, imitari voluit, ut ſicut ipſe dilexit Nos, ita & ipſi viciſſim diligeremus invicem, ac pacem, concordiam, tranquillitatemque mutuam inter Nos conſervaremus: Neque poteſt illi ſacrificium ullum à mortalibus offerri gratius, quam ſit fraterna charitas, inter unius corporis membra. Hanc illius dilectionem, qui nobis tot Civitates, tot Populos, linguâ, moribus, habitu, inter ſe diſſiden-

ſidentes, tot tam latè patentes Provincias, tot amplisſima Regna ſubjecta eſſe voluit, præcipue pro virili Noſtra imitandum eſſe duximus. Itaque cum inter recolendæ memoriæ Majores Noſtros, jam inde à longisſimo tempore, certamen amoris, benevolentiæque mutuæ, ſuſceptum fuiſſe cognovisſemus, cujus rei tanquàm teſtes, ſunt Pactorum & Fæderum literæ, quæ inter Auſtriacam, & Jagellonicam Domos, quæque inter utriusque Domus, Regna, Imperia, Provincias, Populos & Nationes, Nominatim verò, quæ inter quondam Albertum Archiducem Auſtriæ, cum quondam Casimiro Poloniæ Rege, & Divum Fridericum Imperatorem, cum eodem Casimiro Rege, poſtea verò etiam inter recolendæ memoriæ Ferdinandum & Maximilianum Imperatores; cum itidem recolendæ memoriæ Sigismundo Augusto Rege, ac tandem inter Rudolphum II. & ſucceſſivè Matthiam, nec non Ferdinandum II. Imperatores, & quondam Sigismundum III. ac Uladislaum Sereniſſimos Poloniæ ac Sueciæ Reges, itidem præclariſſimæ memoriæ, intercesſerunt. Nos Majorum Noſtrorum exemplo provocati, qui ſummam ſemper inter ſe neceſſitudi-

nem, & amicitiam conſervare ſtudebant, atque eam arctis præterea Affinitatis vinculis fortiùs colligabant, quàm ut diſſolvi facilè poſſet, ea nimirum Pacta & Fœdera, quæ inter præfatos Majores Noſtros, quondam ALBERTUM Archiducem Auſtriæ, FRIDERICUM, FERDINANDUM, MAXIMILIANUM II. RUDOLPHUM II. & MATTHIAM nec non FERDINANDUM II. Imperatores, præclariſſimæ memoriæ, atque CASIMIRUM, SIGISMUNDUM AUGUSTUM, & quondam SIGISMUNDUM III. ac ULADISLAUM obſervata fuerunt. Id quod felix, fauſtum, & fortunatum Deus eſſe velit, utrique Noſtrum, ac utriusque Noſtrum Imperiis, Regnis, Terris, Civitatibus, Populis & Nationibus in Dei Opt. Max. nomine, à quo tanquam fonte perenni manat, quidquid bonarum eſt rerum, inter Nos quoque, & pro Nobis, & Succeſſoribus Noſtris, continuanda, confirmanda, inſtauranda, & renovanda, atque adeò declaranda, corroboranda, & amplificanda duximus, ita ut continuamus, confirmamus, inſtauramus, renovamus, declaramus, corroboramus, & amplificamus, præſentium per tenorem. Ac primum quidem, ſicut in literis quondam ALBERTI Archi-

Archiducis præſcriptum eſt. Nos omni honore, fide & amore, invicem proſequi, & promovere debemus, & volumus, in locis omnibus, & temporibus, ubi Nobis id faciendi ſe facultas obtulerit, citra dolum & fraudem aliquam, neque committemus unquam, ut alter alteri, aut familiaribus ejus, Vaſallis, & Subditis quibuscunque, Regnis, Ducatibus, Terris & Civitatibus ei ſubjectis, & ſub ejus obedientia & defenſione conſtitutis, quacunque ex cauſa bellum inferamus, inimicitias denunciemus, diffidemus, aut hoſtiliter eos impetamus, per Nos, aut ſubmiſſas perſonas, fraude & dolo ſemotis. Ac non modo ipſi, ab ejusmodi rebus abſtinebimus, verum etiam ſubditos Noſtros, & quicunque in fide, poteſtateque Noſtra ſunt, eos prohibebimus, ac ab omni vi, modo ſuperius deſcripto, temperare ſibi cogemus. Habebunt etiam poteſtatem, homines Noſtri, cujuscunque ſtatus & conditionis fuerint, in quibuscunque Terris, Dominiis, Civitatibus Noſtris, & Noſtræ obedientiæ ſubjectis, agendi & commorandi, atque inde etiam liberè & ſecurè, cum illis viſum fuerit, diſcedendi. Deinde, ſicut etiam literis Divi Friderici cautum eſt, ita Nos invicem uniendos obligan-

dos, alligandos, confæderandos duximus, quemadmodum unimus, obligamus, promittimus, alligamus, confæderamus, præſentibus; quod ex hoc tempore ipſo, perpetuo, realiter, & cum effectu invicem, & mutuo obligati, alligati, & confæderati ſimus & erimus, & inter Nos, & Subditos Noſtros, nec non Regna, Principatus, & Dominia, quæ nunc uterquè Noſtrum poſſidet, & quæ DEO concedente in futurum acquiremus, conſtans, perpetua, indiſſolubilis, & Chriſtiana pax eſſe, & ſervari debet, & debebit, & in omnibus utriusquè Noſtrum, honorem, dignitatem, ſtatum, augmentum, concernentibus, & concernere valentibus, mutuo Nobis auxiliabimur, conſulemus invicem, promovebimus, & aſſiſtemus, nec alteruter Noſtrum quidquam faciet, cupiet, pertractabit, aut molietur, quod contra alterutrum Noſtrum Regna, Principatus, Dominia, Subditos, honorem, ſtatum, dignitatem, aut augmentum ſit, ſeu eſſe aut tendere poſſit. Neque Noſtrum alter alteri, ipſius Regnis, Principatibus, Dominiis, & Subditis bellum, damnum, aut quodvis aliud nocumentum inferet, nec à ſuis quovis quæſito colore inferri permittet, ſed quilibet Noſtrum, contra ſubditos ſuos, qui

hujus-

hujusmodi faciunt, aut facere, aut moliri vellent, totis viribus ſuis, & potentia, in Terris & Dominiis ſuis conſurget, & eos, pro hujusmodi exceſſibus, pœnâ condignâ puniet & caſtigabit, donec damnorum datorum integram compenſationem & refuſionem facient. Præterea nullus Noſtrum, ad alterius Regna, Principatus, & Dominia aſpirare, aut anhelare debet, nec alterius Noſtrum Regna, Principatus, Dominia, & ſubditos, ſi quos, (quod DEus avertat) ab altero Noſtrum deficere, recedere, aut rebellare contingeret, contra alium, ejus Regna, Principatus, Dominia, & ſubditos ſuſcipere, tenere, protegere, juvare, aſſiſtere, nequè conſulere, aut favore proſequi debet, nequè à ſuis talia fieri patiatur, ſed contra tales infideles unus alteri auxiliabitur, & aſſiſtet, atque Dominiis ſuis excludet. Si vero alter Noſtrum ejus Regna, Principatus, aut ſubditi contra alterum ipſius ſubditos, Principatus aut Dominia actionem realem, ſeu perſonalem, Civilem ſeu criminalem, aut qualemcunque querelam habet, aut impoſterum habuerit, ſi ſuper ea non potuerimus amicabiliter concordare, tum nequè ipſe, neque ſubditi contra alterum, ipſiusquè ſubditos, Regna, Principatus, & Dominia

nia, quidquam via facti attentare, neque ſibi ipſi jus dicere, aut ulciſci, ſed ſuper eo, jure, & non aliter experiri debent. Cæterum pro majore ſupra-ſcriptorum Fœderum declaratione, proque tranquilliore Subditorum Noſtrorum Statu, quiete, & bonæ Vicinitatis conſervatione, & quo firmior inter Nos, Regna, & Subditos Noſtros, pax, amicitia & benevolentia perpetuo conſtare queat; utquè omnes diſſidiorum cauſæ, quoad ejus fieri poteſt, præſcindantur: ordinamus, ſtatuimus, declaramus, & volumus quod cum initio ſcriptum eſt, quod mutua Nobis invicem auxilia ferre debemus. Quomodo alter alteri auxilia ferre velimus, id in arbitrio utriusque Noſtrum, & Ordinum Regnorum Noſtrorum, poſitum eſſe debere, hoc tamen expreſſo, ut liceat utrique Noſtrum ex Terris & Provinciis alterius, Voluntarios milites, ære ſuo conductos, educere, & arma in uſum ſuum exportare; Eatenus tamen milites educere liceat, quatenus id ſciente fiat altero Noſtrum, neque ſit alteruter Noſtrum bello ſuo proprio contra hoſtes aliquos ſuos impeditus. Hoſtibus verò ne id liceat, neve favor ullus præſtetur, qui alteri obeſſe poſſit, ita tamen, ut nedum juxta

præ-

præſcripta majorum Noſtrorum fœdera, nullus Noſtrum alteri, vel ipſius Regnis, Principatibus, Dominiis, & ſubditis bellum, damnum aut quodvis aliud nocumentum inferre, ſed neque alterius hoſtes aut Rebelles fovere, protegere, ſeu eis aſſiſtere, vel favorem, conſilium, aut auxilium quovis modo præſtare debeat.

Volumus præterea, vias, & flumina publica, nec non Commercia, & negotiationes mutuas, per Regna, & Provincias Noſtras, omnibus, & ſingulis Regnicolis, Provincialibus, & ſubditis Noſtris, tam terrâ, quam aquâ, utrinque liberas eſſe, nec ullis unquam interdictis, arreſtationibus, ſeu repreſſaliorum conceſſionibus impediri, ſed utriusque Noſtrum ſubditos, in alterius Regnis, & Dominiis, libero tranſitu, ac fide publica, quem ſalvum conductum vocant, non minus quam proprios cujusque ſubditos gaudere, uti ac frui poſſe & debere. Neque denique cuiquam Noſtrum, aut his, qui Nobis ſubditi ſunt, querelas & actiones ſuas, ſi quæ jam ſunt, vel futuris temporibus oboriantur, aliter quam mediante Jure proſequi liceat. Ut autem omnes vel protelatæ, vel denegatæ juſtitiæ querelæ, tam inter Nos, quam ſubditos Noſtros, hinc inde præcave-

antur, ſed cuique expeditum Jus, & Juſtitia ſummarie, & de plano adminiſtrari, ejusdemque debita executio, effectualiter obtineri valeat, Convenimus & concordavimus, quod ſi quis Noſtrum vel unius Noſtrum ſubditi, contra alterius unum, vel plures privatos ſubditos, actiones ſive perſonales, ſive reales intentarent, tunc ſemper pars agens forum & judicium ipſius rei ſequi debeat; Et quod in perſonalibus, injuriarum, violentiarum, ſuper ſpoliatione, ſeu ſimilibus, Judex permiſſione ſubitarii Judicii, citra dilationum, & exceptionum admiſſionem, Actori forenſi, de ſimplici & plano juſtitiæ complementum facere; In realibus verò, ſecundum unius cujusque Ditionis conſuetudinem, ita procedere teneatur, ut quilibet, citra dilationem, Juſtitiæ executionem obtinere queat, id quod per ſuperioritates & Magiſtratus fideliter provideri & dirigi par eſt. Quod ſi alter Noſtrum contra alterius Provinciam, vel Communitatem aliquam, vel viciſſim Provincia, Communitas, vel privati ſubditi unius Noſtrum, contra alterum ex Nobis, vel ejus Provinciam ſeu Communitatem, privatas actiones prætenderent, tunc cauſæ hujusmodi coram alterius Noſtrum, ſub quo pars rea degit, Con-

Conſiliariis, ſeu Commiſſariis, per eundem juxta partium conditionem, & cauſarum exigentiam, non minus ſeptem numero deſignandis, ſummarie audiri, & vel amicabiliter componi, vel Jure mediante determinari, & executioni demandari debeant. Porro ſi inter Nosmet ipſos Reges, ſeu forſan Regna & Provincias Noſtras, tum metarum, & terminorum, tum commerciorum, ſeu quarumlibet aliarum, tam veterum, quam novarum cauſarum, Jurium, vel obligationum occaſione, querelæ, gravamina, & controverſiæ ſuborientur; tunc alter Noſtrum, qui vel cujus Regnum ſeu Provincia, Jus vel querelam prætendit, alium per Nuntios, vel literas ſuas, amicabiliter informare, ac pro tollendo, ſarciendo, amovendoque gravamine, admonere & requirere debet. Quod ſi obtinere nequeat, tunc quilibet Noſtrum, ſtatim intra duorum Menſium ſpatium à facta amicabili requiſitione, tres Conſiliarios ſuos è Proceribus Regnorum, Hungariæ, Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, & vel ex aliquibus harum prout quodquè negotium ad aliquam harum Provinciarum pertineat, vel etiam ex omnibus, pro exigentia & gravitate negotii, ab una Regniquè Poloniæ, & Magni Ducatus

Lithuaniæ, ab altera partibus, ad convenientem diem, & locum, per partem læſam, ſeu querulantem nominandum, ſemota omni excuſatione mittere debeat. Qui utriusque Noſtrum Conſiliarii Summam imprimis diligentiam adhibeant, quo hujusmodi querelæ, gravamina, & controverſiæ, inter Nos, Regna, & Provincias Noſtras amicabili compoſitione tranſigantur, eâ verò non ſuccedente tunc læſa pars ſive agens, coram prædictis ſex Conſiliariis, actionem ſuam, ſtatim ipſo die, juridicè exhibendi poteſtatem habeat, idque duplicatis ſcripturis, quarum unam Conſiliarii penes ſe retineant, aliâ verò parti Reæ transmittant. Quo facto pars rea, reſponſum ſuum, etiam ſcriptis duplicatis ſæpedictis Conſiliariis vel ei, cui ex illis hoc demandatum fuerit, intra ſpatium proximorum duorum Menſium, à transmiſſo actionis libello, mittere teneatur, ut ſcilicet Actor Replicas, Reus verò duplicas ſuas, ac præterea utraque pars, tertiam quoque concluſionem, & ſubmiſſivam ſcripturam, de bimeſtri, in bimeſtre, duplicatis, ut præfertur, ſcriptis, offerre queat, Eo ſane modo & ordine, utrique parti transmittendis, ſicut de actionis libello demonſtratum eſt. Oblatis tandem ſucces-

cesſivè ab utraq; parte duplicatis trinis ſcripturis, in quibus utrinq; omnia Jura ſua explicabunt, ſexilli Commiſſarii partibus ad promulgandã ſententiã, inter proximum ſequens bimeſtre, diem, ad eum locum, ubi cauſa primo agi cæpit, indicent; quo loco, & tempore partes, per Procuratores ſuos, pleno mandato ſuffultos comparere, illicquè & ipſi Conſiliarii convenire, ac diligenter viſis ſcriptis, & diſcuſſis actis totius cauſæ, partes rurſum ad concordiam & amicabilem compoſitionem invitare, & cohortari, nihilque in eo operæ & diligentiæ intermittere debeant. Quam ſi ne tunc quidem inter partes obtinere queant, ſtatim ad ferendam ſententiam procedant, ac id quod Juris & Juſtitiæ fuerit, cognoſcant, & decernant. Quod ſi ſuprà dicti Conſiliarii, de ferenda ſententia, ſive interlocutoria, ſive definitiva fuerit, concordare non poſſint, tunc toties, quoties opus fuerit, arbitrum communi voce deligant, vel per quamlibet Conſiliariorum Partem, duabus idoneis perſonis propoſitis, ex iisdem ſorte conſtituant: cujus partes ſint, huic Conſiliariorum opinioni, quæ & Juri & æquitati magis conſona videatur, ſubſcribere, eandemque laudare & ap-

probare. Quidquid autem per ipſos Conſiliarios Noſtros, ſeu majorem eorum partem ſeparatim, vel per eosdem, vel arbitrum, conjunctim decretum, & pronuntiatum fuerit, id ratum firmumque maneat, ac ſtatim debitæ demandetur executioni, remotâ omni plane appellatione, ſupplicatione, reductione, in integrum reſtitutione, aliisque Juris beneficiis & remediis, etjam motu proprio conceſſis, obtentis, non obſtantibus.

Debent autem Conſiliarii, per Nos pro tempore deputandi, nec non & arbiter ipſe per Nos, & quantum ad quemlibet Noſtrum ſpectat, ab obedientiæ & Juramenti debito, ad eam cauſam tantum abſolvi, ac pro adminiſtranda Juſtitia, novo conſuetoque Juramento obſtringi. Quod ſi pendente lite unus vel plures ex ipſis Conſiliariis, mortem obirent, tunc in demortuorum locum, prout ad quemlibet Noſtrum pertinebit, alios ſemper ſurrogabimus. Ipſi quoque Conſiliarii, non plures ſcripturas admittant, aut terminos alio modo, quam ſuprà dictum eſt, prorogandi aut alterandi poteſtatem habeant, ſed forma, & modo illis conceſſo procedant, excepto caſu,

caſu, quo partes teſtes producere neceſſe haberent, tunc ipſi Conſiliarii Jurisdictionem ſuam prorogandi poteſtatem habeant, tantisper donec teſtes ejus cauſæ conſcii, ſecundum Juris diſpoſitionem, legitimè producti & auditi fuerint, ita tamen, ne ulla minus neceſſaria prorogatio quæratur, vel admittatur, ſed omnes teſtes ad unum diem, & terminum, quantum fieri poteſt, audiantur, à publicatis atteſtationibus, non niſi unica ſcriptura à qualibet Parte recipiatur. Proinde quo magis Regna, Principatus & Dominia Noſtra, ab omni bellorum, deprædationum, latrociniorum, hoſtilitatisque periculo libera, ſecura, purgataque eſſe queant, Conventum inter Nos eſt, quod nullus Noſtrum alterius, ſeu Regnorum, Provinciarum, vel ſubditorum ſuorum diffidatores, hoſtes, homicidas, raptores, ſeu damnificatores, nec non profugos cujuscunque conditionis ſive Eccleſiaſticos ſive ſæculares, item Rebelles ſubditos, quicunque in alterius Noſtrum Regnis, & Ditionibus reperti, denuntiati, vel per Nosmet, aut Officiales Noſtros perveſtigati fuerint, nequaquam amplius fovere & aſſecurare, multò minus verò per ſubditos Noſtros ullo Hoſpitio, auxilio, ſive receptatione quocunq;

prætex-

prætextu, directè vel indirecte, publicè vel occulte recipere, juvare vel intertenere debeat, ſed ubicunque hujusmodi graſſatores, raptores, diffidatores, & damnificatores, ubilibet in præfatis Regnis & Ditionibus Noſtris deprehenſi fuerint, contra eos, juſſu Noſtro & directione, atque accuratâ diligentia Officialium, utrobique partilæſæ, atque deferenti Juſtitia immediate atque irrecuſabiliter permitti atque adminiſtrari, aut etiam citra partium requiſitionem de iis, ut communibus hoſtibus, à Capitaneis, & Magiſtratibus, ubicunque ex Officio inquiri, inſequi, & pœnaliter procedi debeat. Caſu autem quò aliquis ex Officialibus, aut ſubditis Noſtris, propter receptationem, aſſecurationem vel defenſionem antedictorum diffidatorum aut omiſſionem ante dictorum diffidatorum inſecutionis, Captivationis, ſive animadverſionis ſcienter contravenerit, in tales utrobique, ſive delati à parte altera, ſive alias vero ſimili ſuſpicione deprehenſi forent, Capitali ſupplicio irremiſſibili, debet animadverti.

Quod ſi alterius Noſtrum, unus vel plures Incolæ vel ſubditi, alteri Noſtrum ſeu Regnis & Dominiis Noſtris, generaliter, vel ſingularibus perſonis, Incolis, & ſubditis, privatim hoſtilitatem

tem denunciaverint, tunc ſtatim Præfectus, Capitaneus aut Officialis illius loci ſive Diſtrictus, cui Diffidatio indicta eſt, Generales, Præfectos, & Capitaneos Regnorum, & Provinciarum, alterius Noſtrum, ſub quo tales diffidatores degunt, ea de re certiores reddere, ipſisquè exemplar diffidatoriarum literarum transmittere debeat. Quo accepto, præfati Præfecti & Capitanei, diffidatores pro publicis hoſtibus judicare, promulgare, publicare, omnibusquè & ſingulis Incolis, cujuscunquè ordinis & conditionis extiterint, eorum conſuetudinem interdicere, & ne à quoquam hoſpitio recipiantur, aut conſilio, auxilio ſive re ulla alia juventur, prohibere & cavere, bonaque diffidantium applicare Fiſco, & Cameræ Regiæ, ac proinde in hoſpites, ſocios, conſcios, & complices, pari quoque ſeveritate animadvertere teneantur, ignorantiæ excuſatione univerſis penitus ſublata. Quodſi quispiam Præfectus, Capitaneus, aut Magiſtratus, in hujusmodi caſibus ſubitam juſtitiam adminiſtrare cunctaretur, aut etiam alias ex Officio, inquiſitione, inſecutione, & animadverſione debita non procederet, tum tales Noſtræ punitioni immediate obnoxii, & rei eſſe debeant. Ut autem

præcipuus diffidationum, & graſſationum fons, quo hujusmodi latrocinia imprimis aluntur, è medio tollatur coerceaturque licentia, & impunitas receptandi hoſtes, prædones, & diffidatores, ſerio inter Nos convenit, ut omnes promotores, detentores, receptatores, complices, dictorum facinoroſorum hominum, qui vel notorietate facti, vel ex veraci denunciatione ſpoliatorum, aut ex fuga Captivorum, (modo tales captivi, aut ſpoliati bonæ fidei, & integræ famæ ſint) ſive aliis tam manifeſtis indiciis, ut ulteriori probatione res non egeat, convicti vel deprehenſi forent, iidem citra ulteriorem purgandi ſui admiſſionem, & concesſionem ſpoliatis & damnum paſſis, ad reſtitutionem & ſatisfactionem probabilium damnorum, de Bonis ſuis teneantur, aut ſi ſolvendo non ſint, ſecundum qualitatem delicti, corpore luant. Quod ſi tales etiam patrati Criminis conſcii, vel complices eſſent, & ad illata damna, cædemque evidentem cauſam ſcienter præbuerint, iidem non tam parti ad reſtitutionem damnorum, ut jam præmiſſum eſt, teneantur, quam & ſuperioritatis ſuæ cognitioni ad ſumendum de iis pro modo delicti ſupplicium, citra evaſionem ſubjaceant. Si vero aliqui rece-

receptatorum aut complicum non omninò manifeſtis Indiciis, nec apertis Captivorum Confeſſionibus, ſed alias delati, & de tali facinore ſuſpecti potius, quam convicti fuerint, contra tales, tam ex delatione damnificatorum, vel alterius ſuperioritatis Officialium, quam ex Officio, per Capitaneos aut Magiſtratus ejus Regni, aut Ditionis, in qua fuerint, hâc tamen conditione, differentia ſive moderatione debet procedi, ut ſi forent Nobiles, aut poſſeſſionati Cives antehac in talibus non infamati, neque ullis prioribus Confeſſatis ſuſpecti, tales in caſu negationis, ſeſe proprio eorum Juramento, coram ſupremo ejus ditionis Magiſtratu, publicè de hujusmodi infamatione exonerare, & purgare queant.

Si vero iidem anterioribus infamiæ, aut Confeſſatorum præjudiciis notati, aut ſemimanifeſti forent, ita tamen, ut hujusmodi confeſſata, non omnimode certum facti Indicium præbere poſſent, tales etiam ad purgationem ſui, medio Juramento, etiam tertia manu integræ famæ poſſeſſionatorum vicinorum, admitti, aut ſi in utroque caſu, in purgatione ſui defecerint, debitæ Capitis animadverſioni ſubjici debeant. Quod ſi quis ex Regnis & Provinciis Noſtris, auſu teme-

rario contra Jus & æquitatem, ac publica mutuaque Regnorum Noſtrorum Fœdera, in alterius Regna vel Ditionem, excurſionem, & irruptionem faceret, atque ibi Mercatores, & vectores deprædaretur, aut detineret, homines occideret, vel abduceret, pecora abigeret, incendio ſæviret, aut alio quovis modo damnum, & Injuriam inferret, & patrato nefario ſcelere, rurſum ſe domum, vel cum præda ſecurus, vel fugiens inſequentium manus, in hoſpitia conſueta & ſolita diverticula reciperet, tum in eo Regno Præfecti illius Territorii, vel diſtrictus, & omnes incolæ, totaque vicinitas, mox, ut à damnificatis & injuriatis ſeu quibusvis aliis hoſtem, prædonem, & communium Fœderum violatorem inſequentibus commonefacti, evocatique extiterint, debeant læſis ferre opem, adeſſe in armis, fortiter & graviter inſequi, & inquirere noxios, & turbatores pacis publicæ & tranquillitatis. Etſi, ſui tuendi cauſa, in aliqua caſtra, & Fortalitia, vel loca abdita, ſeu natura munita profugerint, acrius ac diligentius inſiſtere, & ipſos & eorum hoſpites, ſocios, conſcios, complicesquè obſidere, oppugnare, & ita omnes ad deditionem urgere, ad debitum ſupplicium trahere, & ad reſtitu-

ſtitutionem, recompenſationemquè damnorum illatorum cogere teneantur. Si qui autem negligentiores, & remiſſiores in differendo offenſis auxilio & in proſequendo hoſtes & damnificatores ſeſe exhibuerint, hi ſciant, ſe indignationem Noſtram, & ſeveram animadverſionem irremiſſibiliter incurſuros eſſe. Si vero contingeret, aut per ſubordinationem Superioritatis, aut alios, qui per damnificatos, atque diffidatos, contra præmiſſos damnificatores, diffidatores, malefactores, receptatores, aut complices captivandos, ſive etiam jam tunc captivos, & convictos, in alterutrius Regnum, & ditionem, pro Imploratione Juſtitiæ mitti, iidem Imploratores non ſolum ad executionem Juſtitiæ, pro ratione delicti, cum omnibus in tali facto neceſſariis admitti, & provideri, verum etiam tam in loco adminiſtrandæ Juſtitiæ, quam in reditu ad propria, omnimode tuti atq; aſſecurati eſſe debeant. Caſu etiam quo in alterutrius Noſtrum Regno, & ditione, aliquis ex Nobilibus, aut aliis zelo honeſtatis, & ſtudio ſupprimendorum publicorum malefactorum, aut Juſſu Magiſtratuum, aut motu proprio, hujusmodi publicos prædones & graſſatores inſequeretur, idque ſibi à quoquam,

ut inhoneſtum exprobraretur, talis exprobratio, nulli cujuscunque ſtatus, ullum honoris ſui diſcrimen, imminutionem, & præjudicium aliquod generare queat, ſed exprobrator ad revocationem probri unâ cum aliquali Carceris punitione & reſtitutione impenſarum cogi, atque læſum rogare debet, ut ſibi talem injuſtam imputationem propter Deum remittere velit.

Cum denique Noſtra Regnorumquè & Provinciarum Noſtrarum, maximoperè interſit, ut in Regnis, & Dominiis Noſtris, bonam eandemque juſtam habeamus monetam; quamobrem pro bono communi, utrinque curabimus, & efficiemus, ne illegitima, prava, & reproba moneta, in Regnis & Provinciis Noſtris cudatur recipiaturque. Quod ſi hac ex parte, quæſtio inter Nos incideret, agemus quantum opus fuerit, cum Ordinibus Regnorum, Provinciarumque Noſtrarum, atque eorum aſſenſu, Commiſſarios Noſtros utrinque deputabimus, qui habita ratione communium Regnorum, Provinciarumquè Noſtrarum eas tentent, ineantquè rationes, quibus vel eadem bonitate & valore, utrobique moneta cudatur, vel diverſarum monetarum, prout quævis vel melior, vel deterior reperta fue-

fuerit, juſtum ſemper pretium, æſtimatioquè conſtituatur. Id quod de ſale utriusque Noſtrum in alterius Regna & Provincias educendo, pariter cautum eſſe volumus; Quod ſi tamen hæ res, vel altero vel utroque caſu, inter communes Noſtros Commiſſarios tranſigi nequeant, tunc ſalvum liberumquè ſemper utriq; Noſtrum eſſe debere, & de moneta, & ſale ſuo ſtatuendi, id quod cujusvis ac Regnorum & Provinciarum ſuarum neceſsitas, utilitasquè exegerit. Quæ omnia & ſingula matura Procerum & Conſiliariorum Noſtrorum deliberatione prævia Nos Imperator Leopoldus & Nos Joannes Tertius pro Nobis & Succeſſoribus Noſtris acceptamus, approbamus, & Regia Noſtra authoritate ratificamus per præſentes: Promittentes in verbo Noſtro Imperiali, & Regio, & bona fide, ſub onere Juramenti mediante præinſerta Pactorum & Fæderum Capitula, in omnibus eorum punctis, clauſulis, conditionibus, & articulis firma, rata, & grata ſemper habituros, ac ſanctè inviolabiliterque obſervaturos, nec non per Officiales & ſubditos Noſtros, ac omnes quorum intereſt, pariformiter obſervari & manuteneri curaturos dolo & fraude ſemotis. In quorum omnium robur,

&

& evidens teſtimonium, Nos præfati Reges binas ejusdem tenoris literas manuum Noſtrarum ſubſcriptione, ſigillorumque appenſione munitas ac cuilibet Noſtrum alteras conſignatas expediri fecimus. Datæ in Civitate Noſtra Viennenſi, & Arce Regia Varſavienſi, Die Vigeſima quarta Menſis Aprilis, Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Septuageſimo Septimo, Regnorum Noſtrorum LEOPOLDI Imperatoris, Romani decimo nono, Hungarici vigeſimo ſecundo, & Bohemici vigeſimo primo. Noſtri vero JOANNIS III. Poloniæ Tertio.

LEOPOLDUS. (L.S.)

JOANNES. (L.S.)

Quapropter mandamus omnibus & ſingulis, cujuscunque ſtatus, conditionis & dignitatis ſubditis noſtris, tam Dignitatibus & Officiis, quibuscunque publicis, in Regno Dominiisquè Noſtris fungentibus, quam etiam privatis, ut præinſertam Pactorum formulam, integre & inviolabiliter obſervent; ſecundum præſcriptum illius controverſias ac differentias quascunque definiant,

niant, & ſopiant nullaquè in re aut ipſi illi contraveniant, aut contravenire aliis permittant, ſub gravi indignatione & animadverſione Noſtra. In cujus rei fidem præſentes, Sigillo Regni Noſtri communiri juſſimus. Datum Varſaviæ Die Menſis Anno Domini M DC LXXVII. Regni Noſtri III. Anno.

PACTA OLIVENSIA, Anno M DC LX.

In Nomine
SACRO-SANCTÆ & INDIVIDUÆ
TRINITATIS.

NOtum ſit Univerſis & Singulis, *quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt*; poſtquam à multis annis Bella diſſidiaque inter Sereniſſimos Reges, Regnaq; POLONIÆ & SVECIÆ, orta, & interdum induciis, præcipuè verò Sexennalibus Anno 1629. deinde viginti Sexennalibus Anno 1635. ſopita & compoſita fuerint, ac denique inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum JOANNEM CASIMIRUM, Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, &c. &c. &c. Et Sereniſſimum ac Potentiſſimum Prin-

cipem & Dominum, Dominum CAROLUM GUSTAVUM, *Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiæ, &c. &c. &c. deventum ſit ad bellum, quod non ſolum dictos Reges Regnaque Eorum per plures annos exercuit, ſed & Poloniæ Fœderatos ad belli Socios, videlicet Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum* LEOPOLDUM *Electum Romanorum Imperatorem, ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Regem, Archi-Ducem Auſtriæ, &c. &c. &c. Sereniſſimo Regi & Regno Poloniæ, ad Ejusdem requiſitionem auxilia ferentem, nec non Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum* FRIDERICUM WILHELMUM, *Marchionem Brandeburgenſem, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarium, & Principem Electorem, Magdeburgi, Pruſſiæ, &c. &c. &c. Ducem, involvit; unde multa Chriſtiani ſanguinis effuſio, cum plurimarum Provinciarum deſolatione ſecuta eſt, tandem Divina bonitate factum, ut utrinque de Pace univerſali inter Regem Remque publicam Polonam & Ejus Confœderatos & belli Socios ab una, & Regem Regnumque Sueciæ ab altera Parte, ſuſcepta ſit Cogitatio, opera & ſtudio Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini* LUDOVICI

CI XIV. *Galliarum & Navarræ Regis Chriſtianiſſimi, qui huic paci conciliandæ Mediationem obtulit, & in ipſo negotio Pacis, per Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum* Antonium de Lumbres, *Dominum de Herbingen, Löös & la Cloye, Comitem Conſiſtorianum, Regiique Ordinis Equitem, Legatum Suum, eandem Mediationem Sereniſſimis Regibus Poloniæ & Sueciæ, nec non Sereniſſimo Electore Brandeburgico, acceptantibus præſtitit. In eum ergò finem, ex mutua Partium conventione, conſtituta eſt dies quinta Januarii Anno* 1660. *Congreſſui Plenipotentiariorum Olivæ inſtituendo. Comparentes igitur ſtatuto tempore ac loco omnium Paciſcentium legitimè conſtituti Legati Plenipotentiarii, à parte quidem Sereniſſimi Regis Reiquè publicæ Polonæ, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, ex Ordine Senatorio quidem, Dominus* Joannes Comes à Leszno, *Palatinus Poſnanienſis, Regivalis Majeſtatis Supremus Aulæ Præfectus ac Mareſchallus, Generalis Majoris Poloniæ, Mariæburgenſis, Corſunenſis Gubernator, Dominus* Georgius Lubomirsky, *Comes in VViſnicz & Jaroslaw, ſupremus Regni Campi-Mareſchallus, Generalis Cracovienſis, Scepuſienſis, Chmielnicenſis, Pereaslavienſis, Caſimirienſis, Olſtinenſis Gubernator. Dominus* Nicolaus in Prazmow Prazmowsky, *ſupremus Regni Cancellarius, nominatus Epiſco-*

pus Luceorienſis & Breſtenſis, Abbatiæ Sieciechovienſis Adminiſtrator perpetuus, Præpoſitus ſancti Michaëlis Eccleſiæ Collegiatæ in arce Cracovienſi. Dominus CHRISTOPHORUS PAC, *ſupremus Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellarius, VVilkowiſcenſis, Oſtrinenſis, Kozienicenſis, Kleſzelenſis, & Nemonocenſis Gubernator. Ex Ordine verò Equeſtri, Dominus* JOHANNES ANDREAS de RACIBORSKO MORSTIN, *Referendarius Regni, Kowalenſis & Zawichoſtenſis Gubernator. Dominus* VLADISLAUS de NAGLOWICE REY, *Theſaurarius Curiæ Regni, Reginalis Majeſtatis Cancellarius, Neokorcinenſis, Libuſienſis, Kamionacenſis Gubernator. Dominus* JOHANNES in GNIN GNINSKY, *Pomeraniæ Succamerarius, Gneſnenſis Gubernator. Et à Parte Fœderatorum Poloniæ, videlicet Serenisſimi Imperatoris Romanorum, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Dominus* FRANCISCUS CAROLUS LIBSTEINSKY, S. Rom. Imp. Comes à Kollowradt, *Dominus in Reichenau, Sacræ Cæſareæ Regiæque Hungariæ & Bohemiæ Majeſtatis Conſiliarius, Camerarius, Judici Majoris Provincialis Aſſeſſor, Regius Locum tenens, & Appellationum in Arce Pragenſi Præſes. Dominus* FRANCISCUS, Liber Baro de LISOLA, *à Thieſe & Marienfeld, Conſiliarius Cameralis Aulicus. Et Serenisſimi Electoris Brandenburgici, Illuſtriſſimi & Excel-*

Excellentiſſimi Domini, Dominus Johannes ab Hoverbeeke, *in Eichmedien, Baranowen, Geyerswalde & Domkau Dominus & Hæres, Suæ Serenitatis Conſiliarius Status Intimus, Electoratusque Dapifer Hæreditarius, Hohenſteinenſis Præfectus. Dominus* Laurentius Christophorus à Somnitz, *in Gromsdorff, Drenaw & Gerbero, Dominus & Hæres, Suæ Serenitatis Conſiliarius Status Intimus, & Orientalis Pomeraniæ Cancellarius, Ejusdemque Ducatus Camerarius Hæreditarius, Lavenburgenſis & Bütovienſis Præfectus. Dominus* Albertus ab Ostaw, *in Nerwiken & Kegels, Dominus & Hæres, Suæ Serenitatis in Supremo Ducalis Pruſſiæ Appellationum Judicio Conſiliarius. A Parte verò Sereniſſimi Regis Regnique Sueciæ, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Dominus* Magnus Gabriel de la Gardie, *Comes in Leckö & Arensburg, Liber Baro in Eckholmen, Dominus in Habſal, Magnushoff & Hoyendorp, Regiæ Suæ Majeſtatis Regnique Sveciæ Senator & Theſaurarius, Generalis Gubernator Livoniæ, & Locum-tenens per Eſthoniam, Livoniam & Ingriam Militiæ Generalis, Judex Provincialis VVeſtrogothiæ & Daliæ, nec non Academiæ Upſalienſis Cancellarius. Dominus* Benedictus Oxenstierna, *Comes in Korsholm & VVaſa, Liber Baro in Moreby & Lindholmen, Dominus in Coporium & Roſersberg, Suæ Regiæ Majeſta-*

tis Regnique Sveciæ Senator & Cancellariæ Conſiliarius. Dominus CHRISTOPHORUS CAROLUS SCHLIPPENBACH, *Comes in Schöweede, Liber Baro in Liuſula, Dominus in Salinge, S. Regiæ Majeſtatis Regnique Sueciæ Senator & Conſilii Bellici Præſes: Et Dominus* ANDREAS GÜLDENKLAU, *Dominus & Hæres in Schonela, Ekeby, Hylynge & Hulderſtad, Regiæ Suæ Majeſtatis Conſiliarius Status, & per Pomeraniam Regiam, Regiminis ac Conſilii Status, ut & Supremæ Curiæ Juſtitiæ Præſes. Poſt invocatum Divini Numinis auxilium, mutuasquè Plenipotentiarum Tabulas (quarum apographa ſub finem hujus Inſtrumenti, de verbo ad verbum inſerta ſunt,) ritè commutatas Tractatus Pacis auſpicato inchoatus eſt. Et licet in ejus fere decurſu, Præmemoratus Sereniſſimus Rex Sveciæ, diſponente ita Divinâ Providentiâ, mortali hac vitâ deceſſerit; Tractatus tamen hic renovatis à Sereniſſimo & Potentiſſimo Principe ac Domino, Domino* CAROLO, *Suecorum, Gothorum, Vandalorũq; Rege & Principe Hæreditario, Magno Principe Finlandiæ, &c. &c. &c. Plenipotentiarum Tabulis, (quæ ad calcem hujus Tractatus quoque inſeruntur,) feliciter continuatus eſt, ac tandem ad Divini Numinis gloriam, & Chriſtianæ Reipublicæ Salutem, Partes omnes in mutuas Pacis & Amicitiæ Leges conſenſerunt & convenerunt, tenore ſequenti.*

I. Sit

I.

Sit PAX UNIVERSALIS *ac Perpetua & vera ſinceraque Amicitia, inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum* JOANNEM CASIMIRUM, *Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, &c. &c. &c. Ejusque Regiæ Majeſtatis Succeſſores ac Poſteros, Reges Poloniæ, Magnos Duces Lithuaniæ, Regnumque Poloniæ & Magnum Ducatum Lithuaniæ atque ſubjectas Illis Ditiones ac Provincias, atque Ejusdem Majeſtatis & Regni Poloniæ Confœderatos. Inprimis Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum* LEOPOLDUM, *Electum Romanorum Imperatorem, ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Regem, Archi-Ducem Auſtriæ, &c. &c. &c. Ejusque Majeſtatis Hæredes ac Succeſſores, Provincias ac Ditiones, intra vel extra Imperium Romanum ſitas: Et Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum* FRIDERICUM WILHELMUM, *Marchionem Brandeburgicum, Sacri Romani Imperii Principem Electorem & Archi-Camerarium, Magdeburgi, Pruſſiæ, &c. &c. &c. Ducem, Ejusque Serenitatis Hæredes ac Succeſſores, Provincias ac Ditiones, in vel extra Imperium Romanum ſitas, ab Unâ: Atque Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum,*

Do-

Dominum CAROLUM, *Suecorum, Gothorum & Vandalorum Regem, Magnum Principem Finlandiæ, &c. &c. &c. Ejusque Majestatis Successores ac Posteros Reges Suecorum, Regnumque Sveciæ, atque subjectas illis intra vel extra Imperium Ditiones ac Provincias, ab altera Parte: Ita, ut altera Pars alteri post hac nihil hostilitatis aut inimicitiæ, clàm aut palam, directè vel indirectè, inferat, vel per suos aut per alios inferri faciat, nec alterius hostibus auxilia quocunque nomine præstet, nec cum alterius hostibus fœdera huic Paci contraria ineat, nec quicquam in alterius Status & Securitatis diminutionem, per se vel per alios, moliatur aut tentet, vel tentari faciat; sed utraque Pars alterius utilitatem, honorem ac commodum, promoveat, & fidam invicem vicinitatem, Pacem & Amicitiam seriò colat ac servet.*

Pacta verò & Fœdera omnia, quæ Partes paciscentes inter Se, vel cum aliis Principibus ac Statibus utrinque sancita habent, quoad omnia sua Puncta, Clausulas & Articulos integra, & in pleno robore suo permaneant: ita tamen, ut per ea præsens transactio Pacis nullum præjudicium patiatur.

II.

I. §. Sit utrinque Perpetua Oblivio & Amnestia eorum omnium, quæ quocunque loco modoque à quacunque Paciscentium Parte hactenus hostiliter facta sunt, ita, ut

nec

nec eorum, nec ullius alterius rei causa, vel prætextu, ulla Pars alteri posthac quicquam hostilitatis aut inimicitiæ specie Juris aut viâ facti inferat, aut per suos aliosvè inferri faciat.

II. §. Hâc generali Amnestiâ gaudeant omnes & singuli cujuscunque Status, Conditionis & Religionis fuerint, ut & omnes communitates, quæ ab utrinque Partes hostiles secutæ sunt, aut in hostilem possessionem devenerunt, nec ullis hoc bellum præjudicio & noxæ sit, in suis Juribus, Privilegiis ac Consvetudinibus Generalibus & Specialibus, tam in Ecclesiasticis, quàm in Civilibus, Profanisvè, quibus ante hoc bellum gavisi sunt, sed iis in totum fruantur, secundum Leges Regni; Nec ullis communitatibus aut privatis actio, ratione adhæsionis hosti, intentabitur, ita, ut nemini liceat alicui negotium facessere, ratione adhæsionis ullius hostilis, aut eam exprobrare.

III. §. Civitatibus Prussiæ Regalis, quæ in possessione Suæ Regiæ Majestat. Regniquè Sueciæ hoc bello fuerunt, manebunt itidem omnia Jura, Libertates & Privilegia, quibus sive in Ecclesiasticis, sive in Profanis potitæ sunt ante hoc bellum, (salvo libero uti ante bellum viguit in prædictis Civitatibus Catholicæ & Evangelicæ Religionis Exercitio) earumque Territoria, Magistratus, Communitates, Cives, Incolas & Subditos, Sacra Regia Majestas Poloniæ eâdem, quâ olim Clementiâ & Gratiâ Regiâ

impoſterum proſequetur, fovebit & tuebitur. Dabitur iisdem quoque facultas ædificia publica & privata per injuriam belli deſtructa, reficere & reædificare; pro his vero, quæ neceſsitate defenſionis deſtructa ſunt, minimè tenebuntur. Quoad ea verò, quæ militiæ Sueticæ Tributi loco ab utriusque Inſulæ Subditis exſolvere neceſſe fuit, à nemine moleſtia inferetur: Sicut & propter decimas aliosvè cenſus, quibus Subditi Inſulani ſatisfacere tempore belli minimè potuerunt, non turbabuntur.

IV. §. Cunctæ Actiones & Inquiſitiones adverſus illos, qui Partibus hoſtilibus hoc bello adhæſerunt, vel easdem ſecuti eſſe inſimulantur, quibuscunque in locis Poloniæ, Magni Ducatus Lithuaniæ, Pruſſiæ Regalis, Curlandiæquè habitent, cujuscunque Status & Conditionis aut Religionis ſint, ſive privati vixerint, ſive officio publico functi, aut ſervitiis Suæ Regiæ Majeſtatis Sveciæ in Sago vel Toga adſtricti fuerunt, inſtitutæ, nec dum finitæ & ad executionem deductæ, abrogentur, omnique executione careant in perpetuum. Et impoſterum contra eos nulla unquam quæſtio vel actio ex hac cauſa inſtituetur.

V. §. Quæ durante hoc ultimo bello jure Fiſci ex occaſione ac prætextu adhæſionis aut protectionis alterius Partis cuiquam ſive Nobili ſive Plebejo cujuscunque Status, Conditionis ac Religionis adempta, vel Fiſco illata

vel

vel aliis collata sunt bona, sive Regia ac Reipublicæ sive etiam Privatorum sint, mobilia quidem si tradita sunt modernis possessoribus relinquantur; Si verò Ejusmodi jura caduca hactenus in executionem deducta non sunt, antiquis possessoribus relinquantur, neque ulla actio debinc adversus Communitates aut privatos ratione ejusmodi bonorum, intentetur: Bona verò immobilia, hæreditaria, advitalitia, & jure Hypothecæ possessa, Fisco applicata, tum quorum donationes & largitiones factæ sunt, sive jam ante tradita, sive nondum tradita sunt, maneant penes antiquos Dominos, cessantibus de cætero omnibus actionibus, ratione redituum, sive ex publicis sive ex privatis bonis perceptorum.

III.

1. §. SEreniſſimus ac Potentiſſimus Princeps ac Dominus, Dominus JOANNES CASIMIRUS, *Rex Poloniæ, pro Se ac Hæredibus posterisq; Suis, amore Pacis, vigore hujus Instrumenti Pacis, solenniter ex nunc & in perpetuum renunciat omnibus prætensionibus in Regnum Sueciæ & Magnum Principatum Finlandiæ & alias Ipsis subjectas Provincias, Regiones, Ditiones, Civitates, Castra & Munimenta, sive hæc omnia nuper, sive ab antiquo acquisita sint; Nec non in bona avita, in Regno Sueciæ, dictisque Provinciis sita, in Regnum Sueciæ, dictasque*

Provincias & Bona, præſentibus vel futuris temporibus nihil quicquam prætenſurus.

II. §. Quoad Titulos & Inſignia ita conventum eſt: quod Sereniſſimus Rex Poloniæ, prout hactenus, ita impoſterum ad dies vitæ ſuæ utetur integris Titulis & Sigillis, Inſignibusque Regni Sueciæ in Poloniâ & ad omnes Principes, Status & Privatos extra Sueciam, ſine ullo tamen plenariæ ſupradictæ reunciationis præjudicio. Dictis verò Titulis & Inſignibus non utetur ad Sereniſſimos Reges Regnumque Sueciæ, in litteris, aliisve Diplomatibus, aut Scriptis, ſed obſervabitur ab utrinque receptus hactenus modus abbreviandorum Titulorum cum Etcæterationibus, ita, ut poſt verba MAGNUS DUX LITHUANIÆ, *tres Etcæterationes in Titulo Sereniſſimi moderni Regis Poloniæ, viciſſim poſt verba* MAGNUS PRINCEPS FINLANDIÆ, *tres Etcæterationes in Titulo Sereniſſimi Regis Sueciæ adjiciantur. Inſignibus tamen Regni Sueciæ in Sigillis Regis & Reipublicæ Polonæ, dum in Sueciam ſcribetur, penitus omiſſis; poſt obitum verò Moderni Sereniſſimi Regis Poloniæ, Succeſſores Ejus & Respublica Polona in Titulos & Inſignia* SVECIÆ *nihil unquam prætendent; Sed utrinque Reges & Regna, ſuis quisque Titulis & Inſignibus tantum plenariè gaudebunt & utentur.*

IV.

IV.

I. §. Sereniſſimus Rex & Status Ordinesquè Regni Poloniæ, Magniquè Ducatus Lithuaniæ à modo & in perpetuum cedunt vi hujus Pacificationis, Sereniſſimo Regi Sueciæ, Ejusque Succeſſoribus Regibus Regnoque Sueciæ omnem illam Livoniam Trans-Dunanam, quam Suecia hactenus per tempus induciarum tenuit & poſſedit, ut & partes Cis-Dunanas omnes & Inſulam Runen in mari ſitam, quas per idem tempus induciarum Suecia tenuit & poſſedit; nec non quicquid Juris Regibus & Reipublicæ Poloniæ in Eſthoniam & Oſiliam hactenus ullo modo competere poterat. Atque hæc quidem omnia & ſingula cum omnibus ſuis pertinentiis terreſtribus & maritimis, Urbibus, Arcibus, Propugnaculis, Bonis & Proventibus, nec non Juribus, Jurisdictionibus, Regalibus & Superioritatibus tam in Eccleſiaſticis quàm in Politicis, nullis penitus exceptis in plenum Dominium & proprietatem Regum Regnique Sveciæ transferunt, Ordinesquè & Subditos in illa Livonia ejusque recenſitis partibus omni erga Regem & Rempublicam Polonam obedientiæ vinculo & Fidelitatis ſacramento exſolvunt, nihil unquam in eos, ac dictam Livoniam ejusque pertinentias poſt hac prætenſuri. Cis-Dunam autem Sereniſſimi Reges Regnumque Sueciæ non ulterius quam hactenus fines Suæ poſſeſſionis in Curlandia aut Semigallia promoveant, aut ſervitutes à ſubditis Illuſtriſſimi Curlandiæ

„ *Ducis exigant, aut ullum jus lignandi aliudvè quodvis in*
„ *Curlandia aut* Semigallia *prætendant; Commiſſarii verò*
„ *ad declarandos & determinandos ab utraque Parte fines*
„ *ab utrinque deputabuntur, & Commiſsio hæc intra qua-*
„ *tuor ſeptimanas à ſubſcripto Tractatu inchoetur, & intra*
„ *duas expediatur.*

II. §. Quod Religionem Catholicam, Ejusque Exercitium, in Livonia Suecicæ poſſeſsionis attinet, omnes Incolæ Livoniæ ſubditique illi Religioni addicti, omni ſecuritate gaudeant, ac Conſcientiâ liberâ, Religione devotione, ſuâ domi ſine inquiſitione vel animadverſione privatim utantur.

III. §. Tituli Provinciales tam ſpirituales quam ſeculares Senatorii & Equeſtris Ordinis, in Livoniâ Sueticâ penes poſſeſſores modernos maneant durante ipſorum vitâ ſine ullis proventibus aliisvè prætenſionibus, nec ullum exinde præjudicium Juris Sacræ Regiæ Majeſtatis Regnique Sueciæ in Livoniam Sveticam, neque prætenſio quæpiam Regno Poloniæ Magnoque Ducatui Lithuaniæ interea temporis & in futurum inde enaſcetur.

IV. §. Judicia omnia Decretaque ad cujusvis inſtantiam modò non in invitos aut abſentes lata, nec non contractus & transactiones in locis dum illa hoc bello Svecia tenuit inſtitutæ judicialiter, ſive extra judicialiter, ſi modò Statui publico, qui ante hoc bellum fuit & Pacificationi

præ-

præſenti non contrariantur firma maneant, æquè ac ſi nulla Regiminis & Magiſtratuum mutatio interveniſſet ſalvis Appellationibus & Reviſionibus in iis, in quibus hæc Juris remedia hactenus haud fuerunt adhibita, & quæ in rem judicatam non tranſierunt. Sententiæ quoque & decreta, ſi quæ Rigæ in Incolas & Subjectos Magni Ducatus Lithuaniæ, tum & Curlandiæ, Semigalliæque in invitos vel inauditos; Et ex adverſo, ſi ſimilia per Magiſtratus Magni Ducatus Lithuaniæ & Curlandiæ in Livoniæ Suecice Subditos, circa tempus belli lata fuerint, nullum valorem & robur obtinebunt in perpetuum.

V.

I. §. *Pars Livoniæ Auſtralis, quæ ante hæc & per hæc bella & temporibus induciarum, ſub Ditione fuit Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, nempe Dünеburgum, Roſitten, Lutzen, Marienhuſen, &c. itemque reliqua omnia loca, quæ per Commiſſarios ad id utrinque deputandos fuiſſe per tempus induciarum Polonicæ Poſſeſſionis invenientur, cum omnibus ſuis pertinentiis, Territoriis, Urbibus, Pagis, Fructibus & Proventibus Teloneisque Juribus, directoque & utili Dominio, remanent in Poſſeſſione Sereniſſimorum Regum & Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, nec Sereniſſimi Reges Regnumque Sueciæ in iſtam partem Livoniæ ut ab alterâ diverſam, neque in Ducatus Curlandiæ Semigalliæque &*

Diſtri-

Diſtrictū Piltenſem, vel reſpectu Livoniæ Septentrionalis vel quovis alio prætextu ullum unquā jus prætendent aut prætendere poterunt. Cū verò Magnus Dux Moſcoviæ non modo dictam Livoniam Polonicam, ſed etiam Partem Sueciæ occupatas armis nunc teneat, ideò conventum eſt, ut ſi Reſpublica Polona aliquid ex Livonia Suecica, quocunque tempore à Moſcis, Armis, Tractatibus aut aliter receperit, teneatur totum id Sueciæ, ultrò & gratuitò, non imputatis belli expenſis reſtituere, eodem modo & viciſſim, ſi Regnum Sueciæ aliquid ex Livonia Polonica quocunque tempore à Moſcis, Armis, Tractatibus aut aliter receeperit, teneatur totum illud Poloniæ & Magno Ducatui Lithuaniæ ultrò & gratuitò, non imputatis belli expenſis, reſtituere.

II. §. Titulis & Inſignibus Livoniæ, tam Sacra Regia Majeſtas Poloniæ, Ejusque Succeſſores Reges Poloniæ, Magnique Duces Lithuaniæ, ratione Auſtralis Livoniæ, quam Sacra Regia Majeſtas Sueciæ, Ejusque Succeſſores Reges Sueciæ, ratione Livoniæ Septentrionalis, promiſcuè utentur ſub Titulo Ducatus.

III. §. Si quas poſthac controverſias de limitibus aut de rebus aliis inter Regnum Poloniæ, Magnum Ducatum Lithuaniæ, Livoniam Polonicam, Curlandiamque & Semigalliam ab una parte, & Regnum Sueciæ, Eiq; ſubjectas Provincias, imprimisquè Livoniam Succicam

ab

ab alterâ incidere & ſuboriri contigerit, eæ per deputatos utrinque Commiſſarios ad fines Livoniæ amicabili ratione complanentur. Si quæ verò lites minores exortæ fuerint inter ſubditos & accolas utriusque Partis, nec tranſigi de iis amicabiliter inter litigantes poſſit, quælibet Pars ad ſuum competens forum remittatur, & Juſtitia indilatè adminiſtretur.

IV. §. Subditi hoc ultimo bello & in futurum fugitivi Magni Ducatus Lithuaniæ, Samogitiæ, Livoniæ, Polonicæ & Curlandiæ Semigalliæquè, quicunque in Livonia Suecica reperti fuerint, ſuis Dominis ſine ullo proceſſu Juris reddentur unà cum ſuis mobilibus quæ inveniri poterunt, quæ profugus ſecum tulit, nec ſub novo Domino acquiſivit. Quod etiam vice verſa obſervabitur, ſi qui ſubditi fugitivi Livoniæ Suecicæ in Magno Ducatu Lithuaniæ, Livoniâ Polonicâ & Curlandiâ Semigalliâque reperti fuerint, ſi qui etiam abducti ſunt, & adhuc ſuperſunt, reddantur & illi, ſine proceſſu Judiciario ſuis quique Dominis.

V. §. Quò favorem commerciis & navigationi Sacra Regia Majeſtas Poloniæ conteſtetur, ſigna nautica in Domesnes & Luſerorth exſtructa conſiſtere permittit. De ratione verò conſervationis & manutentionis eorundem convenietur à Suecis cum fundi Dominis, nullo inde Jure

aut prætenſione Regni Sueciæ, in Fundos dictos aut Territorium Piltenſe, enaſcente aut enaſcituro.

VI.

ILluſtriſſimus in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Dux, cum Sereniſſima Conjuge Proleque ſua Ducali ac tota Familia & Aulâ, abſque ulla protractione, intra ſex ſeptimanarum ſpatium à die quinta Aprilis Styli novi, Rigam ſiſtetur. Inde verò intra dies quatuordecim decenti & Suæ Dignitati accommodato convenientique modo, ubi Modernus Tractatus ſubſcriptus fuerit, ad Fines Semigalliæ deducetur, omniaq; Sua Suorumq; mobilia non diſtracta, ubicunq; intercepta vel Rigæ depoſita, litteratoria, ſimiliter ſive publica, ſive privatorum documenta bonâ fide extradentur, & Mitaviam reportabuntur; ante eliberationem autem Suam ac reſtitutionem plenariam, peculiari reverſalium diplomate caveat, de non offendendo aut vindicando aliquid contra Sacram Regiam Majeſtatem Regnumque Sveciæ in futurum: Salvâ fidelitate & obligatione Regibus Regnoque Poloniæ & Magno Ducatui Lithuaniæ, debitâ.

VII.

§. 1. *SErenisſimus Rex, Regnumque Sueciæ, reſtituit Sereniſſimo Regi, Reique publicæ Polonæ Mariæburgum, Elbingamque cum ſuis Fortalitiis, reliquaque in Pruſſia Loca, quæ Sueticis præſidiis tenentur, ac Mariæbur-*

burgum quidem unà cum Arce ac Fortalitiis ſuis, ut & Stuma intra octiduum à ſubſcriptione moderni Tractatus, & depoſitâ in manus, Excellentiſſimi Domini Mediatoris, Sereniſſimi Regis Poloniæ proviſionali horum pactorum ratificatione evacuabitur, & præſidium Sueticum inde Elbingam deducetur. Elbinga autem cum ſuis Fortalitiis ubi Tractatus modernus plenaria Sereniſſimi Regis Poloniæ ratificatione confirmatus & per Reipublicæ comitiali autoritate delegatos pro futuro conventu ratificatus fuerit, quatriduo poſt ipſam ratificationũ commutationem ſine contradictione evacuabitur, & in manus Sereniſſimi Poloniæ Regis Ejusq; Commiſſariorum tradetur. Bauskum etiam uti & reliqua, ſi quæ ſint in Suecorum poteſtate loca in Curlandia, præſidiis Sueticis evacuabuntur intra octiduum, poſtquam notitia ad Generalem Exercituum in Livonia vel in abſentiâ Ejus ad Ejus locum-tenentem pervenerit de ſubſcripto Tractatu, quæ notitia per tubicines utriusque Partis conjunctim Rigam deferetur.

II. §. Deductio militiæ Suecicæ, unà cum bellicis tormentis majoribus & minoribus juxta factam hic conventionem, nec non cum impedimentis fiet Elbingâ diverſis vicibus, intra tamen definitum tempus permutationis Ratificationum & evacuationis Elbingæ, dato eidem libero & innoxio tranſitu per Habum ad portum Pillavien-

ſem, & inde ad naves proprias, quas milites conſcenſuri & ad Ditiones Suecicas ituri ſunt. Imponetur autem dicta militia circa deductionem navibus Elbinganis, & ſi illæ non ſufficiant, tum navibus adjacentium Territoriorum aliorum, ſine aliquo pretio. Communicabit etiam Præfectus militiæ Sueticæ & conveniet cum Præfecto militiæ Electoralis, aut Ejus locum-tenente, de modo tranſitûs per dictum portum Pillavienſem. Et fiat de cætero ejusmodi deductio ſine damno & noxâ ſubditorum in Pruſſiâ tam Polonicorum quàm Electoralium. Quod ſi per periculum belli maritimo itineri ſeſe militia committere tutò nequeat, liber illi & innoxius tranſitus per Terram quàm breviſſimo itinere in Ditiones Juris Suetici proximas ſine damno Incolarum Reipublicæ Poloniæ & Sereniſſimo Electori Brandenburgico Subjectorum deducentibus Commiſſariis Sereniſſimorũ Regis Poloniæ & Electoris Brandenburgici concedi debet, Juſtitia verò per Præfectos indilata bonâ fide adminiſtretur, damna & injuriam paſſis.

III. §. Si cui aut quibus in Civitatibus Pruſſiæ evacuandis, earumque Territoriis non placuerit manere, ſed mutato domicilio alio ſeſe conferre, iis liberum ſit in ſpatio trium abhinc annorum ſua divendere, aliis elocare aut pro ſuo lubitu diſtrahere, ſine ullo impedimento aut onere ſub quocunque prætextu imponendo, ſalvis antiquis Civitatum Juribus & Privilegiis.

VIII

VIII.

Quicquid in Polonia, & Magno Ducatu Lithuaniæ Provinciisque annexis, in iisque Curlandia, per hoc bellum Serenissimo Regi Regnoque Sueciæ, Eorumque Ducibus ac Legatis vel à Privatis, vel à Communitatibus Exercitibus & Provinciis per necessitatem belli vel aliter datum est, quocunque Titulo, Diplomatum, Obligationum & Litterarum, Instrumentorum & Actorum publicorum, ea omnia autographa quæ supersunt Serenissimo Regi & Reipublicæ Polonæ, Ducique Curlandiæ circa Ratificationum Commutationem, bonâ fide extradentur. Quod si naufragio absorpta sint vel alio modo perierint, omnia Ejusmodi Scripta, Actaque privata & publica ex nunc cassantur, annihilantur, & eliminantur, nihilque exinde Reges Regnumque Sueciæ in Provincias, Exercitus, Districtus vel privatos in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniæ & Provinciis illis annexis vel subjectis, in specie etiam Curlandiâ & Districtu Piltensi Juris prætendere velle aut posse omni meliori modo declaratur.

IX.

Restituentur quoque à Parte Suecorum, omnia Archiva, Acta publica, Castrensia, Juridica, Ecclesiastica, nec non Bibliotheca Regia, quæ ex Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ avecta, & quorum copia haberi potest, idque intra tempus commutationis Ratifi-

cationum, vel adſummum intra tres menſes à facta commutatione.

X.

OBligationes atque recognitiones, ſi quæ ſunt ab Illuſtriſſimo Curlandiæ & Semigalliæ Duce, aut Incolis Curlandiæ & Semigalliæ, Diſtrictusque Piltenſis exortæ per Suecos, aut vice verſa à Suecis per Polonos in totum caſſantur, nullumque habere pondus declarantur.

XI.

DEbita inter utriusque Partis Subditos & Incolas, tum etiam à Ducibus & Officiariis belli ubicunque contracta, utrinque bonâ fide ſolventur. Si quæ verò hoc bello ultimo Obligationes & Recognitiones exortæ ab utrinque ſint, in totum caſſantur, nullumque pondus habere declarantur.

XII.

DEpoſita aliaque bona mobilia ubicunque reperiuntur & Fiſco nondum adjudicata, bonâ fide propriis Dominis reſtituantur: Nemo autem tenebitur ad eorum refuſionem, quæ Fiſco adjudicata & extradita ſunt, præſtandam.

XIII.

TOrmenta bellica majora minoraque in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniæ, Pruſiâ, Curlandiâ, cæterisquè annexis Provinciis à Suecis capta, ſive ſint Reipublicæ,

blicæ, ſive Privatorum, ſive Civitatum, quæcunque in locis evacuandis reperientur, exactè relinquentur. Quæ verò ex Suecia invecta ſunt in Poloniam, Lithuaniam, Pruſſiam, Curlandiam, liberum erit Sueciæ, ſine ullâ prætenſione ſecum aufferre, Tranſactioni quoque Deditionis THORUNIÆ quod adhuc reſtat hac in re ſatisfiet.

XIV.

I. §. QVicunque hoc bello ab utrinque inter Polonos Lithuanos & Suecos in quocunque loco capti ſunt, cujuscunque Conditionis ac Status, liberi & ſine ullo ſoluto pretio, niſi aliter ante hunc Tractatum ab ipſis conventum fuerit, dimittentur, priſtinæque libertati reſtituentur; Solutis tamen impenſis Officiariorum in victum eorum factis, & debitis in captivitate ab eis contractis. Cæterum captivis quoque annumerandi & ab utraque Parte reſtituendi ſunt, qui inviti militiæ alterius Partis nomina dederunt. Omnes verò ſupradicti, qui quidem in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniæ, Pruſſiâ Regali, utraque Livonia aut Curlandia detinentur, intra tres ſeptimanas à ſubſcripto moderno Tractatu, illi autem, qui extra Poloniam, Lithuaniam, Livonias & Curlandiam detinentur, intra tres Menſes libertati reſtituantur. Quod autem de lytri conventi ſolutione hîc ſupra dictum eſt, tantum locum habebit in Majoribus Officiariis, utpote Generalibus

ralibus, Tribunis, Tribunorum locum tenentibus & Capitaneis.

11. §. Sacra Regia Majestas & Regnum Poloniæ Magnusque Ducatus Lithuaniæ, id Paci huic perpetuæ dandum censuerunt, ut Autoritatem & Officia sua interponant apud Chamum Ordasque Tartarorum, quò sine lytro Captivi in Tartaria Suetici, intra sex abhinc Menses, inde dimittantur, dimissi verò per Regnum Poloniæ Magnumque Ducatum Lithuaniæ, annexasque iis Provincias liberè ac tutò transeant, & benignè habiti ad Provincias Ditionesque Juris Svetici promoveantur.

XV.

I. §. COmmercia pristina sint libera & non impedita inter utrumque Regnum, Poloniæ, Magnumque Ducatum Lithuaniæ, & Sveciæ, subjectas illis Provincias, Subditos & Incolas, tam Terrâ quam Mari, & in veteri usu atque exercitio, quo fuerunt tempore induciarum, conserventur. Imprimis sit liberum commerciorum exercitium liberaque defluitatio mercium, per fluvium Dunam & Bulderaviam, Subditis & Incolis Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ & Polonicæ Livoniæ, Curlandiæque ac Semigalliæ, cum Subditis Incolisve Livoniæ Sueticæ; Et viceversa, Subditis Incolisque Regni Sueciæ & Livoniæ Sueticæ, sit liber commerciorum usus per eadem flumina, cum Subditis Incolisque Poloniæ, Lithuaniæ,

niæ, Livoniæ Polonicæ & Curlandiæ Semigallicæque; Teloniorum verò & Vectigalium in flumine Duna & Bulderaâ, ut & Maritimorum ac Terreſtrium in Livoniâ, eadem ratio & in iisdem tantùm locis ab utraque parte impoſterum ſit, uti & ubi tempore inducíarum & ante hoc ultimum bellum fuit.

II. §. Majoris quoque Poloniæ incolæ, cujuscunque conditionis ſint ſive Terrâ ſive Aquâ, commercia ſua exercentes, nullis novis Teloniis & Gabellis Stetini onerabuntur.

III. §. Civitas quoque Gedanenſis & aliæ Pruſſiæ Civitates in Regno Sueciæ & ſubjectis Provinciis aliis, gaudeant eâ libertate commerciorum & vectigalium, quâ gaviſæ ſunt ante hoc noviſſimum bellum.

XVI.

Dominus Comes Königsmarkius, *Campi-Mareſchalcus Sueciæ absque ulla protractione intra ſex ſeptimanarum ſpatium, à die quinta Aprilis ſt. nov. Dantiſcum modo decenti ſiſtetur, inde verò intra dies quatuordecim, ubi modernus Tractatus ſubſcriptus fuerit, eliberabitur, ante reſtitutionem autem plenariam peculiari Reverſalium Diplomate caveat de non offendendo & vindicando aliquid contra Sacram Regiam Majeſtatem Regnumque Poloniæ, & ſpecialiter Civitatem Gedanenſem, ſalvâ tamen debitâ Regibus Regnoque Sueciæ obedientiâ & fide.*

XVII.

SErenisſimus Rex & Reſpublica Poloniæ Illuſtrisſimæ Principis ANNÆ MARIÆ, *defuncti Illuſtriſſimi Ducis* JANUSCHII RADZIVILII, *Palatini VVilnenſis, Supremi Exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ Ducis, Filiæ unicæ, in adeundis ſecundum legitimas conſuetudines Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ Hæreditatibus & Bonis Paternis ac Maternis, vigore Generalis Amneſtiæ, præſenti conventione omnibus cautæ, ut Ei ſatisfiat, condignam rationem habituri ſunt.*

XVIII.

DE mortuorum belli Ducum atque Officialium aliorum corpora ſive in Poloniâ ſive in Pruſsiâ adhuc inhumata & nonnullis in locis aſſervata ſunt, tradentur & non denegabuntur iis, quibus cura mandabitur, ea inde deducendi. Quorum autem cadavera tum in priori tum hoc ultimo bello humata ſunt in Elbingenſi, Mariæburgenſi & aliis in Pruſsiâ & Poloniâ templis, intacta jaceant, ſepulchra eorum ab omni violatione & inquietudine ſint immunia.

XIX.

DE Domini Ducis CROJANI *deſiderio, ratione debitorum apud Rempublicam Polonam ita conventum eſt, ut prædictus Dominus Dux, Jus ſuum, Originalium Obligationum Productione doceat, in proximè futuris comitiis*

tiis Regni generalibus, ibidemque debita ratio Ejus habeatur, ſalvo quoque Jure Illuſtriſſimi Ducis Curlandiæ, ſi quod Eidem ad præfatas ſummas pecuniarias competierit.

XX.

Quoad Dominorum Comitum à Dohna *poſtulatum & debitum apud Rempublicam Poloniæ, in quantum illud liquidari poterit, juſta eorum ratio in futuris Regni Comitiis habebitur.*

XXI.

Habebitur quoque æqua ratio à Sueciâ Domini Baronis Sigismundi à Güldenstern, *quoad bona in Regno Sueciæ vel illi ſubjectis Provinciis prætenſa.*

XXII.

I. §. *Eadem ſimiliter PAX, Amicitia, Amneſtia & præteritorum omnium perpetua oblivio ſub iisdem clauſulis & vinculis in hocce Inſtrumento contentis, vigeat & in perpetuum ſtabilita ſit, inter Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum* LEOPOLDUM, *Electum Romanorum Imperatorem, ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Regem, Archi-Ducem Auſtriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Lucenburgiæ, ac Superioris & Inferioris Sileſiæ, VVürtembergæ & Theckæ, Principem Sueviæ, Comitem Habsburgi, Tyrolis,*

Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravium Alſatiæ, Marchionem Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Luſatiæ, Dominũ Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum, Præcipuum Poloniæ Fœderatum, belliq; Socium, nec non Ejus Hæredes ac Succeſſores, Regna & ſubjectas Provincias, tam in quam extra Imperium Romanum, eorumque Subditos & Incolas: Ac Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLUM, *Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, & Principem Hæreditarium, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Scaniæ, Eſthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Principem Rugiæ, Dominum Ingriæ & VVismariæ, nec non Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ Ducem. Ejusque Hæredes ac Succeſſores, Reges Regnumque Sueciæ & ſubjectas Provincias, tum in Imperio Germanico, tum extra illud ſitas, eorumque Subditos & Incolas, ita ut quicquid vel ante hoc bellum, vel illo durante, ſive in Polonia, ſive extra illam, ſeu ratione auxilii Sereniſſimo Regi ac Reipublicæ Poloniæ præſtiti, ſive quavis alia de cauſa, mutuæ offenſionis atque Inimicitiarum aut Prætenſionum oriri potuit, perpetuæ oblivioni tradatur. Neutrique Parti quocunque prætextu licitum ſit alterius Regna, Status aut Provincias clam aut palam, directè vel indirectè armis impetere, vel ullum in*

ipſas

ipſas hoſtilitatis genus exercere; Sed alter alterius commoda ſectetur & omnia inter utramque Partem earumque Status ac Subditos ad priſtinum prorſus Statum, unionem & fidam correſpondentiam reſtituta & redintegrata ſint, & nemini ex utriusque Partis Subditis aut Imperii Statibus ac Vaſallis noxæ ſit aut præjudicio, quòd alterius partes hoc bello Sago vel Toga fuerit ſectatus, ſed quicunque ex ſola cauſa hujus belli de ſortunis aut Statu ſuo decidiſſet, is in priſtinum Statum, in quo ante hoc bellum immediatè fuit, quoad honores ac bona immobilia, nec non etiam quoad bona mobilia, ſi Fiſco nondum adjudicata & extradita ſint, indilatè & ſine contradictione reſtituatur, iisque plenariè gaudeat ac fruatur.

II. §. Ut autem firmioribus fundamentis hæc Pax & Amicitia ſtabiliri queat, Sacra Cæſarea Majeſtas loco omnia, quæ in Pomerania & Megapoli occupata præſidiis ſuis inſidentur, Sereniſſimo Regi ac Regno Sueciæ; ea verò quæ in Holſatiâ & Ducatu Schlesvicenſi, Duci Holſatiæ Gottorpienſi (qui prævia tamen cautione de non vindicando juxta formulam de quâ hic convenit, hac Pace conſenſu Partium incluſus cenſebitur) reſtituet plenariè, cum Tormentis bellicis ipſorum propriis, re armamentariâ cæteroque apparatu bellico, nec non mobilibus cujuscunque generis, item actis Cancellariæ, Archivis ac litterariis documentis, prout ea omnia tempore occupationis

vel deditionis inibi reperta ſunt, & adhuc non diſtracta exſtant. Quæ evacuatio fiet locorum ſcilicet Pomeraniæ & Megapoleos, exceptis Vollinio, Dam & Greiffenhagen, intra duas ſeptimanas, à die permutationis ratihabitionum computandas, quo tempore Elbinga quoque Poloniæ reſtituetur, Vollinum verò Dam & Greiffenhagen, nec non loca Holſatiæ & Ducatus Slesvicenſis, intra alias duas ſequentes hebdomadas à die ſupramemoratæ permutationis evacuabuntur, deductis eodem tempore è dictis locis præſidiariis militibus & è Provinciis ad Sacram Regiam Majeſtatem Regnumque Sueciæ, Duces Megapolitanos & Ducem Holſatiæ Slesvici ſpectantibus copiis omnibus, eâ ratione & modo, de quo inter Generales utriusque Partis vel eorum locum tenentes, intra tempus ratihabitionibus commutandis præfinitum, conventum fuerit.

III. §. Cæterum, quicquid circa res Imperii controverſiæ interceſſerit, juxta Imperii & Pacis Germaniæ Leges absque ſtrepitu armorum componetur, aut decidetur, & ſtabitur ab utraque Parte per omnia diſpoſitioni Pactorum Oſnabrugenſium & conſtitutionibus Imperii.

XXIII.

SImiliter tam à Parte Serenisſimi Imperatoris, quam Serenisſimi Regis Sueciæ captivi hujus belli, cujuscunq; ſint conditionis ac Status, liberi & ſine ſoluto ullo pretio ſeu lytro, niſi aliter ante ſubſcriptum Tractatum ab ipſis conven-

conventum fuerit, intra ſpatium trium hebdomadarum à die ratificationis, dimittentur & libertati priſtinæ, ſolutis ab Officiariis impenſis in victum eorum factis & Debitis in Captivitate ab eis contractis, reſtituentur, & captivis quoque annumerandi & ab utraque Parte reſtituendi ſunt, qui invitiad danda alterius Partis militiæ nomina ſua adacti fuerunt; Quod autem de lytri conventi ſolutione hîc ſupra dictum eſt, tantum locum habebit in Majoribus Officiariis, utpote Generalibus, Tribunis, Tribunorum locum tenentibus & Capitaneis.

XXIV.

I. §. Sit itidem PAX perpetua veraque ac ſincera Amicitia inter Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLUM, *Sueorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, & Principem Hæreditarium, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Scaniæ, Eſthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Principem Rugiæ, Dominum Ingriæ & VVismariæ, nec non Comitem Palatinum Rheni, Bavariæ Ducem, Ejus Hæredes, Succeſſores ac poſteros Reges, Regnumque Sueciæ, Ejusdem tam in Imperio quam extra illud ſitas Provincias, Status ac Ditiones; Et Sereniſſimum Principem ac Dominum, Dominum* FRIDERICUM WILHELMUM, *Marchionem Brandenburgicum, Sacri Romani Imperii Archi-*

Archi-Camerarium & Principem Electorem, Magdeburgi, Prussiæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorumque nec non in Silesia, Crosnæ & Carnoviæ Ducem, Burggravium Norinbergensem, Principem Halberstadiensem & Mindensem, Comitem Marcæ & Ravensbergi, Dominum in Ravenstein; Poloniæ Fœderatum, bellique Socium, Ejusdemque Hæredes ac Successores, Provinciasque Status ac Ditiones in & extra Imperium Romanum sitas, ita ut alter alterius honorem, commodum & utilitatem sincerè serioque in perpetuum promoveat.

II. §. *Pacta verò & Fœdera omnia, quæ Partes Paciscentes inter Se vel cum aliis Principibus ac Statibus utrinque sancita habent, quoad omnia sua puncta, Clausulas & Articulos integra & in pleno robore suo permaneant, ita tamen ut per ea præsens transactio Pacis, nullum præjudicium patiatur.*

III. §. *Sit etiam utrinque Amnestia & præteritorum omnium perpetua Oblivio, ita ut quicquid hactenus quocunque loco & quavis de causa, sive in Imperio Romano, sive extra illud ab alterutrâ Partium vel sub earum Imperio Potestateque existentibus, absque ullo personarum rerumque respectu gestum vel admissum fuerit, nullo prætextu viâ juris vel facti directè vel per indirectum à Neutra Parte unquam vindicari possit. Et nec horum*

nec

nec ullius alterius rei causa vel prætextu alter alteri posthac quicquam hostilitatis aut inimicitiæ vel etiam quoad Ministros, Officiarios aliosque Incolas ac Subditos, Statum, bona vel securitatem per se vel per alios clam aut palam inferat vel inferri faciat.

IV. §. Nemini quoque ex utriusque Partis Subditis aut Vasallis cujuscunque conditionis & dignitatis fuerit, noxæ sit aut præjudicio, quod alterius Partes hoc bello Sago vel Togâ fuerit sectatus, sed quicunque ex sola causa hujus belli de suis possessionibus decidisset, is in pristinum Statum in quo ante hoc bellum immediatè fuit, quoad honores & bona immobilia nec non etiam quoad mobilia bona, si hæc bona mobilia Fisco nondum adjudicata & extradita, aut aliàs distracta sint, indilatè & sine ulla contradictione restituatur, iisque plenariè gaudeat ac fruatur: Atque proinde & Campi-Mareschallo Comiti à Königsmarck, *ut & Campi-Mareschalli Comitis* Wittenbergii *Hæredibus bona immobilia, quæ in Ditionibus Suæ Serenitatis Electoralis, ubicunque locorum ante hoc bellum possederunt, in eo Statu quo nunc sunt restituantur vigore hujus Pacificationis atque eo jure tenenda, quo ante bellum hoc exortum ea tenuerunt ac possederunt.*

XXV.

Et ne Occaſione anteactorum lis & diſſidium aliquod oriri poſſit, Sacra Regia Majeſtas Sueciæ pro Se & Hæredibus ac Succeſſoribus Suis, Regibus Regnoque Sueciæ virtute hujus Inſtrumenti Pacis quam fieri poteſt validiſſimè in perpetuum & irrevocabiliter renunciat pactis, quæ die 7. 17. Januarii, Anno 1656. Regiomonti, item 15. 25. Junii prædicti Anni Mariæburgi, tum quæ 10. 20. Novembris, eodem Anno 1656. Labiaviæ inter Sereniſſimum Sueciæ Regem glorioſæ memoriæ nuper Defunctum: Et Suam Serenitatem Electoralem confecta ſunt, ut & aliis omnibus conventionibus, quæ illis adjectæ aut ſeparatim quocunque modo durante hoc ultimo bello Polonico ejusque reſpectu initæ ſunt. Atque ea omnia & ſingula in omnibus & ſingulis clauſulis, conditionibus & Articulis ſuis irrita & nulla pronunciat, omnemque ipſis vim, vigorem & Effectum hoc ipſo & virtute hujus Pacti penitus & in æternum detrahit: Ita ut contra Suam Serenitatem Electoralem Brandeburgicam Ejusque Hæredes, Agnatos, Succeſſores, Provincias ubicunque locorum ſitas & in ſpecie in Ducatum Pruſſiæ atque ejusdem Ordines & Incolas, aut contra Sacram Regiam Majeſtatem, Ejusdem Succeſſores, Reges, Regnumque Poloniæ ex nominatis & indigitatis ſupra Pactis & conventionibus abolitis nunc & imposterum ſive ſucceſſionis in Pruſſiã

ſive

ſive unionis aut quocunque alio prætextu vel cauſa nomine Regis, Regum Hæredum ac Succeſſorum & Regni Sueciæ nihil unquam allegari prætendi aut poſtulari poſsit aut debeat. Quare prememoratorum Pactorum & Conventionum originalia cum retradi non potuerint, hoc ipſo pro retraditis, ſciſsis & in cineres redactis habentur, atque in æternum habebuntur. Quemadmodum & Sereniſsimus Elector Brandeburgicus, in Pruſsia Dux, quàm fieri poteſt validiſsimè in perpetuum & irrevocabiliter vigore hujus Inſtrumenti Pacis pro Se, Hæredibusq; ac Succeſſoribus Suis profitetur, nihil vel Se, vel Hæredes & Poſteros Suos ex prædictis Pactis & conventionibus contra Sacram Regiam Majeſtatem Regnumque Sueciæ prætenſuros, ſed Sua Serenitas Electoralis pro Se, Hæredibusque ac Succeſſoribus Suis, hoc ipſo & virtute hujus Pacti, ſupramemoratis Pactis omnibus jam abolitis renunciat, & eadem omnia pro retraditus, ſciſsis, & in cineres redactis, nunc & in æternum declarat, & irrita ac nulla pronunciat, omnemque ipſis vim, vigorem & Effectum penitus & in æternum detrahit.

XXVI.

Sereniſsimus Elector Brandeburgicus loca omnia, quæ in Pomeraniâ hocce bello occupata præſidiis ſuis inſidentur, Sacræ Regiæ Majeſtati & Regno Sveciæ, ea verò quæ in Holſatia & Ducatu Sleswicenſi, Celſiſsimo Principi

& Duci Holſatiæ, Gottorpienſi (qui prævià tamen cautione de non vindicando juxta formulam de quà hîc convenit hâc Pace conſenſu Partium incluſus cenſebitur) reſtituet plenariè cum Tormentis bellicis ipſorum propriis, Re armamentariâ, cæteroque apparatu bellico, nec non mobilibus cujuscunque generis, item Actis Cancellariæ, Archivis & literariis Documentis, prout ea omnia tempore occupationis vel deditionis inibi reperta & adhuc non diſtracta extant. Quæ evacuatio fiet locorum ſcilicet Pomeraniæ, exceptis VVollino, Damm & Greiffenhagen, intra duas ſeptimanas, à die permutationis Ratihabitionum computandas, quo tempore quoque Elbinga reſtituetur. VVollinum verò, Damm & Greiffenhagen, nec non loca Holſatiæ & Ducatus Sleswicenſis intra alias demum duas ſequentes hebdomadas, à die ſupramemoratæ reſtitutionis evacuabuntur, deductis eodem tempore è dictis locis præſidiariis militibus & è Provinciis ad Sereniſſimum Regem Sveciæ & Ducem Holſatiæ & Sleswici Regentem ſpectantibus copiis omnibus, eâ ratione & modo, de quo inter Partes utriusque Generales, vel eorum Locum-tenentes intra tempus Ratihabitionibus commutandis præfinitum conventum fuerit, ita tamen ne præmemoratis reſtituendis & evacuandis Locis vel Communitatibus, qui præſidia Electorali habuerunt, aut quovis modo hoc bello in Suæ Serenitatis Electo-

Electoralis Fide & Poteſtate fuerunt, vel cuiquam Privato quod Partes Suæ Serenitatis ſecutus fuerit, ullâ ratione noxæ fraudique ſit vel alia in re, quoad priſtina Jura, Privilegia, bona, Feuda & libertates illi competentes abſque exceptione vel reſervatione præjudicet.

XXVII.

Captivi hujusce belli cujuscunque Conditionis ac Status, liberi & ſine ſoluto ullo pretio ſeu lytro, niſi aliter ante ſubſcriptum Tractatum ab ipſis conventum fuerit, intra ſpatium trium hebdomadarum, à die Ratificationis dimittentur, priſtinæque libertati reſtituentur, ſolutis tamen ab Officiariis impenſis in victum eorum factis, & debitis in Captivitate ab eis contractis. Cæterum Captivis quoque annumerandi & ab utraque Parte reſtituendi ſunt, qui inviti militiæ alterius Partis nomina dederunt.

XXVIII.

Debita inter utriusque Partis Subditos & Incolas tum etiam à Ducibus & Officiariis belli ubicunque contracta, utrinque bonâ fide ſolventur; Si quæ verò hoc bello ultimo Obligationes & Recognitiones extortæ ab utrinque ſint, in totum caſſantur, nullumque pondus habere declarantur.

XXIX.

XXIX.

INter Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ & Suæ Serenitatis Electoralis Brandeburgicæ, Regni, Provinciarum, Statuum, Ditionum, tam in Imperio Romano, quam extra illud sitarum, Subditos & Incolas pristina restituantur commercia, atque imposterum in pleno vigore conserventur.

XXX.

SI quæ bona, à Suæ Serenitatis Electoralis Subditis vel Ejusdem Ditionum Incolis in Regiæ Suæ Majestatis Sueciæ Regno, Provinciis, Ditionibus aut Locis occupatis & hactenus possessis ante vel sub tempus hujusce belli deposita vel alio quocunque modo eò delata sunt, ea sine ullâ morâ vel effugiis Dominis suis restituantur, nisi jam Fisco adjudicata atque extradita fuerint.

XXXI.

CUm verò ad Stabilitatem hujus Pacis plurimùm interfit, ut universaliter componatur, & inter omnes belli hujus Socios Securitati Commerciorum plenè prospiciatur, ideò licet controversiæ, quæ Serenissimo Regi Regnoque Sueciæ cum Serenissimo Rege Daniæ intercedunt, hìc commodè decidi non potuerint, & in ipsa Dania cum spe successus tractentur; Nihilominus conventum est, ut Serenissimus Daniæ & Norwegiæ Rex, Ejusque Regna ac Ditiones in hoc Tractatu, concluså in Dania Pace, compre-

prehendantur, ita ut ea omnia, quæ inter altèmemoratos Sueciæ & Daniæ Reges conclusa & constituta fuerint, ad hanc Pacem pariter ac si in hoc Instrumento specificè inserta forent pertinere censeantur. Salvo per omnia ipso Tractatu in Dania inter utrosque Reges & Regna concluso vel concludendo.

XXXII.

I. §. CEssent omnes hostilitatis actus inter Partes Paciscentes omnes tum Principales tum Fœderatas, earumque Exercitus à die conclusæ & subscriptæ hujus Pacis computando in Prußiâ tàm Regali quàm Ducali exactis quatuor, in Pomerania & Megapoli duodecim, in Curlandiâ & Livoniâ quatuordecim, & in Holsatiâ & Sleswicensi Ducatu exactis viginti diebus, eodem quoque die in singulis præmemoratis Locis negotiationes quævis pristino usui restituantur, & literarum commercia libera sint.

II. §. Generales præsidii Elbingensis in Prußiâ, ac tam Cæsarei quàm Electorales in Pomeraniâ post acceptam hujus armorum Cessationis intimationem, exactam curam adhibebunt, ut usque ad Finalem Pacis executionem militis sustentatio non amplius exigatur more hostili, nec ultra justam & necessariam alimentationem Provinciæ ipsorum armis infessæ aggraventur, in quem finem Commissarii à Partibus deputabuntur, qui curam sedulam

lam habeant, ne exorbitantiæ contra hanc conventionem fiant.

XXXIII.

DEnique omnium belligerantium in Imperio Partium copiæ & exercitus post restitutionem locorum ab omnibus Partibus Pacisscentibus, dimittantur et exaucto-rentur, eo tantum numero in suos cujuscunque proprios Status traducto, quem quæque Pars pro suâ securitate judicaverit necessarium.

XXXIV.

PActa hæc ratihabeantur à Serenissimo Rege Poloniæ nec non Republica Polonâ Ejusque Fœderatis ab unâ: Et Serenissimo Rege Sueciæ ab alterâ Parte, quâ de re-ad modum sequentem convenit.

Primo: *Instrumentum hujus Pacis Manibus ac Sigillis Dominorum Commissariorum utriusque Partis, tùm Excellentissimi Domini Legati, Mediatoris subscribatur & invicem tradatur & commutetur.*

Secundo: *Serenissimus Rex Poloniæ eadem Pacta illicò à Subscriptione & Signatione Dominorum Commissariorum Polonicorum, Diplomate Ratificationis in forma conventa confirmet, atque ex nunc Assecurationem Suam interponat subsecuturam inter spatium ad summum trium Mensium computandorum à Subscriptione-hujus Instrumenti Pacis plenariam Ejusdem Regiæ Majestatis*

tis Ratificationem, cum integrâ inſertione Inſtrumenti Pacis concluſæ ad formulam inter utriusque Partis Commiſſarios conventam.

Tertio. *Sereniſsimus Rex Sueciæ ſolenni Inſtrumento hæc Pacta Nomine Suo & Regni Sueciæ per Subſcriptionem Sereniſsimæ Reginæ Matris Suæ & Dominorum Regni Sueciæ Adminiſtratorum in Formâ conventâ rata habeat.*

Quarto. *Domini Delegati à Republica Polona Lege comitiali Anno 1659. deputati, nomine Reipublicæ hæc Pacta Subſcriptione & Sigillatione Suâ approbent, in futura Convocatione intra tres Menſes celebranda.*

Quinto. *Diplomata Ratificationis tàm Sacræ Regiæ Majeſtatis Poloniæ quàm Deputatorum Comitiali Lege Delegatorum in proximis Comitiis, Conſtitutionibus & Volumini Legum Polonicarum inſerantur.*

Sexto. *Inſtrumenta hæc ſolennia Ratificationis tùm utriusque Sereniſsimi Regis tùm dictorum Reipublicæ Delegatorum, ab ambarum Partium Commiſſariis intra ſpatium ad ſummum trium Menſium à Subſcriptione hujus Inſtrumenti Pacis computandorum ad Limites Territoriales, inter Elbingam & Mariæburgum, utrinque per Excellentiſsimum Dominum Mediatorem à Partibus Paciſcentibus recipiantur, & ab eodem eo ipſo tempore inter Partes commutentur.*

Septimo. *Ut Sacra Cæsarea Majestas & Serenissimus Elector Brandeburgicus Ratihabitiones Suas itidem tempore & loco eodem tradi faciant.*

Octavo. *Denique ut dicta Sereniſſimorum Regum & Reipublicæ* Polonæ *ac Ejus Fœderatorum Inſtrumenta Ratificationum ad conventam & præſcriptam formulam, quoad Titulaturam & Sigillationem aliaque requiſita nullâ voce aut ſyllabâ immutatâ conficiantur & reciprocè commutentur.*

XXXV.

1. §.

QUò firmior, ſtabilior & ſecurior PAX hæc coaleſcat, & ab omni Parte intemerata duret, promittunt ſupra memoratæ Partes Paciſcentes omnes tàm Principales quàm Fœderatæ, Se hanc Transactionem & Pacem, omnesque ejus Articulos, Capita & Clauſulas, ſanctè & inviolabiliter ſervare velle & debere: Et nè impoſterum violari queat, Se invicem ad Generalem Guarantiam & Evictionem mutuam ac Defenſionem reciprocam omni ex parte obſtringunt: Hiſce quàm fieri poteſt firmiſſimè ſpondentes, ut ſi contingat unam partem ab altera vel plures à pluribus, Terra vel Mari bello contra hanc Pacificationem impeti, Aggreſſor ipſo facto pro infractore hujus Pacis ab omnibus habeatur, ejus-

ejusdemque beneficio excidat, & tùm altera reliquæquè Paciſcentium Partes Parti læſæ ad ſummum intra duos Menſes à requiſitione Partis læſæ eidem communibus armis aſſiſtere, & bellum tamdiu contra Aggreſſorem proſequi, donec Pax communi omnium Partium conſenſu reſtituta fuerit, invicem teneantur.

II. §. Si verò contingat unam Partem ab Alterâ vel plures à pluribus gravi aliquâ injuriâ, citra tamen vim armorum vexari, non licebit ideò læſo ad arma ſubitò recurrere, ſed ante amicabilis componendarum hujusmodi controverſiarum ratio ineunda erit, videlicet ut læſus acceptâ injuriâ ſi immediatè cum lædente convenire nequeat, alios Paciſcentes moneat, & Commiſſio generalis omnium Paciſcentium nomine inſtituatur ad Læſi confinia, intra ſpatium quatuor Menſium, in quo inter Deputatos utrinque Commiſſarios negotium diſcutiatur, & ſi poſſibile erit intra quatuor ad ſummum, alios Menſes terminetur.

III. §. Si verò lædentem refractarium ad æqua quæ proponentur media deprehenderint, tunc læſis licebit, facta tamen prius legitimâ belli denunciatione, Jus ſuum armis proſequi, & bellum, ut ſupra ſtatutum eſt, lædenti inferre.

IV. §. Quod ſi verò turbationes vi contrariisq; actibus retundantur, ſolummodo tuendorum Limitum cauſâ,

Actus ejusmodi pro violatione Pacis non reputabuntur, ipsa autem super limitibus controversia citra vim armorum terminetur.

XXXVI.

CUm autem pro Majori Securitate hujus Pacificationis, tam Serenissimus ac Potentissimus Rex & Respublica Poloniæ, quam Serenissimus & Potentissimus Rex Sueciæ, ut & Serenissimus Elector Brandeburgicus, postularint, ut Serenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus, Dominus LUDOVICUS XIV. Galliarum & Navarræ Rex Christianissimus, cujus ope ac studio inter præmemoratos Serenissimos Reges & Serenissimum Electorem Brandeburgicum, Pax promota & mediatione ad optatum finem perducta est, executionis & observationis illius inter Eosdem Fidejussor existeret, Sacra Majestas Christianissima postulationibus ac votis illorum annuens, eodemque animo Pacis hujus perpetuitatem exoptans, quo eam procuravit, pro Se ac Successoribus Suis Regibus Galliæ spondet ac promittit, idque per Illustrissimum & Excellentissimum Dominum ANTONIUM de LUMBRES, Legatum Suum plenariis mandatis ad hanc Guarantiam cavendam instructum, se executionem horum pactorum eorumque observationem ac perpetuitatem inter Eosdem supra nominatos

tos Principes omni meliori quo fieri potest modo, etiam armis ubi amicabilia media non processerint asserturam; Et si quis Eorum sub hac fidejussione comprehensorum illa violarit, arma viresque Suas Parti læsæ ad Ejus requisitionem juncturam. Quod, ut firmius omnibus constet, promittit dictus Dominus Legatus Gallicus, Se ratificationem Regis Sui super hanc Guarantiam eodem tempore, quo ratihabitiones Pacis commutabuntur extraditurum. Integrum quoque erit Pacisscentibus omnibus eandem Christianissimi Regis Guarantiam & Fidejussionem suscipere, & alios quoque in tempore ratihabitionis ad idem Officii genus invitare & denominare Principes ac Potestates.

XXXVII.

Si qui Regum, Principum, nec non Rerumpublicarum ac Statuum Amicorum hisce Pactis à quacunque Parte Pacisscentium includi voluerint, sit Ipsis ejus Facultas, modo Se ad ista intra sex abhinc Menses declaraverint, & id consensu omnium Partium fiat.

In quorum omnium & singulorum fidem majusque robur omnium Partium Legati & Commissarii cum Illustrissimo & Excellentissimo Domino Mediatore præsens Pacis Instrumentum, & hoc quidem exemplar Serenissi-

mi Regis Regnique Poloniæ Legati ac Commiſſarii Manibus Sigillusque propriis munierunt ac firmarunt. Datum Olivæ, die tertia Menſis Maji, Anno Milleſimo, Sexcenteſimo Sexageſimo.

ANTONIUS de LUMBRES. (L.S.)

JOANNES, COMES de LESZNO, Palatinus Posnanienſis, Majoris Poloniæ Generalis, Serenisſimi Regis Regnique Poloniæ Legatus Plenipotentiarius. (L.S.)

NICOLAUS PRAZMOWSKY, Nominatus Epiſcopus Luceorienſis & Breſtenſis, Supremus Regni Poloniæ Cancellarius, Legatus Plenipotentiarius. (L.S.)

CHRISTOPHORUS PAC, Supremus Cancellarius & Legatus Plenipotentiarius Magni Ducatus Lithuaniæ. (L.S.)

JOANNES ANDREAS MORSTIN, Referendarius Regni, Legatus Plenipotentiarius. (L.S.)

ULADISLAUS REY, Theſaurarius Curiæ Regni, Legat. Plenip. (L.S.)

JOANNES GNINSKI, Succamerarius Pomeraniæ, Seren. Regis, Regniq; Poloniæ Legat. Plenip. (L.S.)

RATI-

Ratificationes Serenisſimi Regis Poloniæ Articuli ſeparati ratione traditionis ELBINGÆ.

NOs JOHANNES CASIMIRUS, *DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Czerniechoviæque, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque hæreditarius Rex.*

SIgnificamus omnibus & ſingulis quorum intereſt. *Quod cum Illuſtriſſimi, Illuſtres & Magnifici Noſtri & Reipublicæ Commiſſarii, ad Tractatus Pacis perpetuæ, inter Nos Regnumque Noſtrum Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithuaniæ, Noſtrosque Fœderatos, & belli ſocios ab una; & Sereniſſimum Regem Regnumque Sueciæ Parte ab altera Olivæ inſtitutos, Illuſtriſſimis, Illuſtribus, Magnificis & Generoſis Serenisſimi Electoris Brandeburgici Commiſſariis articulum ſeparatum Declaratorium articuli ſecundi, qui de Amneſtia & Redintegratione Jurium in inſtrumento Pacis habetur, ut ſequitur ediderint, isque à partibus acceptatus ſit.*

Nos infra ſcripti Sacræ Regiæ Majeſtatis Reipublicæque Polonæ ad Tractatus Polono Sueticos Legati Plenipotentia-

potentiarii, notum facimus quorum interest, vel ullâ ratione interesse poterit universis & singulis. Quandoquidem Instrumento Pacis principali hodie subscripto articulus Amnestiæ, in quô tam communitatum, quam singulorum Jura redintegrantur, forma Generali conceptus est, & nulla specialis acquisitorum tàm in Prussia Ducali, quàm extra eandem Serenissimo Electori Brandeburgico, per Pacta cum Sacra Regia Majestate Reque publ. primum Velaviæ, demum Bidgostiæ, inita ac Constitutione Comitiali approbata, suæ Serenitatis Electoralis Jurium, utpotè Independentiæ Ducatus Prussiæ, Condescensionisq; in feudum Butovienſis, & Leoburgensis Districtuum, in Palatinatu Pomeraniæ existentium, tum & Juris competentis in Civitatem Elbingensem, nec non Præfecturam Drabeimensem in eodem facta est mentio. Ne id in præjudicium memoratorum Suæ Serenitatis Electoralis Jurium trahi posset, plures modi ratione inclusionis prædictorum in præfatô articulô Amnestiæ propositi fuere. Cum autem partibus nequaquam satisfacere potuissent, tandem prudenti Illustrissimi & Excellentissimi Domini Christianissimi Regis Legati mediatione, ac indefessô studiô, maturandæ Pacis gratiâ convenit, ut peculiari articulo, qui tamen pro inserto Pacis Instrumento haberi, ejusdemque valoris esse debet, ea ipsa Jura Serenissimo Electori Brandeburgico caverentur, quod & factum est à

Legati-

Legatione Suetica per ſequentem articulum tenoris ejusmodi.

LEGATIO SVETICA *declarat Sereniſſimi* REGIS REGNIQVE SVECIÆ *Nomine Ea, quæ in Inſtrumento Pacis Articulo ſecundo de Redintegratione Jurium diſponuntur, non debere concernere Ditiones, Status, Civitates, Terras & loca, quæ à Sua Serenitate Electorali poſſidentur, nec eò trahenda; Neque obſtare eundem Articulum, quò minùs Suæ Serenitati Electorali Elbinga jure, quod Eidem Suæ Serenitati Electorali competere poteſt, tenenda tradatur, ſalvis de cæteto Ejusdem Civitatis Privilegiis, & Immunitatibus, tàm in Eccleſiaſticis, quàm Politicis, ſalvô itidem Jure Retractus Conventionalis Sereniſſimo Regi & Reipublicæ Poloniæ quoad Elbingam. Qui quidem Articulus tanquàm ſi in ipſo Inſtrumento Pacis eſſet inſertus, ibidemque cum aliis appoſitus, Ejusdem cum eo valoris (ut ſupra dictum eſt) eſſe haberiquè debeat.*

Proindè & Nos infra ſcripti Legati Commiſſarii, cum plena poteſtate Sacræ Regiæ Majeſtatis & Statuum Reipublicæ eorundem Nomine mentem Noſtram præſenti itidem Articulô, quem pro inſerto & Ejusdem cum Inſtrumento Pacis valoris haberi volumus, declaramus palamque facimus, Articulum Amneſtiæ Generalis in Inſtrumento Pacis contentum, nullatenus poſſe, vel debere Juri-

bus Suæ Serenitatis Electoralis, tàm antiquis, quàm noviter acquiſitis, & in ſpecie Traditioni Elbingenſis Civitatis juxta Pacta cum Sua Serenitate Electorali inita derogare & præjudicare, imò eadem Pacta, in omnibus eorundem Articulis, Punctis & Clauſulis, ſalva & integra conſervare, & manu tenere; In cujus rei fidem præſentem Declarationem Manibus Noſtris ſubſcripſimus, Sigillisque Noſtris Gentilitiis roboravimus, die tertia Maji Anno Domini 1660. in Monaſterio Olivenſi.

Georgius Lubomirsky, Supremus Marſchalcus, Generalisquè Exercituum Regni. Joannes Comes de Leſno, Palatinus Poſnaniæ, Majoris Poloniæ Generalis, Mariæburg. Korſunenſis Capitan. Nicolaus Prazmowski, Epiſcopus Luceorienſis & Breſtenſis, Regni Cancellarius Supremus. Chriſtophorus Pac, Suprem. Magn. Duc. Lithuaniæ Cancellarius. Joannes Andreas Morſztyn, Referendarius Regni. Vladislaus Rey, Theſaurarius Curiæ Regni. Johannes Gninski, Succamerar. Pomeran. Capitaneus Gneſnenſis.

NOS itaque JOANNES CASIMIRUS, *Eâdem Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, &c. &c. &c. Promittimus & recipimus Regiô Noſtrô Succeſſorum ac Poſterorum Noſtrorum & Reipubl. Poloniæ nomine, Nos præmiſſum articulum omniaque & ſingula,*

gula, in eo comprehenſa, capita approbare & ratihabere, ſicuti vigore quoque præſentium approbamus, & ratihabemus, ita ut ejusdem Autoritatis, cum Inſtrumento Principali eſſe debeat & haberi, nec paſſuros ut ab ullo Reipubl. Statu, Vaſallo, Officiali aut ſubdito, quôvis modô violetur: cavemusque Diplomata Ratificationis hujus Pacis, tàm hoc Noſtrum quàm Senatorum & Equeſtris Ordinis à Nobis & Republ. Poloniæ Lege Comitiali Delegatorum in proximis Comitiis Regni Generalibus Conſtitutionibus, & volumini Legum Reipublicæ inſertum iri. In cujus rei fidem & certitudinem haſce manu Noſtra ſubſcripſimus & Sigillo Regni communiri juſſimus. Dabantur Varſaviæ in Convocatione ſolenni, die 26. Menſis Junii Anno M. DC. LX. Regnorum Noſtrorum Poloniæ & Sueciæ XIII.

JOANNES CASIMIRUS Rex.

(Locus Sigilli Regii)

(appenſi.)

Stephanus Hankiewic,
Secret. Reg. Majeſt.

RATIFICATIO

Regni Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ, Lege Comitiali Delegatorum Commissariorum, Articuli Declaratorii ratione Traditionis Civitatis ELBINGENSIS.

NOs Senatores & Equestris Ordinis à Serenissimo Rege & Republica Poloniæ Lege Comitiali Delegati Commissarii constare volumus quorum interest Universis & singulis. Quod cum Illustrissimi atque Excellentissimi Domini Sacræ Regiæ Majestatis, Domini nostri Clementissimi & Reipubl. Commissarii ad Tractatus Pacis perpetuæ inter Sacram Regiam Majestatem Dominum Nostrum Clementissimum Regnumque Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithuaniæ, eorundemque Fœderatos, & belli Socios, ab una, & Serenissimam Regiam Majestatem, Regnumque Sueciæ parte ab alterâ Olivæ institutos, virtute Potestatis à Sacrâ Regiâ Majestate, tum & à Republicâ illis factæ, Illustrissimis & Excellentissimis Dominis Serenissimi Electoris Brandenburgici Commissariis Articulum separatum Declaratorium Articuli secundi, qui de Amnestia & de Redintegratione Jurium in Instrumento Pacis habetur, ut sequitur ediderint, isque à Partibus acceptus sit.

NOS

NOS *infra ſcripti Sacræ Regiæ Majeſtatis, Reipublicæque Polonæ ad Tractatus Polono-Sueticos Legati Plenipotentiarii, notum facimus quorum intereſt, vel ullâ ratione intereſſe poterit univerſis & ſingulis.*

Quandoquidem Inſtrumento Pacis Principali hodie ſubſcriptô Articulus Amneſtiæ, in quo tam communitatum, quàm ſingulorum Jura redintegrantur, formâ generali conceptum eſt, & nulla ſpacialis acquiſitorum tàm in Pruſſia Ducali, quàm extra eandem, Sereniſſimo Electori Brandeburgico per Pacta, cum Sacra Regia Majeſtate Reque publica primum Velaviæ, demum Bydgoſtiæ inita, ac Conſtitutione Comitiali approbata, Suæ Serenitatis Electoralis Jurium, utpote Independentiæ Ducatus Pruſſiæ condeſcenſionisque in Feudum Bytovienſis & Leoburgenſis Diſtrictuum in Palatinatu Pomeraniæ exiſtentium, tum & Juris competentis in Civitatem Elbingenſem, nec non Præfecturam Drabeimenſem, in eodem facta eſt mentio; Ne id in præjudicium memoratorum Suæ Serenitatis Electoralis Jurium trahi poſſet, plures modi ratione incluſionis prædictorum in præfatô Articulo Amneſtiæ propoſiti fuere. Cum autem partibus nequaquam ſatisfacere potuiſſent; Tandem prudenti Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Chriſtianiſſimi Regis Legati Mediatione, ac indefeſſô ſtudiô maturandæ Pacis gratiâ convenit, ut peculiari Articulo, qui tamen pro in-

ſerto Pacis Inſtrumento haberi, ejusdemque Valoris eſſe debet, Ea ipſa Jura Sereniſſimo Electori caverentur, quod & factum eſt, à legatione Suetica per ſequentem Articulum tenoris ejusmodi.

Legatio Suetica declarat Sereniſſimi Regis Regnique Sueciæ nomine Ea, quæ in Inſtrumento Pacis Articulo ſecundo de Redintegratione Jurium diſponuntur, non debere concernere Ditiones, Status, Civitates, Terras & Loca, quæ à Sua Serenitate Electorali poſſidentur, nec eò trabenda; Neque obſtare eundem Articulum, quò minùs Suæ Serenitati Electorali Elbinga Jure, quod eidem Suæ Serenitati Electorali competere poteſt, tenenda tradatur, ſalvis de cætero Ejusdem Civitatis Privilegiis & Immunitatibus, tàm in Eccleſiaſticis, quàm Politicis, ſalvõ itidem Jure Retractus Conventionalis, Sereniſſimo Regi & Reipublicæ Polonæ quoad Elbingam. Qui quidem Articulus, tanquam ſi in ipſo Inſtrumento Pacis eſſet inſertus, ibidemque cum aliis appoſitus ejusdem cum eo valoris, (ut ſupra dictum eſt) eſſe haberique debeat, proindè & Nos infra ſcripti Legati Commiſſarii cum plena poteſtate Sacræ Regiæ Majeſtatis & Statuum Reipublicæ, eorundem Nomine, mentem Noſtram præſenti itidem Articulo, quem pro inſerto, & ejusdem cum Inſtrumento Pacis, valoris haberi volumus, declaramus, palamquè facimus, Articulum Amneſtiæ generalis, in Inſtrumento Pacis contentum

tentum nullatenus posse vel debere Juribus Suæ Serenitatis Electoralis, tàm antiquis quàm novitèr acquisitis, & in specie traditioni Elbingensis Civitatis, juxta Pacta, cum Sua Serenitate Electorali inita, derogare & præjudicare, imò eadem Pacta in omnibus eorum Articulis, Punctis & Clausulis, salva & integra conservari & manuteneri. In cujus rei fidem præsentem Declarationem manibus Nostris subscripsimus Sigillisque Nostris Gentilitiis roboravimus, die 3. Mensis Maji, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo in Monasterio Olivensi.

Georgius Lubomirski, Supremus Marschalcus Generalisquè Exercituum Regni. Joannes, Comes de Lesno, Palatinus Posnanienſis, Majoris Poloniæ Generalis, Mariæburg. Korsunensis Gubernator. Nicolaus Prazmowski, Episcopus Luceorienſis & Bresten: Regni Cancellarius Supremus. Christophorus Pac, Supremus M. D. Lithuan. Cancellarius. Joannes Andreas Morsztin, Referendarius Regni. Vladislaus Rey, Thesaurarius Curiæ Regni. Joannes Gninski, Succamerarius Pomeraniæ Capit. Gnesnensis.

Nos Senatores & Equestris Ordinis à Serenissimo Rege & Republ. Poloniæ Lege Comitiali Delegati Commissarii promittimus & recipimus, Vi potestatis Nobis à Republicâ concessæ, nomine Ejusdem, Nos præmissum Articulũ omniáq; & singula in eo comprehensa Capita juxta Constitutionem Regni Anni 1659. approbare, & ratihabere,

habere, ſicut vigore quoque præſentium approbamus, & ratihabemus, ita, ut ejusdem authoritatis cum Inſtrumento Principali eſſe debeat, & haberi. Nec paſſuros, ut ab ullo Reipublicæ Statu, Vaſallo, Officiali aut Subdito quovis modo violentur. Cavemusque & promittimus Diplomata Ratificationis hujus Pacis tam Sacræ Regiæ Majeſtatis, quàm hoc Noſtrum in proximis Comitiis Regni Generalibus Conſtitutionibus & volumini Legum Noſtrarum, inſertum iri. In quorum omnium fidem præſens hæc Approbatio Manuum Noſtrarum Subſcriptione, Sigilliſq; Nomine Senatus, Celſiſſimi Primatis Regni, Nomine verò Deputatorum ex Ordine Equeſtri, Illuſtriſſimi Domini Succamerarii Pomeraniæ tanquam proximè præteritorum Comitiorum Marſchalci firmata & roborata, eaque eandem vim atque robur, ac ſi omnium atque ſingulorum Deputatorum appenſa eſſent Sigilla, habitura eſt. Datum Varſaviæ in Convocatione ſolenni Die XXVI. Menſis Junii Anno Domini M. DC. LX.

Venceslaus Comes de Leſno, Archi-Epiſcopus Gnesnenſis, Caſimirus Dux Czartoryiski, Epiſcop. Uladislav. Joannes Steph. VVydzga, Epiſcopus Varmienſis. Thomas de Lezenice, Epiſcopus Chelmenſis. Thomas Vieyski, Epiſcopus Kyovienſis. Georgius Bialozor, Epiſc. Smolenſcenſis, Severiæ Czernichoviæ. Joannes Carolus Kopec,

Pala-

Palatinus Polocenſis. Caſimirus Inlaſzewski, Palatinus Breſtenſis. Andreas Trzebicki, Epiſcopus Cracovienſis, Dux Severiæ. Joannes Zawiſza, Epiſcopus Vilnenſis. Joannes Gembicki, Epiſcopus Plocenſis. Nicolaus Stephan Pac, Palatinus Trocenſis. Vladislaus, Comes de Leſno, Palatinus Lencicienſis. Adamus Matthias Sakowicz, Palatinus Smolenſc. Adminiſtrator Theſauri Magni Ducatûs Lithuaniæ. Joannes Tarlo, Palatinus Lublinenſis. Stanislaus Laskowski, Palat. Plocenſis. Alexander Naruſzowic, Pro-Cancellarius Magni D. L. Joannes Caſimirus in Craſne, Supremus Regni Polon: Theſaurarius, Lomzenſ. Prasnicenſ. Gubernator. Lucas Opalinski, Marſchalcus. Chriſtof de Grzymultowice, Grzymultowski Caſtellan. Poſnanienſ. Alexander Sielski à Sielosz, Caſtellanus Gneſnenſis. Joannes VVielopolski, Caſtellan: VVoinicenſis, Varſavienſis Gubernator. Sigismundus de Pleſzowice Fredro, Caſtell. Sanociens. Andreas à Przyima Przyemski, Caſtellan: Lenczycienſis. Albertus de Mokronow Mokronowski, Caſtellanus Raven. Eremianus Dembinski, Caſtellan. Rogozinenſis, Capitaneus Treidinenſis. Joann: Franciſcus Lubowicki, Caſtellan. Chelmenſis. Joann. Lenowicz, Marſchalcus Oſmianenſis Deputatus. Nicolaus Franciſcus Roſochacki, Judex Terreſtris Palatinatus Trocenſis Deputat. Joann: Chrapowicki, Succamerarius Smolenſcenſis Deputatus. Vladislaus Victorinus Sicinſ-

ki, Dapifer Upitenſis Deputatus. Stanislaus Domaſzewſki VVidlica Capitaneus Lukovienſis Rotmagiſter S. Sacræ Regiæ Majeſtatis. Albertus Opacki, Succamerarius Varſavienſis, Cap: Latovicenſ. Deputat. Terræ Varſavienſ. Olbrachtus Adrianus Laſocki, Dapifer Terræ Viſogrodienſis, Deputatus Ducatus Maſoviæ. Joan. Albertus Lipſki, Succamerarius Ravenſ. Inowlod. Stanisl. Capit. Georgius Tiſnicki, Sac. Reg. Majeſtatis Secretarius, Ducatus Oswiecimenſis & Zattrorienſis Deputatus. Conſtantinus Alexandrowicz, Subjudex Grodnenſis Deputatus. Samuel à Rudno Rudzienski, Vexillifer Cernenſis Deputatus Ducatus Mazoviæ Terræ Cernenſis. Joannes Korſak, Succamerarius Polocenſis Deputatus. Chriſtophorus Antonius Obrinski, Succamerarius Novogrodnenſis Palatinatus Deputatus. Martinus à Obory Oborski, Succamerarius Terræ Livenſis & Ejusdem in Ducatu Maſoviæ Deputatus. Valerianus Petrikowski, Succamerarius Rozanenſis Deputat. Ducat. Mazovienſ. Alexander Boleſlav VVyſocki, Venator Palatinatus Breſtenſis, Palatinatus Inovladislavienſis. Joan. Ignatius Bąkowski, Succamerarius Culmenſis, Conſiliarius Terrarum Pruſſiæ Deputatus. Nicolaus à Radzanon Labicki, Succamerarius Goſtinenſis & Deputatus Palatinatus Ravenſis. Joann. Albertus in Mazenin Opacki, Succamerarius Terræ Visnenſis, Deputatus Terræ Viſnenſis. Joannes Petrus Tucholka,

cholka, Notarius Terreſtris Palatinatus Pomeraniæ Deputatus.

(Locus Sigill. appen.) *(Locus Sigill. appen.)*

Quoniam in Pactis Olivenſibus mentio fit INDUCIARUM SEX & VIGINTI ANNORUM, easdem hic adjungo.

VLADISLAUS IV. *DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, &c. &c. &c. Significamus omnibus ac ſingulis, cis imprimis quorum intereſt, Dediſſe Nos Commiſſarios Noſtros plenâ poteſtate ac mandato inſtructos ad tractandum, interveniente mediatione Sereniſſimorum Galliæ & Magnæ Britanniæ Regum, aliorumque Principum de Pace, aut induciis cum Sereniſſimâ Principe ac Dominâ* CHRISTINA, *Suecorum, Gothorum, Vandalorumque deſignatâ Reginâ, Magna Principe Finlandiæ, &c. &c. &c. Conſanguineâ Noſtrâ & Regno Sueciæ; Qui congreſſi cum Serenitatis Ejus & Regni Sueciæ Commiſſariis, ſequentia Pacta, uti verbotenus infra ſunt expreſſa & inſerta, inierunt, ſtatuerunt, ac concluſerunt.*

Nos Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini VLADISLAI IV. *Dei Gratia, Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ, &c. &c. &c. atque inclytæ*

Reipubl. Polonæ Commiſſarii. Jacobus Zadzik, Epiſcopus Culmenſis & Pomeſaniæ, nominatus Cracovienſis, Dux Severienſis, Generalis Præpoſitus Miechovienſ. Supremus Regni Poloniæ Cancellarius. Raphaël Comes de Leſzno, Palatinus Belzenſis, Rubieſzovienſ. Præfectus. Magnus Erneſtus Dönhoff, Caſtellanus Pernavienſis, Derpatenſis, Oberpolienſis Præfectus. Remigius de Ottok Zaleski, Referendarius Regni. Jacobus à Sobieſſyn Sobiesky Inciſor Regni, Craſnoſtavienſis, Javorowienſis Præfectus, Notum teſtatumque facimus univerſis, quorum intereſt, quòd cum induciæ ſexennales inter Sereniſſimos ac Potentiſſimos Reges ac Regna Poloniæ & Sueciæ, eo inter alia fine An. M. DC. XXIX. ſancitæ eſſent, ut interea vel de pace perpetuâ, vel induciis longioribus interveniente mediatione Sereniſſimorum ac Potentiſſimorum Galliæ & Angliæ Regum, aliorumque Principum, loco & tempore, de quibus per Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum, &c. &c. unum ex iisdem Mediatoribus inter Partes conventum eſſet, ageretur. Inde, poſtquã à Suâ Serenitate per Ejusdem Legatos, Illuſtriſſimũ Principem Sigismundum, Marchionem Brandeburgicũ, &c. & Illuſtres & Magnificos: Andream à Kreutzen, Conſiliarium Ducalis Pruſſiæ Regentem & Præfectum Provincialem, Joannem Georgium à Saucken, Conſiliarium Regentem & Cancellarium: Bernhardum à Königseck, Conſiliarium Provin-

vincialem, Georgium à Rauschken, Consiliarium Judicii Aulici, & Petrum Borkmannum Consiliarium invitati Stumsdorfium cum Illustrissimis Serenissimæ Reginæ Regnique Sueciæ Commissariis, Domino Petro Brahe, Comite in Visingsborg, Libero Barone in Ridboholm & Lindholm, Regni Sueciæ Senatore, Legifero VVestmanniæ, Montanorum, & Dale-Carlorum; Hermanno VVrangelio, Regni Sueciæ Senatore, & Exercituum Campi-Marschallo, Hæreditario in Lergeholm, Skokloster, Equite aurato: Achatio Axelii Regni Sueciæ Senatore & Legifero Nericiæ, Hæreditario in Goxholm, &c. Joanne Oxenstierna Axelii, Serenissimæ Reginæ Consiliario secretiore, Libero Barone in Kimitho, Domino in Fyholmen & Tidoen, & Joanne Nicodemi, Serenissimæ Reginæ Secretario, & ad Exercitum Prussicum Commissario Generali, convenisemus ac interventu inprimis Serenissimi ac Potentiss. Principis Domini, Domini LUDOVICI XIII. *Franciæ & Navarriæ Regis Christianissimi per Illustrissimum Dominum Claudium de Mesmes, Equitem auratum, Dominum de Avaux, Comitem Consistorianum & S. R. Majestatis per Septentrionem extraordinarium Legatum, ac Serenissimi & Potentissimi Principis Domini, Domini* CAROLI, *Magnæ Britaniæ, &c. &c. Regis, Fidei Defensoris, per Illustrissimum Dominum Georgium Douglassium Equitem auratum, S. R. Majestatis Legatum,*

nec non Celſorum ac Præpotentium Dominorum Ordinum Belgicorum per Illuſtres & Magnificos Legatos Dominos Rochum van den Honnart, Primum in Supremâ Hollandiæ, Selandiæ, VVeſtfriſiæque Curiâ Conſiliarium, Andream Biker, Conſulem Civitatis Amſterodamenſis, & Joachimum Andreæ in Supremâ Friſiæ Curia Conſiliarium, Pacis Tractatum auſpicati eſſemus, ac diu multumque agitaſſemus, eò tandem Divino Numine favente, prædictisque Illuſtriſsimis Legatis indefeſsam operam huic negotio impendentibus rem deduximus, ut cum præmemoratis Sereniſsimæ Reginæ Regnique Sueciæ Commiſſariis de Induciis ad modum ſequentem convenerimus, ſtatuerimus, & concluſerimus.

I.

SInt inducie ex hoc die inter Sereniſsimum Principem ac Dominum, Dominum VLADISLAUM IV. *Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, &c. &c. &c. Dominum noſtrum Clementiſsimum Sacræ Suæ Regiæ Majeſtatis Succeſſores, Reges Poloniæ, & Magnos Duces Lithuaniæ, Regnumque Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithuaniæ ex una; & inter Sereniſsimam Principem, ac Dominam, Dominam* CHRISTINAM, *Succorum, Gothorum Vandalorumque deſignatam Reginam, & Principem Hæreditariam, Magnam Principem Finlandiæ, &c. &c. &c. Suæ Majeſtatis Succeſſores, Reges Sue-*

Suecorum, Regnumque Sueciæ ex alterâ parte Annis ſequentibus viginti ſex, à data præſentium computando, usque ad primum Julii ſtyl. veteris Anni Milleſimi Sexcenteſimi Sexageſimi primi.

II.

Sit omnium utrinque ante actorum Amniſtia, imprimis Sacra Regia Majeſtas, Ejusque Succeſſores Reges, Regnumque Poloniæ & Magnus Ducatus Lithuaniæ abſtineant durantibus induciis omni hoſtilitate adverſus Reginam, Regnumque Sueciæ, eisque mediatè vel immediatè ſubjectas Provincias, caſtra, civitates, ac territoria, neque quicquam per ſe, vel per alios moliantur, aut tentent, tentarive faciant in horum detrimentum aut præjudicium. Ad eundem modum Serenisſima Regina Ejusque Succeſſores Reges Regnumque Sueciæ abſtineant durantibus Induciis omni hoſtilitate adverſus Regem Regnumque Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithuaniæ, eisque mediatè vel immediatè ſubjectas Provincias, Caſtra, Civitates, & Territoria, neque quicquam per ſe, vel per alios moliantur, aut tentent, tentarive faciant, in horum detrimentum aut præjudicium.

III.

Sereniſſ. Regi ac Reipublicæ Polonæ Serenissima Regina Sueciæ reddat eam partem Pruſſiæ, quã hactenus occupatam poſſidet, ita tamen, ut Pilla via Electori Brandeburgico

gico Duci Prußiæ immediatè reſtituatur poſſidenda, eodem jure, quod ante hoc bellum habuit.

IV.

In reſtituendis verò locis hic ordo obſervetur, ut exhibitâ Commiſſariis Suecicis Regis Poloniæ ratificatione, nec non interpoſitâ cautione Senatorum & Commiſſariorum Polonicorum Lege Comitiali ad Latus Regis à Republicâ delegatorum de tradenda primo quoque tempore Reipublicæ ratificatione, Mariæburgum cum inſulâ Majori, Stumâ, Brunsbergâ ac Tolkemitto, cum eorum territoriis, deductis præſidiis, reddantur in manus Commiſſariorum Regis ac Regni Poloniæ, Hofftium verò & Junkerteil præſentibus Deputatis utriusq; partis ſolo æquentur, ſuis cuique fundis & bonis relictis, & exercitus utrinque abducantur, intra id tempus, eòque modo & Ordine, quo inter Generales utriusque partis convenerit. Elbingam verò, cum priſtino ejus territorio, atque inſula minore, & munimentis ibi extructis, nec non Pillaviam cum eâ parte Neringæ, quæ eò ſpectat, retineat Sac. Reg. Majeſtas, Regnumque Sueciæ, donec Ratificatio Reipublicæ Polonæ ſubſecuta fuerit; quâ traditâ illa quoque loca, intra quatuordecim dies deductis ſine damno incolarum præſidiis reſtituat, hoc obſervato, ut fortalitia omnia Elbingæ extructa relinquantur eo in ſtatu, in quo nunc ſunt, & eâdem cuſtodiâ, uti ante hoc bellum.

V. Poſt

V.

Post restitutionem locorum omnium, vectigalia in eum mox reducantur statum, & in illud jus, in quo erant ante hoc bellum, servatâ in omnibus æqualitate, uti antea fuit.

VI.

In Livoniâ utraque pars, uti præteritis sexennalibus Induciis possedit, ita hisce quoque possideat.

VII.

Rex ac Respublica Polona receptas in fidem suam Civitates ac Territoria eorumque Magistratus, Communitates, Cives, Incolas, & Subditos universos ac singulos omni meliori modo indemnes præstet, ac eâdem, quâ olim clementiâ & gratiâ prosequatur, foveat, ac tueatur, gaudeantquè universi ac singuli, possessionibus, juribus, privilegiis, consuetudinibusquè suis tàm Generalibus ac communibus, quàm specialibus sine exceptione, quibus ante hoc bellum gavisi sunt, præsertim verò Civitas Elbingensis in usu sigilli Terrarum Prussiæ & consueto sessionis loco conservetur, postquam S. Regiæ Majestati debitum fidelitatis juramentum præstiterit, salvô manente quoque liberô Catholicæ Religionis exercitiô, in templo præsertim Parochiali veteris Civitatis Elbingensis, uti ante bellum.

VIII.

Unctæ actiones adverſus illos, qui partes Sereniſſimorũ Regum ac Reginæ Sueciæ, quocunq; modo ſecuti ſunt, aut ſecuti eſſe inſimulantur, cujuscunque ſint Status & Ordinis, ſive privati vixerint, vel officiô publicô functi, ac Servitiis Regiæ Majeſtatis, Regnique Sueciæ obſtricti fuerint, vel inſtituendæ, vel inſtitutæ eſſent, & ſi quæ intentatæ ſunt tollantur, omnique careant executione in perpetuum, nec quisquam de iis, quæ belli Induciarumve tempore ex occaſione ejusdem belli vel induciarum interceſſerunt, cuiquam reſpondere teneatur. Et ſi quid in contrarium ſuſceptum, factumque eſt, aut Reſcriptum, vel Decretum aliquod in abſentiâ partis obtentum, id omne ſit irritum, nulliusque valoris.

IX.

Si cui aut quibus non placuerit, in reſtitutis Civitatibus, aut territoriis manere, ſed potiùs mutatô domicilio ad alios ſe conferre, liberum ſit in ſpatio trium annorum, à datâ præſentium numerando, ſua divendere, aliis elocare, aut pro ſuo libitu diſtrahere, ſine ullô impedimentô, aut onere, ſub quocunque prætextu imponendo, ſalvis antiquis Civitatum juribus & conſuetudinibus.

X.

Si qui exulum, qui extra Sueciam apud Polonos verſantur, & partes Serenisſimorum Regum Poloniæ ſecuti ſunt.

ſunt, in Patriam redire, quâcunque de cauſâ voluerint, ſalvum quærant Conductum, quô impetratô fruantur beneficiô Legum & Statutorum Regni Sueciæ.

XI.

Acta Judicata ac Decreta cujuscunque fuerint inſtantiæ vel Judicii, inſcriptiones, contractus, transactiones, aliaquè omnia (quæ ſtatui publico, uti is fuit ante bellum, non derogant, vel hiſce pactis per expreſſum non ſunt reſervata) belli vel induciarum tempore, ſive Magiſtratuum autoritate & judicialiter, ſive extra judicialiter geſta, firmum robur obtineant, æquè ac ſi priori rerum Statu omnia acta fuiſſent, nec ulla unquam regiminis & Magiſtratuum mutatio interveniſſet.

XII.

IN locis quocunque tempore juxta Pacta præſentia reſtituendis relinquantur bonâ fide omnia mobilia Eccleſiarum, quæ in præſens reperiuntur, uti ſunt vaſa & veſtes Sacræ, campanæ, aliaquè in uſum Eccleſiaſticum ſervientia; tum libri Cancellariæ, Privilegia & acta publica. Si quæ tamen temporum injuriâ à milite ſunt direpta, aut aliorum negligentiâ corrupta, ulterior in id inquiſitio non inſtituatur, nec quisquam ad reſtitutionem teneatur. Tormenta item bellica & bombardæ majores, quæ tempore occupationis inventæ

fuerunt, & adhuc in reſtituendis Civitatibus vel locis ſunt, relinquantur.

XIII.

DE iis quæ durante bello iure fiſci cuiquam adempta, & vel fiſco illata, vel aliis donata ſunt, ita convenit, ut immobilia, ſive Regia & Reipublicæ ſive etiam privatorum ſint bona, quorum donationes utrinque factæ ſunt, ſi donatariis jam tradita ſunt, antiquis poſſeſſoribus reſtituantur, ſi verò nondum tradita maneant penes Dominos, ceſſantibus de cætero omnibus quæſtionibus actionibusque ratione redituum ſive ex publicis, ſive privatis bonis perceptorum. Mobilium etiam donationes & largitiones utrinque factæ, ſi ante has inducias executioni non fuerint demandatæ, irritæ ſint; traditæ verò poſſeſſoribus modernis relinquantur, Ceſſantibus quoque eorum nomine omnibus actionibus, irritisque obligationibus, quibus apochæ authenticæ, ſive à Regum Locumtenentibus ſive ab Officialibus Camerarum Regiarum, ſive etiam ab ipſis donatariis ſine fraude datæ, dummodò de iisdem donationibus per authenticum Inſtrumentum conſtet, ſolutiones factæ opponi poſſunt.

XIV.

COmmercia priſtina inter utrumque Regnum & Provincias ſubjectas reſtituantur, & in veteri exercitio conſerventur, redeantque omnia in eum ſtatum, in quo ante

ante hoc bellum fuerunt, ab omnibus novitatibus, oneribusque hoc bello inductis vindicata.

XV.

Defluitatio mercium ex Magno Ducatu Lithuaniæ nulla ratione in flumine Düna impediatur, ſitquè ea in dicto flumine vectigalium ratio impoſterum, quæ fuit ante hoc bellum.

XVI.

Subditi fugitivi Magni Ducatus Lithuaniæ & Ducatus Curlandiæ, quicunque in Livonia reperti fuerint, ſuis Dominis reddantur. Quod vice verſa de ſubditis fugitivis ex Livonia in Magno Ducatu Lithuaniæ & Ducatu Curlandiæ fieri debet.

XVII.

Exercitus omnes, exceptis præſidiariis, tempore ſupra definito, ab utraque parte ex Provincia deducantur, & quidem Sueticus per mare. Si tamen equitatui intra aſſignatum temporis ſpatium trajiciendo navium copia non ſuppetierit,, liber illi & innoxius tranſitus quàm breviſſimo itinere per terram in ditiones ipſorum ſine damno incolarum Regno Poloniæ mediatè & immediatè ſubjectorum concedi debet. Quod itidem obſervetur, ſi aliqui pedites dicti Exercitus Suetici dimiſſi fuerint. Juſtitia verò per Præfectos indilata bonâ fide adminiſtretur, damna & injuriam paſſis.

XVIII.

INjurias tam perſonales, quàm reales ſub haſce inducias incidentes una pars de altera non vindicabit, ſalva jurisdictione ordinaria cujusque partis, ſed juſtitiâ ab Officialibus & Magiſtratibus competenter requiratur, eademque indilata adminiſtretur, ſeveræ pœnæ in violatores Pacis *fide publicâ roboratæ exerceantur, nullæque repreſſaliæ aut arreſta, tàm terrâ quàm mari, ratione cujuscunque injuriæ, niſi Juſtitia pluribus vicibus legitimè repetita non adminiſtretur, admittantur. Et ſi quæ ante hoc bellum ſive etiam durante bello conceſſa ſunt, caſſentur, ita tamen, ut quibus conceſſa ſunt, juſtitia adminiſtretur.*

XIX.

QVod ſi quid gravius inciderit, quod violationem Pactorum concernere videretur, dentur utrinque Commiſſarii, qui loco aliquo ad fines Livoniæ aſſignando, conveniant, & controverſias exortas ſopiant, decidantque.

XX.

PRro majori ſecuritate, & ne quicquam hiſce Pactis contrarium durantibus induciis à quopiam committatur, Ordines Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ promittant, & fidejubeant, Regem Poloniæ *& Ejus fratres, Eorumque Succeſſores ac poſteros, durantibus induciis,*

duciis, ex Regno Poloniæ Magnoque Ducatu Lithuaniæ, & omnibus ejus ſubjectis Provinciis atque ditionibus nihil molituros, multò minùs hoſtile quicquam tentaturos adverſus Sereniſſimam Reginam Sueciæ, Ejusque Succeſſores Reges Regnumque Sueciæ, Eisque ſubjectas Ditiones ac Provincias, Civitates, Caſtra, munimenta ac territoria, & ſi quicquam tentaverint, id impedire ac prævenire teneantur.

XXI.

SAcra Regia Majeſtas ac Reſpublica Polona adverſus Sereniſſimam Reginam, Ejusque Succeſſores Reges Regnumque Sueciæ ſubjectasque Ditiones ac Provincias nullis navibus, vel claſſe maritimâ utatur, nec aliis quibuscunque auxilio mittat, durantibus induciis. Et Dux in Pruſſia Elector, Dux Curlandiæ, ex Statibus Regalis Pruſſiæ Civitates Majores caveant, ſe non permiſſuros hoſtile quicquam ex portubus ſuis Reginæ Regnoq; Sueciæ ſubjectisque Ditionibus ac Provinciis illatum iri directè, vel indirectè!

XXII.

DUrantibus ac currentibus hiſce Induciis agatur de Pace perpetua loco ac tempore, interventu

ventu Principum Mediatorum, de quibus inter partes, curâ & diligentia Illuſtriſſimi Ducis Curlandiæ convenerit, ita tamen, ut ſi Tractatus Pacis ſemel aut iterum non ſucceſſerit, firmæ nihilominus & inviolabiles maneant Induciæ, usque ad exitum hiſce Pactis præfinitum.

XXIII.

SI qui Regum ac Principum Chriſtianorum hiſce Pactis ex utraque parte includi voluerint, ſit ipſis ejus facultas, modo ſe ad iſta intra quinque abhinc menſes declaraverint.

XXIV.

UT hiſce Pactis firmiùs inſiſtatur, certoque conſtet, bonâ fide ea ſervatum iri, hoc modo convenit, ut redditis utrinque Procuratoriis Dominorum Commiſſariorum, Pacta hæc manu & Sigillo eorundem roborentur, & invicem tradantur. Tum ut Sereniſſimus Rex Poloniæ, ſecundum præſcriptam formam, eadem quantocyùs confirmet, & antequam ullius loci fiat reſtitutio ſuam confirmationem tradat. Deinde ut Sacra Reg. Majeſtas Sueciæ ſolenni inſtrumento illa nomine ſuo & Regni Sueciæ per ſubſcriptionem Dominorum Regni Sueciæ Adminiſtratorum, rata habeat. Et Reſpublica Polona eadem in Comitiis primo quoque tempore celebrandis, ſolenniter approbet, & confecto inſtrumento ratificet. Quæ inſtrumenta ſolennia ad formam præſcriptam, nulla voce, aut

ſyllabâ

ſyllabâ mutata per utriusque partis Commiſſarios deputatos, quantocyus poterit, ad limites territoriales inter Elbingam & Mariæburgum, ſine omni morâ & excuſatione reddi utrinque ac recipi debebunt. Ad eundem modum Sereniſſimus Elector Brandeburg. Dux in Pruſſia & Dux Curlandiæ, & ex Ordinibus Regalis Pruſſiæ Civitates Majores literas ſuas reverſales, quibus ſecuritati Sereniſſimæ Reginæ, ac Regni Sueciæ cavebitur, ante reſtitutionem Elbingæ & Pillaviæ tradant. Actum Stumsdorffii d. XX. Menſ. Septembr. ſtyl. nov. Anno M. DC. XXXV.

Nos itaque VLADISLAUS IV. *Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ, &c. &c. &c. Promittimus & recipimus nomine noſtro Succeſſorum noſtrorum, & Reipublicæ Polonæ Nos ſingula & univerſa capita Pactis ſupra ſcriptis inſerta & comprehenſa, bonâ & Regiâ fide approbare, laudare & ratihabere, ſicut hisce approbamus, laudamus & ratihabemus, nec paſſuros à Noſtratibus, aut aliis ullo modo violari. In quorum majorem fidem ac certitudinem, haſce manu noſtrâ ſubſcripſimus & Sigillo Regni noſtri muniri juſſimus. Dat. in Caſtris ad Quidrinum die XV. Menſ. Septemb. Anno M. DC. XXXV.*

TRACTATUS

Concluſæ Pacis cum Moſcis.

Sereniſſimi & Magni Domini, JOANNIS CASIMIRI, *DEI Gratiâ Regis Poloniæ & Sueciæ, Magni Ducis Lithuaniæ, Ruſſiæ & aliorum Suæ Majeſtati ſubjectorum, atque omnium Statuum* Reipublicæ, *utriusque gentis Regni Poloniæ, ac Magni Ducat. Lithuaniæ tam Eccleſiaſticorum, quàm ſecularium, Nos Magni & cum plenâ poteſtate Legati ac Commiſſarii* GEORGIUS CAROLUS ILLEBOWICZ *in Dobrowna, Generalis Ducatus Samogitiæ & Borriſſovienſis Capitaneus, &c. &c.*

Ex mandato Sereniſſimæ Majeſtatis Domini Noſtri Clementiſſimi, & ex Commiſſione totius Reipublicæ, unà cum Dei gratiâ Magni Domini Czari & Magni Ducis ALEXII MICHAYLOWICZ, *totius Magnæ, Parvæ & Albæ Ruſſiæ Authocratoris, atque multorum Dominiorum ac Terrarum Orientalium, Occidentalium, Septentrionalium, Hæredis & Succeſſoris, & Domini ac Dominatoris, ejusque Czareæ Majeſtatis, Magnis ac cum plena poteſtate Legatis cum Illuſtriſſimo & Illuſtriſſimis Caſtellano & Locum tenente:*

ATHANASIO LAURENTIDE *Ardino Naszczokin, &c. &c. congregati.*

Inter

Inter Smolenſcum & Mſciſlaviam propè fluvium Ilarodna, in pago Andruſovia cum magna & ſingulari cura ab utrinque propoſuimus, ut tam inter Sereniſſimum Magnum Dominum Noſtrum, ejusque Regiam Majeſtatem, interque Regnum Poloniæ ac Magnum Ducatum Lithuaniæ ac univerſam Rempublicam; quam inter Dominum ejusque Czaream Majeſtatem ac Ducatum Moſchoviæ, omnes ſimultates & differentiæ (quæ præteritis annis exortæ, demum in publicam hoſtilitatem, bellum & ſanguinis effuſionem eruperant) componerentur, & Amicitia ſtabiliretur; Et quamvis tunc propter multas utrinque occurrentes mutuas difficultates æterna pax inter hos Magnos Dominos Noſtros concludi non potuerit: tamen intuentes eorundem Magnorum Dominorũ Noſtrorum inclinationem, atque iis ſubjectorum Dominiorum ab utrinque ſanctæ pacis deſiderium; quemadmodum initio hujus noſtræ Commiſſionis de armorum ſilentio conſtitutionem mutuâ fide ſtabilivimus, ſolicitam & non interruptam æternæ, vel temporaneæ pacis curam polliciti: ita etiam plena à Magnis Dominis, pro ſancta Pace firmanda in Nos collata, poteſtate uſi, reſpiciendo in feliciora tempora, in quibus ſupra nominata Amicitia in effectum deduci, atque inter Magnos Dominos, eorumque Dominia firma pax evaleſcere poſſet; in hæc Puncta in Trige-

ſimo primo congreſſu, hoc eſt 30. *Januarii juxta Calendarium Noſtrum convenimus, eaque ab utrinque conſtituimus.*

I.

UT *Induciæ ab Anno currenti, à Nativitate Filii Dei computando, hoc eſt, ab Anno* 1667. *à condito verò Mundo* 7175. *à Menſe Junio per annos tredecim ſine interruptione ſibi ſuccedentes usque ad Annum à Nativitate Filii DEi* 1680. *à condito verò Mundo* 7188. *ſimiliter ad Menſem Junium firmæ ſint. Atque per hos Induciarum ab initio Noſtri Tractatus & Conventionis annos, usque (quod DEus præſtet!) ad perpetuam eliminationem omnium diſcordiarum (quæ ad hoc tempus & diem, ad concluſionem præſentium Induciarum, ab initio præteriti belli, per arma & quascunque alias ſimultates intervenerunt) utraque pars plenè pacificata, ab omni vindiciarum ac injuriarum memoria abſtinere: & præſenti firma Induciarum conſtitutione inter Sereniſſimum Magnum Dominum ejusquè Regiam ac Magni Domini Czaream Majeſtates, interque magna eorum Dominia, Terras, & Arces; tam inter illas quæ antiquitus ad quamcunque partem pertinebant; quam inter bello acquiſitas, quæ in præſenti Induciarum Tractatu cuicunque parti obtigerunt; interque ſubditos & homines utriusque partis*

partis renovata, ſtabilita & confirmata inviolabilis Amicitia, juxta præſens compromiſſum & ſtatutum, integre abſque ulla imminutione, per hos omnes Inducia-rum annos ſuperiùs expreſſos firmiter & conſtanter conſervari: & ſicut Sacra Regia, ita & Czarea Majeſtas inter ſe in omnibus modis mutuum bonum velle, & Frater Fratri meliora quærere, atque in omnibus ſincerè ſecum agere & procedere debent.

II.

Sereniſſimæ verò ac Sacr. Regiæ Majeſtatis, ſicut & Magni Ducis Czareæ Majeſtatis Perſonales Dignitatis & Jurisdictionis Tituli, ad utrumque in eorum propriis literis ac quibuscunque ſcripturis ſcribi debent, juxta formam ab initio hujus Inſtrumenti & Cautionis exaratam ſine imminutione & immutatione tamdiu; donec, auxiliante Deo, perpetua pax ſtabiliatur. Similiter Senatores, Palatini, Duces Exercituum, & cujuscunque Magiſtratûs, ac Conditionis homines, in limitaneis Dominiis & Arcibus habitantes; quorum, & ubi ſcire interit. Ex alia quoque parte Nobiles & Palatini & Judices ex mandato ſuorum Magnorum Principum, perſonales eorundem titulos in quibuscunque ſcripturis, juxta præſentem Conſtitutionem, uti ab initio expreſſum eſt, ſcribere debent; id caventes ne ulla inimicitiarum præ-

beatur occaſio. Singulæ quoque expeditiones ex Cancellaria S. Reg. Majeſtatis & aliorum in confiniis Regni Poloniæ & Magn. Ducat. Lithuaniæ habitantium, non Ruthenico uti fiebat ante bellum; ſed Polonico Idiomate, uti hactenus per moderni belli tempus obſervabatur, prodire debent.

III.

QUæ porro Arces, Terræ hoc proximo bello à Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ ſunt avulſæ, & remanent in poſſeſſione & ſub jurisdictione Czareæ Majeſtatis, hoc eſt Smolenſcum cum univerſo Severienſi Ducatu cum arcibus & particularibus locorum attinentiis, quæ ſunt ex hac parte à Vitepſcenſibus, Polocenſibus, ex parte verò Livoniæ à Lucinenſi localibus attinentiis, Smolenſcum usque; uti Dorohobuzium, Biała, Nevelium, Sebezia, Krasno etiam VVielizia (quamvis antiquitùs ad Palatinatum Vitepſcenſem pertinuerit) cum ſuis item particularibus locis ac attinentiis: ex aliâ verò parte, in qua ſunt Arces Severienſes, circa Czerniboviam omnes Arces & Terræ, quibuscunque nominibus nuncupatæ, omnes relinqui debent in ſorte Czareæ Majeſtatis. Ad ſortem verò S. Reg. Majeſtatis à Boryſthene ſub Kijovia, & per omnem Regionem ad limites Putiulenſes, nulla Arx nec Civitas nec Latifundium pertinebit. Non prætergrediendo tamen limites Palatinatuum, Vitepſcenſis,

Polo-

Polocenſis, & Mſcislavienſis; Similiter Diſtrictuum, Orſenſis, Mozyrenſis, Rzeczycenſis, Braclavienſis, uti & limites Livoniæ, cum eâ, qua ab antiquo continebantur, circumferentiâ cum omnibus particulariis attinentiis, pagis, fundis, ex utraquè ripa Boryſthenis ac Dunæ & aliorum ſitis; ad Palatinatus & Diſtrictus in poſſeſſione S. Reg. Majeſtatis remanentes pertinentibus; exceptâ VViliziâ, quæ pacis Sanctæ cauſa à Palatinatu Vitepſcenſi avulſa, in ſorte Czareæ Majeſtatis præſenti Tractatu ad annos Induciarum collocata eſt. In ſuperiori verò parte Boryſthenis, quæ comprehenditur titulo Zaporoborum ſeu liminum Boryſthenis, & ejus loci Coſaci, in quibuscunque eo loco præſidiis, munitionibus, ſepimentis, & ſedibus degant, pertinere debent ad obedientiam & protectionem utriusque Magni Principis noſtri ad commune illorum obſequium contra imminentem (quam DEUS avertat) Briſurmanicam potentiam. Omnibus tamen cujuscunque conditionis Indigenis in ſorte Czareæ Majeſtatis & in locis, quibus per hos Tractatus ad certum tempus ceſſimus manſuris; Liberum ubique debet eſſe Religionis Catholicæ exercitium ſine ulla, de peracta in domibus propriis devotione, moleſtia. Similiter omnibus, cujuscunque conditionis hominibus, in ſorte Sac. Reg. Majeſtatis in locis per præſentes Tractatus conceſſis, manſuris, liberum debet eſſe Religionis Græcæ exercitium,

ſine

ſine ulla expediendorum Pietatis officiorum præpeditione.

IV.

Cavemus & hoc, ne ulla de Coſacis Ukrainenſibus ex hac parte Boryſthenis à Pereaslavia habitantibus, vindicta ſumatur, ea de cauſa: quia aliqui in partem S. Reg. Majeſtatis & Reipublicæ tranſire ſoliti erant. Coſacos verò omnes ex altera ripa Boryſthenis à Kiovia habitantes, Czarea Majeſtas à juramento fidelitatis abſolvit: neque eos in ſuam protectionem recipiet, neque ad civitates & Arces ſuæ Jurisdictionis admittet aut admitti permittet per totum tempus Induciarum. Similiter S.R. Majeſtas, Coſacos ex alterâ ripâ Boryſthenis à Pereaslavia degentes in protectionem ſuam non recipiet, neque ad Civitates & Arces ſuæ Jurisdictionis per hoc Induciarum tempus admittet, aut admittere jubebit.

V.

Civitas Kiovia cum Monaſterio, dicto Pieczary, cum ſua circumferentia, ac circumjacentibus & Vicinioribus Monaſteriis, & cum paſcuis, quæ incolæ Monaſteriorum in campis habent, & cum ingreſſu pro omni domeſtica neceſsitate, in eam Boryſtenis, in qua ſituata eſt Kiovia, non ultra milliare, ut integrè cum ſatisfactione, in Latifundiis & ſylvis, pro Arcis & Monaſteriorum habitatoribus, tàm à circumjacentibus, quam à pauperiori-

oribus conſervetur per tempus, inferiùs, de deducendo Præſidio Czareæ Majeſtatis ex eadem Arce Kiovienſi, & de reſtitutione ejusdem cum iisdem locis expreſsis in Sortem S. Reg. Majeſtatis, condictum & deſcriptum.

VI.

Ex occupatis verò bello Arcibus & Terris reſtituendæ ſunt in ſortem S. R. Majeſtatis Arces & Civitates, Polocia, Vitepſcum, Duneburgum, Lucinum, Rzeczyca, Margenhauſum, cum tota Livonia Meridionali; cum omnibus omnium Arcium prænominatarum Attinentiis, antiquitus ad easdem ſpectantibus: exceptâ VVieliziâ, ab antiquo Vitepſcum pertinente. Ex his autem Arcibus, in quas recenter poſt earum occupationem, Græcarum Eccleſiarum Apparamenta, Imagines, libri & alia; item tormenta, ammunitiones, varii generis arma, item homines aulici, incolæ ex Ruſsia adventitii; item pecuniarum theſaurus, victualia ex Moſchovia, invecta fuerunt; ad Arces Czareæ Majeſtatis, in vicinia ſitas, per vecturas publicas, ad confinia harum Attinentiarum deportari debent. Antiqua vero harum Arcium tormenta, inſtrumenta munitionum, ſeu ammunitiones, arma quæ nunc ſunt in iisdem ſimiliter & earum Indigenæ ac Nobiles in ſuis ſedibus, tempore ceſsionis & traditionis harum Arcium, relinqui debent. Hæ ſupra nominatæ ac reſtituendæ Arces, Polocia, Vitepſcum, Duneburgum cum

Livonia & aliæ ſuperiùs expreſſæ, cum aliis locis & attinentiis, Vświatâ, Surazią, Jeźierzyſciâ, debent tradi in ſortem S. R. Majeſtatis & Reipublicæ, in Anno à Nativitate Chriſti currenti 1667. Menſis Maji 10. die juxta novum Kalendarium, per Commiſſarios tam à S. Regia quam à Czarea Majeſtate deputatos. Hujusmodi verò hominibus, qui publicas vecturas facturi ſunt, aut eorum jumentis, nulla vis & injuria à ſubditis Czareæ Majeſtatis fiet. Nobilibus in his reſtituendis Attinentiis, ſtatim poſt concluſionem Tractatuum præſentium, ſua Bona occupare liberum erit: in quibus pacificam habere habitationem debent, ſine præpeditione à ſubditis Czareæ Majeſtatis in Fortalitiis, usque ad earum evacuationem, relictis. Similiter ſubditi Czareæ Majeſtatis relicti in fortalitiis, quoad omnia à ſubditis Sac. Reg. Majeſtatis, donec ex iisdem deducantur fortalitiis, in pacificâ & ſecurâ poſſeſſione permanebunt.

VII.

IPſa Kiovia Arx cum iisdem Monaſteriis, Pieczarii dictis, & cum aliis penes Kioviam relictis adjacentiis, ſimiliter cum omni veteri armatura, cũ qua olim Kiovia in partem Czareæ Maj. accepta; cũ proviſione tũ temporis ibidẽ inventa, in ſortẽ S. R. Majeſt. & Reipublicæ reſtitui & evacuari mundarique debet, ante primam de perpetua pace commiſſionem, in his Induciarum annis, hoc eſt,

poſt

poſt duos annos à præſenti tractatu computando in Anno Deo dante 1669. in Menſe Aprili die 15. juxta novum Calendarium occurrente; tandem ante hanc emundationem & evacuationem Kioviæ, ejusque reſtitutionem in ſortem S. Reg. Majeſtatis & Reipublicæ debet fieri à Magnis Dominis Noſtris mutua per Internuncios, per Confidentiales literas denunciatio; ut uni parti de traditione, alteri verò de receptione conſtet. Et quamvis hæc denunciatio non fieret: tamen Arx Kiovia in Sortem S. Reg. Majeſtatis & Reipublicæ in termino nunc deſignato reſtitui, ejusque ceſſio fieri debet. Quæ quidem Arx Kiovia per hos duos annos, per quos in poſſeſſione Czareæ Majeſtatis permanebit, debet habere robuſtum ex exercitu Czareæ Majeſtatis præſidium tam contra Paganos, quam contra diſcolos Coſacos: quo tempore neceſſaria, tam in commeatu quam in ammunitione, Czarea Majeſtas, miniſtrari præcipiet. Et pro hoc reſtituendo & cedendo Kiovia nullam compenſationem à S. Reg. Majeſtate, & à Republica requiret. Quod verò attinet ad armorum genera ex diverſis Arcibus & Civitatibus, tam S. Reg. Majeſtatis, & Reipublicæ, quàm privatorum Indigenarum Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ per hoc bellum & in variis conflictibus ab utrinque occupatorum, hanc materiam ad Tractatum de perpetuâ Pace differimus.

VIII.

Omnia ſcripta publica, ſicuti & libri Caſtrenſes, Terreſtres, Tribunalitii & Magdeburgenſes, eorumque Acta; præterea Munimenta, Privilegia, Metricæ Bibliothecæ, & libri Eccleſiarum tam Romanæ quam Græcæ; Vilnæ & in aliis Civitatibus & in Variis Locis Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ per hoc bellum accepti; quidquid eorum inveniri poterit tam privatorum quam publicorum præſertim à Diſtrictibus, & Palatinatibus tempore belli ad ſuam Czaream Majeſtatem cum promiſſione ſubjectionis & fidelitatis expeditorum (qui per præſentes Tractatus caſſantur & annihilantur in perpetuum) nullos penes ſe retinendo reſtituere ac omnes collectos ſummum intra ſex menſes, vel quam primùm colligi poſſunt, in confinia ſua Czarea Majeſtas retinere mandabit: præmonita S. Reg. Majeſtate, per proprias literas, ut pro his omnibus recipiendis ſuum expediat Commiſſarium. Monumenta verò & Libri omnes Palatinatuum Smolenſcenſis, Czernihovienſis, & Diſtrictûs Starodubenſis, non exſpectando tempus Induciarum, intra 12. ſeptimanas poſt jurata pacta, quicunque inveniri poterunt, collecti, deputatis à S. Reg. Majeſtate Commiſſariis, in confiniis, ſicut & Palatinatûs Kiovienſis Munimenta & Libri, præmiſſis à S. R. Majeſtate monitoriis literis, reſtitui & tradi debent. IX. *Quod*

IX.

Quod autem ſpectat ſupellectilem, & res Eccleſiarum, tam Romanæ quam Græcæ Deo ad honorem conſecratas, & dicatas, uti ſunt varii generis vaſa, Reliquiæ præcipuè partes Ligni S. Crucis Lublini acceptæ, diverſæ Imagines, ac ornamenta Eccleſiaſtica: hæc omnia quidquid eorum in Dominiis Czareæ Majeſtatis colligi poterit, ſummùm intra unum annum, præmiſſâ mutua Magnorum Dominorum Noſtrorum denunciatione, reſtituentur. De campanis externis S. Reg. Majeſtatis & Reipublicæ, in Moſchoviam & terras Czareæ Majeſtatis evectis, in prima Commiſſione per Magnos utrinque & cum plenâ poteſtate Legatos agetur.

X.

Et quia inter nos, S. Reg. Majeſtatis & Reipublicæ ac Czareæ Majeſtatis Magnos Legatos non exigua intercedebat difficultas de eliberatione Captivorum; & hanc tali modo facilitavimus, & conſtituimus. Imprimis omnes Agricolas ac homines utriusque ſexus, agreſtibus laboribus addictos, ex terris S. Reg. Majeſtatis tam Regno Poloniæ, quã M. Duc. Lith. in captivitatem abductos, manere debere ſub dominio, & in partibus Czareæ Majeſtatis per omnes annos Induciarum aut viciniores, ſi maturiùs, auxiliante Deo, perpetua pax in quacunque ex inferiùs nominatis Commiſſione, concluſa non fuerit.

Quod verò alios captivos attinet, ſcilicet omnis generis cives, qui recenſeri inter homines Aulicos non poſſunt, ex diverſis civitatibus ac Oppidis S. Reg. Majeſtatis; ſimiliter Judæos qui Religionem Græcæ ſuſceperunt, per hoc bellum ab ejusdem initio in Moſchoviam abductos: ita inter nos convenit. Quandoquidem Czareæ Majeſtatis Magni Legati non poterant modo de eliberandis ejusmodi hominibus quidquam nobiſcum concludere. Nobis etiam S. Reg. Majeſtatis Legatis & Commiſſariis difficile fuit concedere; ut hæc difficultas juxta requiſitionem Czareæ Majeſtatis Magnorum Legatorum nunc complanaretur. Igitur Magni; & cum plena poteſtate Legati S. Reg. Majeſtatis, pro confirmatione præſentium Tractatuum ad annos Induciarum per Nos concluſorum, ad Czaream Majeſtatem juxta conventionem Noſtram expediendi, id negotium in Metropoli Moſchoviæ, in præſentiâ & coram Czarea Majeſtate perfecte component, & uti oportet, paciſcentur.

XI.

OMnes verò alii captivi, ab initio præſentis belli abducti, tam Eccleſiaſtici quam ſeculares Equeſtris ac militaris conditionis, ſeniores ac juniores, lixæ militares, omnis conditionis ſexus & Religionis homines; ſimiliter Coſaci Ukrainenſes, Tartari S. Reg. Majeſtatis ſubditi, Nobiles privati, & omnes alii aulici, etiam in adoleſcentiâ

tiâ conſtituti, tam in Regno Poloniæ, quam in Magno Ducatu Lithuaniæ in Bonis vel domibus ſeu in conflictu, in Arcibus, civitatibus, & ubicunque captivati: (quamvis nunc carceribus hæreant incluſi, aut in obſequio Czareæ Majeſtatis ac D. D. Nobilium hæreant: quamvis in terris Czareæ Majeſtatis cum Ruthenicis perſonis matrimonia contraxerint, vel Religionem Græcam receperint; aut in aulis Ducum ac Principum ſub Jurisdictione Czareæ Majeſtatis degentium, aut apud Cives in Civitatibus operas ſuas locaverint: Similiter Judæi, qui fidem ſuam Religioni Ruthenicæ non addixerunt) omnes cum uxoribus ac liberis, cum rebus eorum mobilibus nemine celato, neque ad manendum coacto, bona fide in terras S. Reg. Majeſtatis liberari & dimitti à Czarea Majeſtate jubebuntur. Qui verò ultrò in ſorte Czareæ Majeſtatis manere vellent, liberum eis erit. Quæ autem Polonicæ & Lithuanicæ Nationis fœmina & Judæa copulata eſt matrimonio Viro Rutheno, omnes penes ſuos Maritos manere debent in terris Czareæ Majeſtatis. Similiter omnes captivos, ex partibus Czareæ Majeſtatis, omnis conditionis & ſexûs homines, qui in Regnum Poloniæ & Magnũ Ducatum Lithuaniæ ex vario conflictu ſunt abducti, & in Arcibus Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ hærent, item eos, qui tempore belli Turcici transibant in Poloniam, & nunc in Regno Poloniæ,

in

in obſequio S. Reg. Majeſtatis; vel in domibus aut Bonis Senatorum, Nobilium, & in Civitatibus apud Cives laboribus exercentur: hos omnes S. Reg. Majeſtas in terras Czareæ Majeſtatis in Moſchoviam neminem celando, aut ad remanendum adigendo, bona fide liberos abire, & dimitti præcipiet. Qui verò ſub jurisdictione S. Reg. Majeſtatis ultrò manere cuperent, liberum eis debet eſſe. Hæc eliberatio & manumiſſio utrinque præſtari debet vicinioribus captivis, non exſpectando remotiores ex civitatibus Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ ſcilicet ex vicinioribus civitatibus expedientur ad conterminas Arces Czareæ Majeſtatis intra duas Septimanas: ex remotioribus intra Menſem vel duos; Longius & remotiùs adhuc abductos intra medium annum à concluſione præſentium Tractatuum. Similiter ex Ducatu Moſchoviæ; *ex Arcibus Smolenſco, Vitepſco, Polociâ, Duneburgo, & aliis proximioribus, etiam Ukrainenſibus intra duas ſeptimanas: ex* Metropoli Moſchoviæ *intra menſem; ex ultra* Moſchoviticis propioribus *Arcibus, intra duos menſes, & remotioribus Arcibus intra quatuor menſes: ex Aſtracania intra medium annum, à concluſione horum tractatuum computando. Ex Sibiria verò, & remotiſſimis Sibiriæ Arcibus colligi ad dimittendum debent intra annum vel quamprimum fieri poterit. Per fines autem præmiſſa ad conterminos Palati-*

nos

nos & Præfectos denunciatione, omnibus ſine detentione liber præſtari tranſitus debet. Eodem modo ſi captivi Moſchoviticæ Nationis in Regno Poloniæ, vel M. Ducatu Lithuaniæ fidem Catholicam recepiſſent, & matrimonia contraxiſſent; nihilominus vellent in Moſchoviam redire; tunc illis liber ſicut ad Patriam terram reditus abſque ulla difficultate cum uxoribus & liberis, & cum omnibus mobilibus concedetur.

XII.

ET in his Induciarum annis, juxta inclinationem Magnorum Dominorum Noſtrorum eorumque fraternam charitatem, ac utriusque Nationis perpetuæ pacis deſiderium convenimus, & concluſimus: ut utrinq; ad mutuos Congreſſus mittantur Magni & cum plena poteſtate Legati & Commiſſarii cum Inſtructionibus plenam poteſtatem continentibus, numerando à Menſe Junio præſentis anni in futuro, Deo dante à Nativitate Chriſti 1669. Menſe Junio: juxta verò vetus Calendarium Anno 7177. Quod ſi in hoc primo Conventu & Commiſſione perpetua pax propter occurrentes difficultates concludi non poſſet: tunc altera Commiſſio & Conventus inſtitui debebit intra quinquennium: ſcilicet Anno à Nativitate Chriſti 1674. in Menſe Junio, & juxta vetus Calendarium Anno 7182. Si verò neque in hac ſecunda Commiſſione perpetua pax concludi poſſet:

tunc non deſperando de perpetuâ pace, ambo Magni Domini per ſuos Legatos, Principes Chriſtianos invitare pro Mediatoribus debent, qui tunc utrique Magno Domino videbuntur neceſſarii: idque vel ex mutuo conſenſu; vel ſi alicui ex illis ex ſuâ parte ab iisdem Chriſtianis Principibus viderentur Magni Legati ad diſcernendam, & ſopiendam perpetuò controverſiam, pro tertia Commiſſione, ſcilicet in anno 1678. juxta novum Kalendarium in Menſe Junio, juxta verò Vetus in Anno 7186. impetrandi. Quod ſi (quod DEus avertat) & tertia Commiſſio cum Mediatoribus in Concluſione perpetuæ pacis ſuum non conſequeretur effectum; & ex occurrentibus difficultatibus videretur Dominis Mediatoribus differendus Tractatus: tunc utrique Magni & cum plena poteſtate Legati, Mediatores cum omni honore expedient: ipſi verò cum bona ſpe different Commiſſionem ad Annum 1680. juxta novum Calendarium, & juxta vetus ad annum 7188. Menſem Junium, & in his ultimis duobus annis Magnis Principibus & Dominis Noſtris liberum erit ſtudium & conatus circa renovandam per Legatos, aut etiam prorogandam ad ulteriores annos temporaneam pacem. Bellum verò & effuſio Sanguinis, & devaſtatio terrarum utriusque Monarchæ, adhibita omni tacitâ induſtriâ, permitti non debet: imò pax omni Chriſtiano conatu & diligentia teneri; bellum verò adhibitis inter-

nun-

nunciis, ad nullas Limitaneorum querelas, quas componi oportet, nullatenus excitari.

XIII.

Conventum etiam est; quia per prolongatum præsentis belli tempus, limitanearum Arcium Incolæ, antiquos transgressi limites, in Attinentiis earundem Sylvas exciderunt, earumque terminos deleverunt: ut huic incommodo provideatur, utrinque in præsenti anno Confirmatarum ab utroque Monarcha Induciarum, bini & bini Limitum Indices & Commissarii, nimirum Smolensco & Vitepsco aliisque Arcibus & Terris, cum literis plenæ potestatis mittentur: atque in Mense Septembri, post mutuam de loco Conventus denunciationem congregati, viros provectæ ætatis, Limitumq; peritos, ex quibus Civitatum, pagorum, terrarum, Sylvarũ antiquos terminos destructos intelligãt, advocabunt. Quosq; illi assignaverint læsos terminos, iidem Commissarii jubebunt emendari & novos erigi, imperabuntque severe loci illius incolis, ne ullâ ex parte limites & termini amplius violentur.

XIV.

Quacunque autem ex parte discoli & inobedientes inventi fuerint, ij ad proximos Limitum Palatinos, vel vices eorum gerentes, deferantur, quibus post factam inquisitionem absque ullâ dilatione pœna infligi debet. Idipsum alterâ ex parte nimirum Kioviam inter &

Czernihoviam, & Pereaslaviam, in alterâ ripa Danubii, facient: delegabunt Commiſſarios: factisque hâc de re incolis certioribus; limites & terminos conſtituent, quoad usque vi Pactorum Magnus Dux his terris imperabit; cum hâc tamen Cautelâ, ne ſupra unum milliare Kiovia de terra quidquam uſurpent.

XV.

ID quoque conſtitutum eſt, ut ſecuta Pactorum confirmatione, in ſpem & majus robur pacis (quod etiam in ordine ad perpetuam pacem inviolabiliter obſervari debet) per publicos, vel privatos Delegatos, Principibus externis, cum quibus æterna, vel ad tempus ſancita ſunt fœdera, hujus Pacis Confirmatio denuncietur, ad publicam notitiam; ut in poſterum inter Mercatores cum extraneis Regionibus Mercatura incrementum accipiat.

XVI.

LIcebit quoque Mercatoribus, tam Magnæ Ruſſiæ, quàm Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, in limitaneis Arcibus, Civitatibus, Locis, in quibus & ante præſens bellum licebat, merces ſuas exponere cum literis paſſus: iis mercibus exceptis, quæ in utraque Regione prohibitæ ſunt; perſoluto tamen, juxta utriusque gentis ſtatuta, vectigali. Moleſtiæ verò, exactiones & damna nulli Mercatorum inferri debent, neque his impedimentis alienari. Eadem libertas Mercatoribus Smolenſco per

Dunam

Dunam fluvium cum non prohibitis mercibus Rigam navigantibus concedi debet. Vectigal tamen consuetum in loco consueto ab hujusmodi mercibus ad thesaurum S. Reg. Majestatis & Reipublicæ pendetur, tantùm ad tempus ultimæ, quæ cum Mediatoribus celebrabitur, Commissionis, scilicet ad annum 1678. Mensem Junium.

XVII.

DEbita, quæ adhuc ante bellum certis obligationibus & cautionibus, etiam per contractus mercatorios, promiscuè inter homines cujuscunque conditionis, tam Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, quàm Moschoviticæ Nationis, etiam inter eos, qui sub belli tempus in partes Magni Ducis transiverunt, contracta sunt utrinq; exhiberi & justis argumentis probari debent: atq; cuilibet injuriam passo secundum cautiones, chirographa, contractus mercatorios ex utraq; parte sine ulla dilatione, juxta leges, & rei exigentiam, justitia administrabitur, & fiet satisfactio.

XVIII.

ET id decrevimus, ut tam S. Reg. Majestas, quam Dux Moschoviæ, Hanum Crimensem de hac confirmata Pace per literas certificent: ut vicinitatis motivo Hanus Crimensis cum suis populis, tam Sac. Reg. Majestati quàm Magno Duci mutuã conservet amicitiam, & confidentialem correspondentiam, & à bello penitùs abstineat, quandoquidem tam S. Reg. Majestas quam Magnus Dux

jam ſecum in fraternam convenerint unionem. Quod ſi Hanus Crimenſis, id & communem in vicinitate amicitiam ſpreverit, neque à bello efficaciter deſiterit, utrique genti communis erit hoſtis. Quare in Ukraina Kioviæ, in Zaporovia, aliisque in Ukrainæ munitionibus, ex utraque ripa Boriſthenis, exercitus tam Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, quam Magni Ducis cum incolis Ukrainæ, contra Tartarorum & Hani potentiam in excubiis parati eſſe debebunt, eumque tanquam communem hoſtem unitis viribus repellent. Eædem quoque communes & mutuæ excubiæ in Zaporovia, & in Dono contra Turcas vigilabunt. Quod ſi Hanus Crimenſis, de Noſtra inſtructus amicitia, eidem tertius uniri voluerit: tunc de mediis pacificationis in occurrentibus differentiis, tam S. Reg. Majeſtas quam Magnus Dux inter ſe mutuo conferent; & communem amicitiam ſeriâ diligentiâ promovebunt: ut Imperator Turcarum, confirmata communi amicitiâ Hano Crimenſi imponat mandatum, quatenùs ab omni belli occaſione abſtineat. Quod ſi data à Tartaris occaſione, res inter Hanum Tartarosque, atque inter S. Reg. & Czaream Majeſtatem ad bellum ſpectaret; atque Porta Ottomanica in defenſionem Tartarorum contra Sac. Reg. & Czaream Majeſtatem vim pararet, vel contra illorum alterutrum, tunc communibus viribus ac exercitibus utrinq;

tam

tam S. Regia, quàm Czarea Majeſtas in omni occaſione vim Biſſurmanicam repellent.

XIX.

Ad meliorem autem horum Pactorum notitiam tam à S. Reg. quam à Czarea Majeſtate expedientur ad Imperatorem Turcarum Legati, qui ei tanquam Limitaneo vicino concluſam pacem denuncient. Id quoque utrinque cautum & conſtitutum eſt, ut Magni & Minores Legati, atque privati Internuncii, utrinque accc-ptentur & recipiantur cum debito honore juxta cujusque dignitatem: quibus tam ingreſſus, quam reditus, liber ſine ulla impeditione & detentione permitti debebit. Porro Majorum Legatorum adventus conſtabit centum virorum & 150. equorum comitatu: Minorum Legatorum adventus habebit in comitatu viros 30. equos 50. Internuncios comitabuntur 10. homines, equi 14. Pro hoc univerſo comitatu, currus, & victui neceſſaria ſubminiſtrabuntur. Cum verò Legatos & Internuncium ad S. Regiam, & Czaream Majeſtatem ire continget, & poſt præmiſſam denunciationem, juxta morem Legationum, expedientur obviam, qui eos cum commeatu & omni ſatisfactione excipiant: Legatus Paraſtatæ, ſeu Deductori, vulgò Przyſtanowi tradet, tam virorum, quam Equorum Regeſtrum, & quidquid ſupra præſcriptum, tam in hominibus, quam in Equis numerum abundabit,

dabit, horum omnium ſicut nomina, ita & computus colligetur; à finibus ſuis impenſis proficiſcentur, & transibunt. Paraſtatis autem, ſeu Deductoribus, vulgò Przyſtawow quotquot illi fuerint, juxta morem Legatorum, ſua præſtabitur obſervatio: neque fas erit in minimo eos, tam in adventu, quàm in reditu, ad ipſos usque limites lædere.

XX.

LIcitum verò erit Mercatoribus Legatos comitantibus merces ſuas invehere tam in Regnum Poloniæ & Magn. Ducatum Lithuaniæ, quàm in Moſchoviam, in Civitates earum Varſaviam & Moſcuam. Merces verò eas invehent, quæ ſtatutis Regionum non prohibentur: easque palam, non clandeſtinè diſtrahent & permutabunt. Qui Mercatores tamdiu morabuntur, quamdiu Legati illorum ſuo munere fungentur; quo expedito, illi quoque nullâ interpoſitâ morâ unà cum Legatis excedent. Nullus autem ex iis, qui ſunt in Legatorum comitatu, cujuscunque Nationis hominem ſolicitare & clandeſtinè ſecum evehere audebit. In quo ſi aliquis deliquiſſe fuerit deprehenſus, ex eo efficax ſatisfactio, tam pro hac, quàm pro quacunque aliâ culpâ, præſtari debet.

XXI.

DEcretum etiam eſt, & cautum utrinque, ut in limitaneis Arcibus Palatini & Adminiſtratores, rem

&

& commoda utriusque vicinitatis ſolicitè procurent, in latrones pacisque publicæ turbatores ſeriò animadvertant, eosque inquirant; & ſecundùm utriusque nationis ſtatuta ac criminis exigentiam puniant: ne eorum culpâ pax publica lædatur. Si verò aliqua damna fuerint illata, in rebus præſertim mobilibus, & diviſione diſtrahentur: ad reſtitutionem ſecundùm poſſe tenebuntur: ſociique criminis arguentur: & ut in poſterum ſimilia non attentent, admonebuntur.

XXII.

QVodſi parte ex utraque ſuſcitabuntur aliquæ differentiæ & diſſidia, pars læſa in Palatinis, in finibus aut eorum ſubſtitutis denunciabit, ubi & in qua terra id continget. Cùmque conventum fuerit, ii ad quos pertinet, ſine ullâ dilatione de exceſſu judicabunt, & fraternè decernent: atque ita horum occaſione, concluſa Pacta nullo modo violabuntur.

XXIII.

SI verò Magni Ducis ſubditi, petulanti collecta manu, S. Reg. Majeſtatis terris & ſubditis damna intulerint, Czareæ Majeſtati incumbet, armata eos quærere manu ac captivare; & parem criminis pœnam, ſine ullo reſpectu, infligere, atque pro damnis illatis reſtitutionem juxta vires imperare. Similiter ſi S. Reg. Majeſtatis ſubditi

ſeditiosè congregati, Czareæ Majeſtatis terras ac ſubditos in aliquo violaverint; culpæ illorum par pœna reſpondere debebit, damnis juxta debitum ſatisfieri: ac omnis exhiberi quàm primùm ſatisfactio. In ultionem verò damnorum, armare exercitus, bellum auſpicari, aut quacunque ex cauſa præſentem turbare & evertere pacem non licebit.

XXIV.

QVod ſi caſus aliqui contigerint, qui à confinium Palatinis componi non poterunt, eos tam Sac. Regia quàm Czarea Majeſtas Legatorum congreſſui reſervabit. Quos autem utraque ex parte Supremi ambo Principes ad hanc Legationem deputabunt, hi in limitibus collatis conſiliis, remotis omnibus controverſiis ac prolongationibus, Juſtitiam decernent: Neque ideò Pactis contravenire licebit.

XXV.

PEr idem tempus Induciarum, tam S. Regiæ, quàm Czareæ Majeſtatis, Dominia, terræ, Arces, ſubditi, eo nexu pacis inter ſe mutuò connectentur, ut nullus Magnatum neque cives contra civem, tam publicè quam privatim & occultè inimicitiam præ ſe ferre audeat: nemoque tam per ſe quam per alios, quicquam mali alteri inferet aut procurabit.

XXVI.

XXVI.

Singulariter verò, Serenissimus Poloniarum Rex, ejusque in Regno & Magno Ducatu Lithuaniæ Successores publicos & occultos Czareæ Majestatis & ejus Dominiorum hostes non recipient: neque illis tam pecuniis, quàm copiis ullum præbebunt auxilium: nec ullam tam ad inimicitias, quàm ad bellum tum per se ipsi, tum per subordinatas personas, occasionem offerent; neque illam præcipient. Similiter Czarea Majestas, ejusque in Magno Ducatu Successores, Magni Duces Moschoviæ, invigilabunt: ut nec per sese neque per alias instructas personas, publicos vel privatos Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ hostes sub suo foveant patrocinio, aut eis consilium, ferrum, thesaurum per hos omnes initorum Pactorum annos ministrent, aut ministrare præcipiant, vel aliquod malum inferre. Imò utrinque tanquam Frater Fratri, omnia bona & quidquid fraternam unionem decet præstabit, ne novæ gliscant inimicitiæ & causa bello præbeatur.

XXVII.

Id etiam stabilitum est; ut tam à S. Reg. quàm à Czarea Majestate Magni & cum plena potestate Legati, ad utrumque Monarcham pro Induciarum conclusione cum confirmationis literis expediantur. Qui quidem Legati à præsenti tempore confirmationis nostræ intra sex menses

convenire debent, facta prius utrique Monarchæ per Internuncium denunciatione de Loco Conventus. Ac imprimis hi Magni utrinque Legati, miſi cum Confirmatione, ubi ad limitaneas Arces pervenerint, de adventu ſuo certos ſe invicem reddent: deinde ubi convenerint, tanquam Frater Fratri exhibebunt ſuorum Monarcharum Confirmationis literas: quæ concordare debebunt præſenti Tractatui, verbumque verbo correſpondere: munitæ ſuorum Principum ſigillis. Illis verò perlectis tradent ſibi utrinque mutuo quaternas copias, ex quibus conſtet prædictas Confirmationis literas per omnia præſenti Tractatui eſſe conformes: cum illisque Magni utrinq; Legati ad deſignatos Monarchas proficiſcentur. Quas tam S. Reg. quàm Czarea Majeſtas perſonaliter coram Sancto Evangelio juramento confirmabit. Rotam vero Juramenti literis confirmationis adſcriptam, tam in Regno Poloniæ quam in Magno Ducatu Lithuaniæ utriusq; gentis Cancellarii ſubſcribent, nominibus propriis: uti & in Metropoli Moſchoviæ Magnus Legationis Cancellarius ad perpetuam memoriam & ſtabilitatem.

XXVIII.

IN hoc etiam inter nos conventum eſt: ut poſt Noſtrum ad utrumque Monarcham Noſtrum cum præſenti pacis concluſione, reditum, iidem Magni Legati, qui cum con-

confirmationis literis utrinque ad ſupremos Monarchas Noſtros deputabuntur, habeant plenam poteſtatem ad tractandum de conſervandâ utraque Ukraina & Zaporovia, & conſtituendarum rationum media mutui ſubſidii, tam contra Hanum Tartarorum, ejusque populos, quam contra Imperatorem Turcarum, ſi fortè Ukrainenſes Coſacos communibus exercitibus ſuis ad ſuam obedientiam & ſubjectionem cogere deberent: ſicuti & de aliis agendis, quæ ad omnimodam ſecuritatem, fortunam utriusque Gentis & ad augmentum fraternæ inter S. Regiam & Czaream Majeſtatem charitatis, pertinerent.

XXIX.

PUnctum verò, quod S. Reg. Majeſtatis Magni Legati Magnis Czarcæ Majeſtatis Legatis denumeranda aliqua convenienti Summa contentandæ Nobilitati, ex his Palatinatibus Diſtrictibus, & ex parte Ukrainæ, quam in ſortem Czareæ Majeſtatis conceſſimus, exulanti propoſuimus: nimirum, ut dignaretur Czarea Majeſtas ex fraterna erga S. Reg. Majeſtatem charitate, ad allicicndos in conſtantem amicitiam utriusque Nationis populos ejus quantitatem determinare; in hunc modum à Magnis Legatis Czareæ Majeſtatis nomine reſolutum eſt: De hac ſatisfactione exulibus Nobilibus tam Regni Poloniæ, quam M. Duc. Lithuaniæ præſtanda in prima Legatione,

quæ cum literis confirmationis ad S. Reg. Majeſtatem inſtituetur, futuram conferentiam & mutuum conſilium. Atq; ita hoc negotium Cæſarea Majeſtas in adventum differt Legatorum.

XXX.

QUod ſi, juvantibus ſuperis, alterutri horum duorum Monarcharum placuerit, causâ firmiter conſervandi aut ſtabiliendi hujus Induciarum Tractatûs, alterum Monarcham per ſuos Legatos reddere certiorem, & de ſuâ amicabili propenſione ſignificare: id invicem poſtea alter Monarcha eidem præſtare debebit: atque hunc Induciarum Tractatum ambo Monarchæ ſuis literis confirmare erunt obligati, ut ita omnia ad magis firmandam pacem ordinentur.

XXXI.

AD extremum ſi aliquo inſperato infortunio hunc Induciarum Tractatum, ratum & ſcripto confirmatum in aliqua horum populorum Cancellaria contingat interire, aut ante traditionem ad Cancellariam amitti: tunc eadem firmitas hujus Tractatus in uno Dominio conſervati, ad utrumque Monarcham, eorumque populos pertinebit: & æqualiter utrumque ad conſervandam præſentem pacem obligabit.

Ut

Ut autem majori & ſolidæ ſecuritati conſulatur; hæc omnia, quæcunque à nobis S. Regiæ & Czareæ Majeſtatis Magnis & cum plena poteſtate Legatis & Commiſſariis facta, conventa, conſtituta & definita ſunt; à Sereniſſimo & Magno Domino Noſtro JOANNE CASIMIRO, *Dei gratiâ Rege Poloniæ & Sueciæ, Magno Duce Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ & ab omnibus S. Reg. Majeſtati ſubjectis terris & à tota Republica, tam Regno Poloniæ, quàm Magno Ducatu Lithuaniæ pariter à Magno Domino Czaro & Magno Duce* ALEXIO MICHAYLOWICZ, *totius Magnæ & Parvæ Albæ Ruſſiæ Autocratore & multorum Dominiorum ac Terrarum, Orientalium, Occidentalium, & Severienſium Hærede, Succeſſore Domino & Dominatore, in omnibus punctis obſervabuntur: & nunc concluſa, rata & fixa erunt. Quem Tractatum & Cautionem nos S. Reg. Majeſtatis Magni & cum plenâ poteſtate Legati & Commiſſarii manu Noſtra ſubſcripſimus & Sigillis munivimus. Demùm communi Noſtro juramento utrinque ſtabilivimus, atque his Induciarum munimentis ac Cautionibus, cum Czareæ Majeſtatis Magnis ac cum plena poteſtate Legatis egimus. Scripta eſt hæc Confirmatio in loco Conventûs Derewnæ Andruſoviæ Anno à Nativitate Chriſti Domini 1667. Menſe Januario, Die trigeſima à Condito Mundo 7175.*

PUN-

PUNCTA

Approbatæ Pacificationis Andruſovienſ. inter Regnum Poloniæ, & Imperium Moſchovi. ticum, ex Polonico in Latinum translata in Actu Radzini die 17. Martii Anno 1670.

Poſt Titulos.

Significamus, quod cum vigore Pacificationis pro debito ſuo uterque Magnus Noſter Princeps ſatisfacturi Pactis Andruſovienſibus, fide reciproca corroboratis, ac declaraturi immutabilem ſuam firmandæ perpetuæ Pacis propenſionem ad locum hujus Congreſſus Nos ſuos Magnos cum plenaria facultate Legatos & Commiſſarios cum literis ſuis plenipotentiarum miſiſſent.

Nihilominus quamvis ex mandato utriusque Noſtri Magni Principis multis congreſſibus Andruſoviæ inſtitutis ſtudia Noſtra impendiſſemus, quomodo inter utrumque Magnum Principem, eorundem Dominia & Nationes, perpetuus amor & amicitia renovaretur, atque Sancta Pax temporibus perpetuis duratura probe fundata conſtitueretur.

Attamen mutuæ Noſtræ perpetuæ Pacis ſtabiliendæ curæ conſummationem noſtram in præſenti Commiſſione, propter

propter incidentes magnas difficultates, obtinere nequierint. Ut vero toti orbi oſtenderemus, quod magna in cordibus utriusque Noſtri Magni Principis de pacificanda Chriſtianitate & renovanda fraterna charitate pronitas radicata ſit, quidquid ad roborationem firmorum & juratorum Pactorum & ad induendam executionem illorum pertinuit, in præſentia conſtituimus.

Et primo, Pacta Andruſzovienſia Anno 1667. inita, primitùsque ab utrinque Magnorum Plenipotentiariorum Legatorum ac Commiſſariorum, & poſtmodum ipſiusmet utriusque Magni Noſtri Principis reciprocis juramentis firmata, tum quoque Ordinationes Legatorum poſt jurata Pacta Andruſovienſia in urbe Moſcua transactæ, & jurejurando Legatorum ab utrinque roboratæ in omnibus punctis, clauſulis & paragraphis, prout in ſe ſonant, ſine ulla mutilatione, aut ſiniſtra interpretatione, firmiter & inconcuſsè per omne tempus Annorum Induciis præfinitorum, vigore confecti deſuper inſtrumenti conſervari debent.

Et quandoquidem conjunctio virium mutuarum, utriusque Noſtri Magni Principis principaliter in Tractatu Andruſzovienſi, & pòſt etiam transactione Legatorum in urbe Moſcua ſufficienter deſcripta eſt, atque mutuo jurejurando Legatorum & literis Principum ratihabita eſt: proinde ne quicquam ab hoc Sancto & Chriſtiano ope-

re recedendum & nihil immutandum, uterque Noſter Magnus Princeps vigore transactionis Legatorum eandem ſe obſervaturos ab hoc tempore ſpondent.

Quæ conjunctio conſenſu placita, & in transactione Legatorum deſcripta, ne aliquam dubitationem habeat; proinde illam uterque Noſter Magnus Princeps aſſiſtentibus Magnis Legatis, qui ab utrinque vigore Pacificationis Andruſovienſis, cum fraternis congratulationibus de felici regimine Gentium ſuarum, cumque confirmationibus Sanctæ hujus Pacis & Pactorum juratorum, intra ſex Menſes, à tempore præſenti computandos miſſi fuerint, juramentis ſuis Regis ratihabebunt, & roborabunt. De iis verò Magnis Legatis mittendis ab utrinque ſervata conſuetudine per Internuncios mutuos requiſitio fiet.

Iſti verò Noſtri utriusque Principis Magni Legati, cùm ad locum convenientem limitaneum pervenerint, prævia ſalutis nunciatione convenient, invicem monſtrabuntque mutuò Principum confirmatorias literas, ut ſint in omnibus de verbo ad verbum vigore anteriorum & præſentium transactionum conformes Sigillis Principum munitæ. Lectis his literis, conformibuſq; adinventis Frater Fratri Copias illarum communicabit: atq; tum demùm ad Principes Magnos ambo Legati iter ſuum dirigent.

Quibuscunque verò Punctis Andruſovienſis & Commiſſorialis transactionis jureiurando firmatis hucusque intra

intra præſtitutum diem ſatisfactum non eſt, & effectu ſuo deſtituuntur, & quorum etiam in præſenti Commiſſione pacificatio & executio non ſtetit: proinde proclives exiſtentes ad media Nobis S. Reg. Majeſtatis & Reipublicæ Magnis Legatis & Commiſſariis erga ipſius Moſchoviæ Majeſtatis Magnum Plenipotentiarium Legatum, in congreſſibus, in ſcriptis & ablegationibus declarata hoc eſt, ut difficultates iſtas, aut ad Legationem proximam, aut ad aliud aliquod tempus differemus. Ideoquè omnia iſta non adimpleta Andruſovienſis & Commiſſorialis transactionis Puncta circa Legationem iſtam DEO dante futuram ſuperiùsque memoratam tranſigi, pacificari, & ad effectum, & ad excutionem deduci debebunt. Illic quoque modus quàm efficaciſſimus de eripienda ex manibus Mahometanorum omni Ukraina impedienda protectione, vindicandoque utriusque Noſtrum Dominio ab illorum incurſionibus, tum quoque reducendis ad debitum obſequium Coſacis, & cogendis ad ſubjectionem rebellibus adinvenietur. Eoque vigore conjunctionis juratæ ad effectum deducetur. Hi itidem remedia de alliciendis Mahometanis ad vicinalem amicitiam remedia adinveniri debebunt.

Juramentum Principum.

NOs Sereniſſimus, & Magnus Rex MICHAEL, Dei gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ,

Ruſsiæ & aliorum. Juramus Deo in Trinitate uni in hoc, quòd omnia, quæcunque fraternæ conjunctionis cum Fratre Noſtro DEI gratia Magno Principe Czaro & Magno Duce ALEXIO MICHAYLOWICZ, *totius Magnæ, Parvæ & Albæ Ruſsiæ, unico Domino, Latisſimorumq; Principatuũ & Terrarum Orientaliũ, Occidentaliũ, Severiæq; Succeſſore, Hærede, Principe & Domino, cum Czarea Majeſtate, in Commiſsorialibus ad urbem Moſcuam transactionibus Anno* 1667. *initis per Magnos Legatos ab utrinque delegatos & miſſos ordinata conſcripta & juramentis firmata ſunt; Ea omnia vigore Andruſovienſis & Anno præſenti* 1670. *concluſæ, & juratæ pacificationis per Nos Magnũ Regem & Succeſſores Noſtros & Rempublicã in omnibus punctis adimplebuntur & realiter obſervabuntur. In quo quam fideliter juramus, ita Nos DEus adjuvet, & Sancta ejus Paſsio.*

Ex præſcripto hujus rotæ juramenti uterque Princeps jurabit.

INDU-

INDUCIARUM AD TREDECIM ANNOS PROLONGATARUM

Die 17. Auguſti Anno 1678. CONTENTA.

SEreniſſimi Regis ac Reipublicæ Polonæ nomine Legati fuerunt: Michael in Klevan, Dux Czartoryski, Palatinus Volhynenſis Czartovecenſis &c. Capitaneus. Caſimirus Joannes Sapieha, Comes in Bychoro Dabrowno, Palatinus Polocenſis, Boryſinenſis VVolpienſis &c. Capitaneus. Hieronymus Komar, Judex Terreſtris Orſzanenſis, Secretarius Legationis.

Magni Ducis Moſcoviæ nomine fuerunt Dux Nihita Iwanowicz Odciewski, Senator & Gubernator Novogrodenſis, Jacobus Nihititz Odciewski, Senator & Gubernator Aſtrachenſis, Baſilius Siemionowicz VVolynski, Gubernator Czebolstarenſis.

Legati hi vigore articuli duodecimi Tractatuum Andruſovienſium de prolongatione Armiſtitii egerunt.

Trinæ conferentiæ Andruſovienſ. & per binas Legationes Moſchoviæ Concluſa obſervari debent.

Ad tempus prioris Armiſtitii, (quod Menſe Junio Anno 1680. & ab Orbe conditô 7188. expirat) adhuc tredecim Anni proximè ſequentes computandi ſunt, ſcilicet usque ad Menſem Junium Anno 1693. & ab Orbe

condito 7201. *Intra hocce tempus uterque Princeps de Pace perpetuâ obtinendâ ſtudebit.*

Magnus Dux Moſcoviæ ſpe fretus pacis perpetuæ ſubſecuturæ Regi ac Reipublicæ Polonæ ex locis poſſeſſis ſequentes Capitaneatus cedit, nimirum Nevelenſem, Szebieſenſem & Vieliſcenſem cum Terris ad eosdem pertinentibus exceptô Kraſno-Grod & Uiazdnii. Adhæc dictus Magnus Moſcoviæ Dux pro hoc Armiſtitio certam pecuniæ ſummam efficientem Millionem florenorum Polonicalium bonæ monetæ Reipublicæ exoluturum ſeſe obligat.

Newel & VVieliſz poſt decurſum ſex ſeptimanarum à Nativitate Chriſti die trigeſima Septembris An. 1678. *& ab Orbe condito* 7188. *die* 20. *Septembr. ab Officialibus* Magni *Ducis Regiis ad hoc Deputatis Commiſſariis cum omnibus antè exortum bellum tormentis & quovis apparatu bellicô reſtitui debent. De ſummâ verò* 200000. Rubelorum *Magnus Dux ſtatim poſt concluſos modernos Tractatus Legatis Polonicis* 100000. *exſolvet. Capitaneatum Siebieſzenſem & reliquam ſummam* 100000. Rubelorum *tunc reddet* Magnus Dux, *quando hic Tractaus à Rege Poloniæ erit juramento confirmatus.*

Incolæ & Nobiles circa evacuationem iſtorum Capitaneatuum in poſſeſſionibus ſuis citra ullam moleſtiam ab hominibus Magni Ducis relinquentur. Similiter ſubditi iſti non debent cogi, ut ſe ad fines Czari transportent,

vel

vel ullum onus patiantur aut contributiones exolvant.

Commiſsio per Mediatores ad minimum intra duos annos ad finem currentis armiſtitii peragi debet.

Catholici ſub Magno Duce, & Græci ſub Rege Poloniæ nullam patiuntor coactionem.

Si nonnulli adhuc captivi reperiantur, ab utraque parte juxta Tractatus Andruſsovienſes dimitti debent.

Et quoniam hoc Anno Terminus liberi Commercii utriusque partis mercatoribus expirat, ideò conventum eſt, ut omnibus mercatoribus (exceptis Judæis) juxta priores & modernos Tractatus per omnes Armiſtitii annos licitum eſſet omnis Generis commercia non prohibita (dummodò literæ liberi paſſus adſint) tam à parte Regis ad Urbes ejusdem, Cracoviam, Varſaviam, & Vilnam, quam Magni Ducis ad Urbem Moſcoviam tractare. Vectigal tamen ſecundùm conſvetudinem utriusque Regni exolvere tenebuntur.

Et quoniam Judices Limitum juxta punctum decimum tertium Pactorum Andruſsovienſium nondum Commiſsionem ſuam expediverunt, nec in Civitatibus finitimis jus adminiſtrarunt, ideòque Anno C. 1679. & O. cond. 7187. ab utroque Monarcha Judices debitis inſtructi plenipotentiis convenient, limites diſcernent, ſimulque ratione debitorum & homicidiorum inquirent, omnesque difficultates dijudicabunt.

Et

Et quoniam ad exhibitam à Legatis Polonicis ratificationem priorum Tractatuum Andruſsovienſium ac Moſcoviæ Concluſorum Sigillum Lithuanicum appenſum non fuit, idcircò Legati Polonici curam apprimendæ ipſius pollicentur, quando Legati Moſcovitici cum ratificatione moderni Tractatus advenient. Quod autem in plenipotentiâ Legatorum Polonicorum à Senatu impertitâ tantummodo ſubſcriptiones Senatorum, non autem ipſorum Sigilla, extiterunt, non debet pro hac vice præjudicare. In poſterum verò antiqua conſuetudo cum appreſſione Sigillorum obſervari debet.

Priores tres Tractatus Andruſsovienſes, uti etiam Concluſa Moſcoviæ, uti non minùs modernus Tractatus ratione Armiſtitii à Magno Duce, *uti etiam à Rege Poloniæ roborari juramento debent.*

Tàm Polonici quàm Moſcovitici Legati huncce Tractatum manibus ſuis ſubſcripſerunt, & juramentis confirmarunt.

Rota Juramenti à Magno Duce Moſcoviæ & deinde etiam à Rege Poloniæ præſtiti.

DEI Gratia, &c. &c. &c. Profitemur & pollicemur DEo Omnipotenti ad hoc ſanctum Evangelium eiusque Præceptum, quod auxilio & interceſſione ſpei Noſtræ

Noſtræ Chriſtianæ ſanctiſſimæ Matris DEI immmaculatæ Virginis Mariæ cum fratre Noſtro Sereniſſimo Principe ac Domino JOHANNE Tertio, &c. *ejusdemq; Majeſtatis & Reipublicæ tàm ſpiritualibus quàm ſecularibus Statibus Regni Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ in Conventu utriusque Monarchæ Legatorum concluſa terna Andruſſovienſia Pacta, & bini Moſcoviæ initi Tractatus & hoc Anno cum Czareæ Majeſtatis Noſtræ Senatoribus per Majeſtatis Suæ Regiæ Legatos Moſcoviæ pactæ Induciæ à Nobis Magnô Duce adimplebuntur, & ſine ullâ ſiniſtrâ Interpretatione ſervabuntur; uti Nos Magnus Dominus & Czarus coram Sancto Evangelio profitemur ac pollicemur.*

Caput. VIII.

DE JURE LEGATORUM.

I.

CUm nec Fædera pangi, nec indici bella, nec pax iterum iniri, nec ulla Reipublicæ cum Extraneis negotia expediri posſint ſine interventu Legatorum, de iisdem hîc agendum eſt.

II. Olim Reges habuiſſe jus integrum Legatorum dubitandum non eſt. Poſtea *per Conſti-*

tutionem 1588. cautum eſt, ut hæc poteſtas cum notitiâ Senatorum præprimis ad Aulam præſentium exerceretur. Hodie idem jus Regi convenit, niſi de fæderibus, bello aut pace, aliisque rebus Rempublicam concernentibus tractandum veniat, nam de his priùs in Comitiis deliberatur. Sed ejusmodi functiones non niſi Nobilibus benè poſſeſſionatis utriusq; Nationis à Rege committuntur, quorum inſtructiones inter Senatus-Conſilia inſerere, & in Comitiis prælegere, Cancellarii tenentur. Poſt reditum Legati reddunt rationem in ſcripto tempore Comitiorum, quæ Metricæ Regni inſerenda, atque hæc omnia, ad requiſitionem Ordinum Reipublicæ, Juramento firmare tenentur, quod ſcilicet ultra Inſtructionem ex Cancellariâ datam, nihil cum extraneis Principibus tractare ſibi præſumpſerint. Vid. *Pact. Convent. Sereniſſ. Joann. III.*

III. Jus *recipiendi* Legatos Regi etiam competit, quos, licet in rebus ad totam Rempublicam ſpectantibus miſſi ſint, cum ſcitu reſidentium Senatorum inprimis Mareſchalcorum & Cancellariorum, recipit & audit.

IV. Si Legatus coram totâ Republicâ comparet, tunc trinæ exhibentur credentiales, unæ Regi,

Regi, alteræ Senatorio, tertiæ Equeſtri Ordini. Nomine Regis Cancellarius, nomine Senatus primus exillo Ordine, nomine Nuntiorum Terreſtrium Mareſchallus eorundem reſpondet.

V. Obſervandum hîc, quòd poſtquam Magnus Lithuaniæ Ducatus *per Conſtit. Anni* 1673. tertia alternatim impetravit Comitia Grodnæ celebranda, deinceps ſumptus quoque ad Legatos Moſchoviticos, Turcicos, Scythicos, & Coſacicos tempore Comitiorum ejusmodi advenientes, Theſaurus Lithuaniæ ſuppeditabit, uti hactenùs in Regno Theſaurus Regni tempore Comitiorum Varſavienſium impenſas procuravit. Vid. *Conſtit. dicti Anni* 1673.

Caput. IX.

DE JURE VENATIONIS.

Jus venandi olim penes ſolos Reges erat teſtante Cromero *lib. VIII.* in Miecislao Seneadeò, ut nec in ſuo fundo quispiam eodem gaviſus fuerit, idem *lib. 2. deſcript. Pol.* In transactione etiam cum Rege Caſimiro & Ludovico Magiſtro Ordinis reſervatur venatio pro Regiâ Majeſta-

te ſuper totâ Nergiâ, quãvis jam antè Vladislaus ſputator jus venandi in Sylvis & in bonis Eccleſiarũ conceſſerit Archi-Epiſcopo Gneſnenſi & Epiſcopo Posnanienſi *dict. Crom. lib. 8. in Boleslao Pudico.* Quod poſtea aliis etiam jus hoc indultum fuerit, patet ex Statuto An. 1423. lato, quod prohibet in fundo alieno venationes â Feſto Adalberti ad deportationem omnium frugum, ſub pœnâ trium marcarum. Id quod & hodie obſervatur, ſed retia tendere non licitum eſt ſine Domini fundi Permiſſione.

LIBRI III.

CAPUT I.

DE JUDICIIS.

I.

QUoniam hactenus de perſonis & rebus expoſitum eſt, propter easdem verò ſæpiùs actiones ad Judicia devolvuntur, (nemo enim ſibi jus dicere poteſt, aut privatâ, quod ſibi debetur, autoritate occupare *l. 13. ff.* quod metus cauſa) ſupereſt, ut de Judiciis diſpiciamus.

II. In quovis Regimine ſunt quatuor elementa,

menta, Ignis eſt Juſtitia, quæ omnia illuſtrat. Aër ſunt Officiales, qui omnes afflictos reficere & ſolari debent. Aqua eſt commiſeratio, quæ Juſtitiam temperat. Terra eſt remuneratio fideliũ ſervitiorũ, quæ fructus ſuos fert juſto tempore.

III. Eccleſiaſticorum Summa eſt penes Epiſcopos, quorum Vices gerunt Officiales. Ab utrisque provocatio datur ad Archi-Epiſcopos, & abipſo Leopolienſi ad Gneſnenſem, quia hic eſt Legatus Natus Sedis Romanæ. Uti in aliis Regnis Catholicis, ita etiam in Polonia Nuntius Pontificius reſidet, & Judicia celebrat. Antequam verò incipiat Jurisdictionem exercere, ſolet in recognitionem Supremi Dominii præſentare Breve Pontificium Legationis ſuæ Regiæ Majeſtati, atque principalibus Regni Miniſtris, & alicui exprimis Senatoribus ſecularibus ad latus Regium reſidenti. Sic obtinetur facultas à Regia Majeſtate aperiendi Tribunalis Nuntiaturæ. In abſentiâ Nuntii cum facultatibus delatere, Archi-Epiſcopus Gneſnenſis exercet functionem Legati Nati, ideoquè defunctus Archi-Epiſcopus Olſzowski, poſt diſceſſum Bonſviſii ad Nuntiaturam Viennenſem Inter-Nuntium admittere noluit: imò ipſe Sere-

niſſimus Rex JOHANNES Tertius per literas ex Caſtris ad Leopolim die 14. Menſ. Sept. Anno 1675. datas ad Illuſtriſſimum Dominum Lubomirscium tunc Curiæ Regni nunc Supremum Mareſchallum opponebat authoritatem ſuam, quod exemplo Anteceſſoris ſui in Deputationem Inter-Nuntii nullo modo conſentire poſſet, cum eſſet contra dignitatem Regiam, & cum præjudicio Archi-Epiſcopi Legati Nati, aliorumque Epiſcoporum.

IV. Ad materiam de Judiciis Eccleſiaſticis ſubjungo, quòd appellatio hominum Religionis Græco Ruthenicæ ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, quia ſub hoſte Nominis Chriſtiani habitat, ſublata ſit, ſub pœna colli & confiſcationis bonorum, ſalvâ appellatione, in cauſis dictæ Religionis aggravatis ad Judicia Relationum.

V. Seculare Judicium eſt vel cognitionis cauſæ, vel executionis rei judicatæ. Hoc ad illum Capitaneum ſpectat, ubi quis poſſeſſionem tenet; aut moratur, ſi impoſſeſſionatus ſit. Judicia cognitionis cauſæ in Republicâ Noſtrâ, ſub ſequentibus exhibeo capitibus.

Cap.

Cap. II.

DE JUDICIIS COMITIALIBUS.

I.

Judices in iisdẽ sunt, Rex & Senatores, nisi quòd pro judicando crimine læsæ Majestatis & Perduellionis, nec non ad Judicia remissarum à Tribunali etiam non nulli ex Nuntiis admittantur, uti suo loco dicetur.

II. Vigore Pactorum Conventorum Divus Rex MICHAEL sententiam suam ad pluralitatem Votorum formabat. Modernus autem Serenissimus secundùm Capitulationem Henrici Regis ex sententiâ D.D. Senatorum & Officialium procedit, ac deliberationes tertiâ die expedit. Evitatur hoc modo prædicatum, quòd Sigismundo Secundo dabatur, qui cum ardua semper differret negotia, REX CRASTINUS vocabatur. Decreta etiam in triduo extradi, nec ad Cameram Regiam portari debent, sub pœnis in Legibus descriptis.

III. In Citationibus ad Comitia post Curiam Regni

Regni necnon ad Tribunal, integer Titulus Regis præponitur.

IV. Judicia autem Comitialia hâc ſerie judicantur; Poſt propoſitionem Regiam & expedita D.D. Senatorum vota, per integram primam ſeptimanam Actiones Criminales: Poſtea diebus Lunæ Actiones Theſauri, Quartæ & de Bonis nullo jure receptis: diebus Martis Actiones omnes Magni Ducatus Lithuaniæ, *Conſtitut. Anno* 1589. Diebus Mercurii, Veneris, Saturni, Criminales: Diebus verò Jovis Remiſſæ à quibuscunque Judiciis & in defectu aliarum cauſarum, quocunque die, Criminales, de quo latius *in Conſtitut. Anni* 1641. Vid. etiam *Conſtitut. Anni* 1569.

V. Judicia iſta vel ſunt Criminalia vel Civilia. CRIMINALIA vel ſunt *publica* ad cujusvis delationem Inſtigatore accuſante, ut ſunt (a) **Crimen Læſæ Majeſtatis.** Decreverat quidem SIGISMUNDUS I. Cracoviæ An. 1510. ut etiam violatores Conſiliariorum, Nuntiorum, ſive Regiorum, ſive Terreſtrium, item Judicum & Commiſſariorum, tanquàm criminis læſæ Majeſta-

jeſtatis rei judicarentur; Idem verò Rex poſthac Anno 1539. hoc crimen ad perſonam tantummodo Regiam reſtrinxit, quod committitur Machinatione, conſpiratione, violento conatu, & quod, longè abſit, facto ipſo in vitam Regiam. (b) Crimen Perduellionis, quando quis ſeditiones concitat, conſpirationes facit, arcana Reipubl. vel arces ejusdem prodit, Pacta cum finitimis inita convellit, vel aliô quopiam modô contra Remp. delinquit. Quando verò cauſa criminis Læſæ Majeſtatis vel Perduellionis agitanda eſt, citatur reus per Inſtigatorem cum ſcitu Mareſchalli ſupremi ſex hebdomadis antè Comitia, ita ut etiam Citatio, ingroſſatâ ſive inſcriptâ priùs ad Acta Caſtrenſia relatione de eâdem inſinuatâ, in particularibus Comitiolis ejusdem Diſtrictus per Miniſterialem publicetur, videatur *Conſtit. Anni* 1588. ante quæ tempora de crimine Perduellionis, ut ut graviſſimo, nullum in Statutis & Conſtitutionibus jus manifeſtè reperitur. In Judicio horum criminum Rex audit propoſitionem & Documenta Inſtigatoris ac defenſas partis reæ, quæ non niſi cum viginti ad ſummum viris comparere poteſt. Circa expeditionem

autem votorum Senatus, & Nuntiorum terreſtrium abſens eſt, juxta *Conſtit. Anni* 1638. Modernus tamen Rex in Comitiis Grodnenſibus etiam partium controverſiis ac defenſis non interfuit. Poſtquam ex pluralitate calculorum Decretum ſtetit, tunc in præſentiâ Regis per Mareſchallum ex ſcripto debet publicari, atque per eundem, ad executionem deduci, quæ alias Capitaneo demandatur, vid. *dict. Conſtit. Anni* 1588. *& Acta Elect. Reg. Mich.* Nec amplius tantùm octo, uti vult *Conſtit.* 1589. ſed duodecim ex Gentibus deputantur, *juxta Conſtit.* 1670. (c) **Peculatus**, ut furtum Theſauri Regis vel Reipublicæ, falſæ monetæ cuſſio, interverſio proventuum Reipublicæ, &c. (d) **Violatio** Comitiorum vel etiam Comitiolorum, his adduntur ſucceſſio Poloni poſt Polonum vel Lithuani poſt Lithuanum in Capitaneatum Livoniæ aliaque ſimili modo Rempublicam afficientia. 2. *Privatorum*, ut homicidia, propinationes venenorum, injuridica punitio capitis ſibi æqualis, injuriæ in Parentes commiſſæ, receptatio Bannitorum in Comitiis, Nobilitatis cognitio, licet hæc cauſa etiam ad Tribunal ſpectet; 2. CIVILIA ſunt 1. Inſtigatoris, ut de bonis

bonis Menſæ Regiæ, ex citatione vel remiſſione Tribunalis ſive Curiæ ſive Commiſſorialis Judicii, de bonis nullo jure receptis, de amiſſione Capitaneatus ob non ſolutionem Quartæ, &c. 2. ex delatione partium ſunt, de exactione Telonei per Nobilem jus nullum ad hoc habentem, de negligentiâ Magiſtratuum, &c. 3. privatorum, quæ vel ſpiritualia vel ſecularia; Illa ſunt ex remiſſione Tribunalis, ut de decimis ex bonis Nobilium, de profanatione Templorum, hæc, ut de facultatibus jurisdictionum, de honoribus & Officiis terreſtribus, de compatibilibus, &c. videatur pluribus Proceſſus judiciarius abbreviatus, ſub Sigism III. Anno 1611.

VI. Ordo in Judiciis Comitialibus obſervatur ſequens: Notarius Terreſtris ejus loci, ubi Comitia habentur, cauſas eô Ordine, quô à partibus deferuntur, inſcribit, deinde Referendariis regiſtrum tradit, qui eodem quoque Ordine judicandas proponunt, cauſas verò quartæ, fiſci, bonorum nullo jure receptorum, remiſſarum à Judicio Regio poſt-Curiali, Notarius Decretorum Curiæ Regni inſcribit traditque Referendariis. In Comitiis tamen Grodnenſibus Notarius Decretorum non modò jam dictas, ſed

alias etiam cauſas inſcribebat. De Decretis Comitialibus *Conſtit. Anni* 1667. cavet, ut ſtatim poſt promulgationem per Referendarium Officium Terreſtre vel in certis cauſis antea memoratis, Notarius Decretorum omnia Decreta ad Protocollum referat, nihil addendo nihilque detrahendo, & ut deinde eadem à Referendario ſubſcribantur.

VII. Tandem circa finem Comitiorum, etiamſi ruptorum, per Inſtigatorem Banniti publicantur.

CAPUT. III.

DE JUDICIIS RELATIONUM & ASSESSORIALIBUS.

I.

JUdicium Regium poſt Curiam duplex eſt RELATIONUM & ASSESSORIALE. In illo Regia Majeſtas pro Tribunali ſedet cum Senatoribus & Referendariis, quorum alter primò ſtatum & poſtea deciſum cauſæ refert.

II. Ventilantur in hoc Judicio illæ duntaxat cauſæ, quæ ſunt ultimæ inſtantiæ, quæve in Judicio

dicio Assessoriali agitatæ, & per remissam devolutæ sunt, vel Appellatione, quod rarissime fit, admissibili adinventâ. Nàm assessoriale Judicium tantæ est authoritatis, ut, si non admiserit appellationem à suo Decreto, per partem gravari se sentientem, licet interpositam, non sit integrum prosequi. Nec licet de prosequendâ protestari, neque jam gravaminis ulla querela eo nomine proponi potest. Alioquin, qui temerè citationes impetrare præsumpserit, sessione turris, vel aliâ pœnâ affici debet, juxta Lipscii observationem 92. *Centur.* 1.

III. In ASSESSORIALI autem præsidet Cancellarius Supremus, vel eo absente, Vice-Cancellarius, cum Referendariis, Regenti Cancellariæ, Notario Decretorum Curiæ, & Secretariis Regiis ad id delectis. Cognoscuntur hîc causæ, quæ per viam remissæ vel Appellationis devolvuntur, nisi ex officio Magistratus cujuspiam Civitatis citetur. Immensum etiam chaos actionum fisci spiritualium & aliarum publicarum causarum quotidiè ventilari solitarum videmus, præter eas, quæ ex Appellatione accidunt. *Vid. supra dict. Processum Sigismund. III.* Si causa fisci sit, licet Thesaurario & Notario Thesauri

asſidere, quæ tamen cauſæ ſæpius ad Judicia Relationum remittuntur, niſi Rex prævia informatione ſententiam ferre jubeat.

IV. Notandum, quòd etiam à Palatini Sententia, ad hoc Judicium datur Appellatio, ſi Chriſtianus cum Judæo litigans gravatum ſe ſentiat.

V. Non poſſunt autem hæc Judicia Aſſeſſorialia celebrari, niſi ubi Rex vel in loco, vel intra Palatinatum eſt.

VI. Digniſſima eſt, ut hîc apponatur, laudabilis Ordinatio, quam Juſtinianus Noſter à Tribonianis ſuis compoſitam legit & recognovit, eidemque plenisſimum robur accommodavit:

JOANNES III. Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæque.

SIgnificamus præſentibus Literis Noſtris, quorum intereſt, Univerſis & ſingulis. Quia Nos quotidianis ſupplicationibus & querelis Subditorum

torum Noſtrorum diverſi ſtatus, ſexus, & Conditionis in Regno Noſtro Provinciisque eidem annexis exiſtentium, Injurias & præjudicia ex pravâ quâdam Juri ſcripto ac continuæ omnium ſubſelliorum Praxi contrariâ inordinatâque Conſuetudine in Judiciis Noſtris Regiis, circa Acclamationem & Judicationem Cauſarum & Actionum Forenſium hucusque obſervatâ prætendentium; Cupientes de ſupremâ authoritate & ex vi Legum publicarum unicuique Litigantium ſuo Ordine & ſine reſpectu ſeu delectu Perſonarum debitam quantociùs adminiſtrari & fieri juſtitiam; Commiſimus Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis D.D. Joanni Maſachowski, Epiſcopo Culmenſi & Pomeſaniæ, Pro-Cancellario Regni, Abbatiæ Mogilnenſis perpetuo Adminiſtratori, & Joanni Comiti à Pieskowa Skała Wielopolski Supremo Regni Cancellario Minoris Regni Poloniæ, Generali Cracovienſ. Neoforienſ. Bochnenſ. Capitaneo, quatenus illi pro munere ſuo mutuâ inter ſe Conferentiâ habitâ, modum quo iſta præjudicia & querelæ frequentes ſubditorum Noſtrorum amoveri, debitus verò ordo impoſterum introduci queat, inſiſtendo prioribus Ordinationibus antiquis pro

ratione

ratione præſentium temporum adinvenirent & conſtituerent. Functi itaque Officio iidem Illuſtriſſimi Domini Judiciorum Curiæ Regni Præſides, Cancellarius & Vice-Cancellarius modum præſcripſerunt, ordinarunt, & Nobis eorum Nomine Relationem fecerunt. Proinde Nos, qui in hoc ſolio collocati Vicariâ DEI poteſtate Judicia exercemus, omnia inconvenientia (quibus antea Judicia Regia perturbabantur) longè amovere, Juſtitiam verò Sacroſanctam quàm accuratiſſime unicuique adminiſtrari, reſpectus quosvis & delectum Perſonarum aboleri, & authoritatem dignitatemque Judiciorum Noſtrorum Regalium (quæ ex primævâ ſui origine ſuprema ſunt) conſervare exornareque volentes, præſentem ordinationem in vim perpetuæ Legis non duntaxat ab Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis Judiciorum Præſidibus, verùm & ab omnibus item ſive Activè ſive Paſſivè in Judiciis poſt-Curialibus Noſtris habentibus cujuscunque Status, ſexus, Conditionis, dignitatis & præeminentiæ exiſtentibus obſervandam & tentandam & inviolabiliter exequendam, conformando ſeſe ad novellas conſuetudines & Jura Regni, ſtatuimus & exprimimus, ſancimus, jubemus, edicimus, utque univer-

universi & singuli (cujuscunque status, sexus, Conditionis, dignitatisque fuerint) lites in hocce Regio Subsellio habentes; Nec non omnes Advocati, Causidici, Procuratores, & alii ex quâcunque occasione Judicio Regio assistent, eandem ordinationem in toto observent, manuteneant exequanturq; sub pœnâ, Arbitrio Judicii Regii ejusdem irremissibiliter irrogandâ. **Primum quidem**, ut omnes ad Judicia in causis tàm suis, quàm alienis, accedentes honestè sese gerant, à scommatibus & Verbis injuriosis, tàm contra Adversarium quàm (quod absit) contra Personas Judicii prorsùs abstineant, clamoresque & insolentias non excitent, ebrii non veniant, alioquin insolentiùs sese gerens, vel ebrius accedens, aut sub celebratione Judiciorum excessus aut tumultus faciens, statim tacto Termino citabitur, atque ex Regestro seorsivo tactorum terminorum acclamatus ante omnes causas in recenti judicabitur, & pro clamore & tumultu excitato tribus Marcis Pauperibus ad Hospitale applicandis, pro aliis verò excessibus ex Arbitrio Judicii Regii punietur. **Quoniam autem** in propositione & defen-

ſione cauſæ plurimum bonæ fidei requiritur, admonentur Procuratores, ut cauſas, quibus patrocinantur, diligentiſimè legant, in eisque defendendis ita procedant, ut extra controverſiam neceſſariam nil devium dicant, & omnia quæ aſſerunt, ipſis Actis vel Jure ſcripto aut documenmentis realibus probare, & juſtificare (ſi opus fuerit) ſint parati, Leges, ſi quas eos allegare contigerit, (curare autem debent, ut ſine Lege loqui pudeat,) id fideliter, & diligenter faciant, easquè, quas allegaverint, illi colligant, ad quod libros quibus illæ continentur præſtò habeant, cauſas ſtudio non trahant, illis quorum Patrocinium ſuſcipiunt graves non ſint, litem ex lite non ſerant, ſed quod æqvum fuerit, partibus ſuadeant, cauſas injuſtas non foveant, neque defendant, quod ipſimet iniqvum judicaverint, niſi judicialiter additi, atque ita verſentur in foro, ut Benedictionem DEI præ oculis habendo potiùs laudem Virtutis mereantur, quàm pœnas legales incurrant. Quæ ad cauſam non ſpectant & diſcurſus minùs Neceſſarios omittant, Judicium què non morentur, ſed explicatô verbaliter & ſummatim cauſæ ſtatu, documenta & rationes, quæ cauſam ſalvare aut perimere

mere poſſunt, allegare, producere, ordinatè juxta termini exigentiam (ultra Sphæram Termini ejusdem non divagando) omninò tenebuntur. Ut autem Homines varietate & pluritate cauſarum non onerentur, neque perturbentur, omnes cauſas, quascunque habuerint, ſive ipſi Principales, ſive eorum Procuratores, tempeſtivè ad minimùm pridiè Judiciorum celebrandorum in Regeſtrum (quod in Cancellariâ Decretorum) easdem cauſas in idem Regeſtrum ordinatè ſine delectu, prout ſe quisque priùs indixerit, connotabit, neque ordinem Regeſtri perturbabit. Judicia autem S. R. Majeſtatis & eorum Illuſtriſſimi Præſidentes Cancellarius & Vice-Cancellarius Regni non niſi ex eodem Regeſtro ordine illô quo inſcriptæ fuerint ſuperiores non intermittendo, inferiores non præponendo, acclamari non dent, easdemque taliter ordinatè acclamatas judicabunt, non attentâ quâvis- & quarumvis perſonarum Inſtantiâ, & non ſecundùm merita Perſonarum, nec ſecundùm majoritatem vel minorennitatem cauſarum, ſed juxta ordinem & numerum Regeſtri, prout ſe quis priùs vel poſteriùs inſcribi fecerit, decident. Serventur autem & intimentur

feriæ, applicenturquè dies certi unicuique generi Actionum Forenſium, utpote; Feriâ ſecundâ, ſive die Lunæ cauſæ Juris Magdenburg & Culmenſ. Civitatum in Regno exiſtentium ex Regeſtro ſimplicium, in defectu autem ſimplicium ex Regeſtro Areſtorum Magdeburgenſium. Feriâ tertiâ, ſive die Martis eædem Magdeburgenſes cauſæ ex Areſtorum Regeſtro vel his deficientibus ſimplices acclamentur. Feriâ quartâ die Mercurii itidē Magdeburg. ex Areſtorum Regeſtro, in defectu ex Regeſtro ſimpliciū. Feriâ quintâ die Jovis Cauſæ Pruthenicæ ſimplices & Areſtorum. Feriâ ſextâ die Veneris ſpirituales Ruthenicæ, in defectu harum, Pruthenicæ & Livonicæ ita tamē, ut Menſibus, Januario & Februario Judiciis Ducatus Livoniæ recenter per Legem publicam aſſignatis, Livoniæ ante omnes has die Veneris præferantur; reliquis autem Menſibus in defectu ſpiritualium & Ruthenicarum, judicabuntur eodem die Veneris Pruthenicæ, Sabbatho ſeu die Saturni cauſæ fiſci tàm ex ſimplici, quàm Areſtorum Regeſtro, quod ſi hæ defuerint, Pruthenicæ acclamentur & judicabun-

cabuntur, in defectu porrò Pruthenicalium recurſus fiat ad Regeſtrum Magdeburgenſe, primò ſimplicium, dein Areſtorum, pro reliquo, ſi aliquo die & Feria defuerint cauſæ in Regeſtro aſſignatæ, eo caſu in defectu debiti Regeſtri illæ Cauſæ quæcunque & in quocunque Regeſtro inſcriptæ non judicatæ cauſæ fuerint acclamentur & judicentur. His itaque diebus cauſæ ex Cathalogo Judiciario proponentur, neque quisquam præſumat Illuſtriſſ. Dominis Cancellario, ſeu Vice-Cancellario, Referendario, Notario, aliisq; Perſonis Judicii moleſtus eſſe, ut extra Regeſtrū acclametur. Nemini enim hoc concedetur, nec Jure concedi debet, neque eâ in re reſpectus Perſonarum ullus habebitur. Cæterum hora Judicii Futuri pro temporis opportunitate ſub fine Judiciorum pro futurâ ſeſſione ſemper intimabitur. In cauſis ad relationes Sacræ Regiæ Majeſtatis ſpectantibus Principales litigantes, tàm ex Regno quàm ex Ducatu Curlandiæ & Semigalliæ ipſi vel eorum Procuratores cauſas itidem ad Regeſtrum publicum in Cancellaria Decretorum haberi & ſervari debitum tempeſtivè priùs inſcribant, deinde Status Cauſarum fi-

deliter & diligenter Dominis Referendariis exhibeant, neque in eis quidquam addant, augeantve, quod documentaliter probare non poterunt, alioquin ſi quis res improbabiles aut irreales in ſtatum cauſæ referre auderet, & poſtea à parte adverſa vel ab ipſis Dominis Referendariis in eo convictus fuerit, vel juſſus verba ſua juſtificare actu ipſo controverſiæ non poterit, ſeverè punietur atque in ejusmodi exceſſu ter notatus ab Aula Regiâ excludetur, munusque Procuratoris amittet. **Generoſus porro Notarius** Decretorum idem Regeſtrum ſeu Cathalogum cauſarum fideliter (juxta ejus Officium) inſcriptarum Referendario Regni Judiciis aſſiſtenti, vel aſſidenti præſentabit & tradet: finitis Judiciis ſemper recepturus & ad Cancellariam relaturus, ſecundùm quod Regeſtrum & Numerum ad judicandum per Referendarios acclamabuntur. **Decreta in Judicio Regio** utroque ex ſeriis partium controverſiis prolata ſtatim promulgari debent, neque poſt publicatam ſententiam Informationes ſeu importunæ Inſtantiæ quidquam operentur, niſi manifeſtum aliquod Documentum vel notorietas

tas nova in Judicio non allegata contra rem judicatam adſit; quo caſu Generoſus Notarius ante extraditionem ad Illuſtriſſimum Dominum Cancellarium, qui tunc Judiciis præeſt, vel qui eam cauſam judicavit, referet, illi pro ſuo arbitrio & memoria in rebus lectis Partium ambarum illationibus corrigant, ſubſcribant, & correctam copiam Generoſo Notario remittant. In extradendis autem iisdem Decretis & communicandis Generoſus Notarius ſic procedet. Primùm quod attinet Decreta in contumaciam prolata vel ſimplices approbatorias ſententias in ſe continentes ea Generoſus Notarius absque ullâ hæſitatione extradet, in quibus terminus ordinarius Executionis præfigatur, dum pars partem adcitaverit, pro executione quod arbitrio ſuo juxta Cauſæ Neceſſitatem Generoſus Notarius faciet. Quod ſi Terminum alium quàm duarum aut ſex Septimanarum, vel dum pars partem adcitaverit, præfigi quispiam petierit, id porro fiat conſenſu partis utriusque. Alia verò Decreta, quæ vel ex controverſia partium ex cruda citatione proferuntur, vel quæ aliquam inſignem meliorationem, vel novum aliquod continent,

Gene-

Generoſus Notarius poſteaquam requiſitus fuerit, conceptum maneat dies tres in Manuali non extraditum, intra quos quidem tres dies liceat utrique parti illud legere; quod ſi ad Cancellariam Decretorum Procuratores venire & legere intra hos tres dies noluerint, aut neglexerint, nõ obſtante neglectu aut abſentiâ Procuratoris & parte altera inſtante extradatur. Similiter ſi (poſtquam legerint) contradictio intuitu controverſiarum aut inductioni Proceſſus nulla exorta fuerit, itidem extradatur. Si verò cauſæ ſint majoris importantiæ, neque puncta Decreti Generoſus Notarius in Hoſpitio ſuo concipiat, interim Judicium deliberet. Concepta autem Judici & Aſſeſſoribus exponantur, & publicentur. In Cancellariâ Munimenta, quæ partes pro concipiendis Decretis reddunt, ſeponantur, in iis quærendis & recipiendis nemo audeat etiam in Judiciis circa agitationem cauſæ Munimenta aliena ſurripere ſub gravi animadverſione. Ibidem in Cancellariâ rixæ & contentiones non fiant, alioquin lædens termino tacto citetur, & judicabitur in recenti prout

prout ſupra. Hæc omnia ut firmius ab omnibus obſerventur, præſentem Ordinationem tàm Reverendiſſ. Domini Joannis Maſachowski, Epiſcopi Culmenſ. & Pomeſaniæ, Abbatiæ Mogilenſ. perpetui Adminiſtratoris, qvàm Illuſtriſſimi Domini Joannis Comitis à Pieskowa Skała Wielopolski Supremi Regni Cancellarii Minoris, Poloniæ Generalis Cracovienſ. Neoforienſ. Bochnenſ. Capitanei, à Nobis ad id deſignatorum ex ſpeciali commiſſo Noſtro authoritate & poteſtate Officii Cancellariatus Regni diligenter & accuratè reviſam formatam maturè, trutinatam concluſamque manibus propriis ſubſcribi, Sigillis utriusque Cancellariæ roborari: Inſuper ad Acta Cancellariæ Decretorum referri & ingroſſari. Originale in Archivo literario Regni aſſervari & quotiescunque requiretur, ex Actis in forma authenticâ extradi mandamus, cujus reſcriptum in Cancellaria ſemper in aprico affixum eſto, ut nemo ignorantiæ prætendat, ſed omnes ſciant informenturqve, qualiter procedere & gerere ſeſe debeant. In qvorum majorem fidem præſentes manu Noſtrâ Regiâ ſubſcripſimus.

Actum & Datum Varſaviæ die primâ Menſ. Martii Anno M. DC. LXXX. Regni Noſtri Annoſexto.

JOANNES Rex.

Locus Sigilli Majoris Cancellariæ Regni.

Locus Sigilli Minoris Cancellariæ Regni.

Joannes Wiélopolski, Cancellarius Regni.

Joannes Malachowski, Epiſcopus Culmenſ. & Pomeſaniæ, Vice-Cancellarius Regni.

Caput. IV.

DE TRIBUNALIBUS REGNI & MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ.

I.

Cum olim à Terminis Generalibus ſive Colloquiis (quorum infrà *ſub titulô de Judiciis Caſtrenſibus* mentio fit) ad Regem provocaretur, immenſis litium difficultatibus diſtenta erat Curia:

ria : tandem ergò Rex Stephanus consilio magni Zamoiscii in Comitiis Varsavienſibus Anno 1578. Tribunalia instituit, quæ deinde An. 1581. Magnus Ducatus Lithuaniæ recepit, ut ex Judiciis Terrestribus, Castrensibus, Succamerarialibus, & Commissorialibus provocationes instituerentur, atque sic supra dicta Colloquia sublata sunt. Novum ac insigne libertatis auctarium, decusque, de quò jam Sigismund. Augustus, & Henricus Valesius cogitaverat: nam huncce tanti laboris pertæsum dixisse fertur, per *meam fidem, Poloni isti* faciunt, ut *agam* Judicem *Legis peritum*, in brevi volent, ut *agam etiam* Causidicum. *Piasec. in Chron. pag.* 50. Ordinatio illa Regi Stephano publici favoris & Benevolentiæ plurimùm conciliavit, & iis, qui intimi à Consiliis Regi erant, gratiæ sunt actæ, quòd non disvasissent Regi rem, quæ salutaris futura erat Reipublicæ.

II. Loci ubi Tribunalia in Regno celebrantur, sunt majoris Poloniæ 1. *Petricovia*, quò pertinent Posnanienſis, Calissienſis, Siradienſis, Lenczicienſis, Brestenſ. Inovladislavienſ. Mazoviæ, Pſocenſis, Ravenſis Palatinatus. Ad quod Tribunal Anno 1581. Pruthenici quoque Palatinatus accesserunt. Hi olim ad Regem non appella-

bant, ſed demùm Anno 1521. ſub Sigism. I. provocationes conceſſerunt, exceptis cauſis criminalibus aliisque ſpecialioribus caſibus. Duravit hoc, non obſtante inſtitutione Tribunalis, usque ad Sigismundum Tertium, ſub quô poſtea, ſcilicet Anno 1581. Nobilitas appellationes ad Tribunal Petricovienſe admiſit, ita tamen, ut indifferenter vel ad Conventum Generalem Terrarum Pruſſiæ (qui alternatim Mariæburgi, verno tempore, Grudenti authumnali inſtituebatur) vel ad Tribunal Regni, quod priùs horum celebratum fuerit, provocaretur. Sed & à dictô Conventu ulterior provocatio ad Tribunal permittebatur. Hodiè autem Conventus illi Generales Pruthenici jàm non habentur, adeò, ut ad ſolum Tribunal currant appellationes. 2. Minoris Poloniæ, Lublinum, quo ſpectant, Cracovienſ. Sendomirienſ. Ruſſiæ, Podoliæ, Lublinenſis, Belzenſis, Podlaſienſis Palatinatus, quibus Anno 1589. Palatinatus Volhyniæ & Braclavienſis annumerati ſunt. Nam hi antehac peculiari gaviſi ſunt Tribunali, ſcilicet Luceoriæ cum Palatinatu Kyovienſi, qui ſequenti anno nimirùm 1590. itidem ad Lublinenſe Tribunal accesſit. Videantur dictorum annorum Conſtitutiones.

Deni-

Denique anno 1635. Palatinatus Czerniechoviensis additus legitur *in Constit. dicti anni sub titulô* Ordynacia Woiewodztwa, *&c.* In Magno D. LITHUANIÆ à Stephano quatuor loca, scilicet 1. Vilna 2. Troki 3. Nowogrodcum 4. Minscum ad exercenda Judicia Tribunalitia constituta reperiuntur, sed anno 1588. à Sigismundo Tertio constitutum est, ut ad Vilnense Tribunal transferrentur illæ causæ, quæ judicabantur Trocis, & ad Nowogrodense, quæ Minscii agitabantur, ita scilicet ut alternatim, nempe unô annô Novogrodci, altero anno Minsci, per semestre hybernum Judicia celebrarentur. Samogitia, licet habuerit potestatem constituendi proprium Tribunal, transtulit tamen causas suas ad Vilnense. Incola Majoris Poloniæ non debet citari & trahi Lublinum, & Incola Minoris Petricoviam nec Lithuanus ad Tribunal Regni, & è converso, sub amissione causæ, & pœnâ mille marcarum Polonicalium in eodem forô vindicandâ, exceptis causis recentium solummodò criminum, nisi quis in Regno bona Terrestria habuerit, vel ipse forum benevolè agnoscat. *Constitut. Anno* 1679. *sub Rubric.* Evocatio extra forum.

III. Quoad *tempus* horum Tribunalium ſciendum eſt, quòd in Regno Hybernum Majoris Poloniæ Petricoviæ poſt feſtum S. Franciſci usq; ad Paſcha: Æſtivum verò Minoris, Lublini poſt Dominicam conductus usque ad meſſem celebretur. In Actis tamen Electionis Regis Michaëlis prolongatum eſt hoc Lublinenſe, ſecundum *Conſtit.* 1638. usque ad feſtum S. Thomæ, ad ſeptem Annos, quibus tamen nondum elapſis Anno 1670. alia ordinatio ſubſecuta eſt, qvam referre longum foret, tandem Anno 1676. conſtitutum eſt, ut per integrum annum in loco utroque interrupto curſu exercerentur Judicia eaque per bienniũ durarent. In LITHUANIA tempore æſtivo Parlamentum Vilnæ reſidet, tempore autem hyberno Minſcii, aut Novogrodcii vicibus alternatis. In ſpecie obſervandum, non promiſcuè cauſas judicari, ſed ſingulis Palatinatibus eſſe certum tempus aſſignatum. Videatur pluribus dicta *Conſtit.* 1676.

IV. *Judices* autem ſive, ut communiter vocantur, *Deputati* ſunt ſpirituales & ſeculares, illi à capitulis ſuo loco & tempore, hi in Conventibus Deputationum eliguntur, olim quidem nemine contradicente, nunc autem ferè non ubivis

ex

ex pluralitate votorum, & quidem ex majoribus Palatinatibus (nempe Posnanienſ. Sendomirienſ. Calisſienſ. Ravenſ. Podlachiæ, Mazoviæ, Siradienſi) bini Deputati. Ex Ruſſico, conſtitutum erat, ut duo eligerentur, videlicet unus ex diſtrictu Viſnenſi, alter unô annô ex Halicienſi, altero ex Chelmenſi Territorio, poſtea *per Conſtit. Anno* 1611. *pag.* 25. iſta alternata deſiit, ita, ut ex ſingulis Diſtrictibus ſinguli quovis annô eligerentur, ſed tandem *Conſtit. Anno* 1672. *pag.* 32. priſtinam reinduxit conſuetudinem. In Palatinatu Volhyniæ ſex Deputati, id eſt ex ſingulis Diſtrictibus bini, in Palatinatu Braclavienſi duo eliguntur, totidem etiam in Palatinatu Kyovienſi conſtituuntur. *Conſtit. Anno* 1611. *pag.* 18. Cracovienſi Palatinatui quoque *Conſtit. Anno* 1631, ut duos eligeret Deputatos, conceſſit. Quoad Palatinatum Lublinenſem *per Conſtit.* 1677. ordinatum eſt, ut duos in Tribunali Deputatos haberet, ita ut pro unô Tribunali duo ex Palatinatu Lublinenſi, pro altero autem, unus ex dicto Palatinatu, & alter ex Terrâ Lucovienſi eligerentur. Sic & Palatinatu Lencicienſi dicta *Conſt. Anno* 1670. *pag.* 32. concedit, ut duos Deputatos poſſit mittere; in Palatinatu Czerniechovienſi ex duobus Diſtrictibus

ctibus nimirùm, Czernichovienſi & Novogrodenſi ſinguli deputantur juxta *Conſtit. An.* 1635. Ex Pruſſiæ Palatinatibus ſingulis bini, & duo ſpirituales mittuntur, *vide Conſtit.* 1589. *p.* 514. In Lithuaniâ ex ſingulis Palatinatibus & Diſtrictibus bini conſtituuntur, in reliquis Palatinatibus, ut & Terris, Vielunenſi, Dobrinenſi, Oſwiecimenſi, Zatorienſi, ſinguli tantùm deſignantur. Poſſunt verò deputari Palatini, Caſtellani, aliique Magiſtratus ac Nobiles; munus illorum eſt annuum: per utrumque Tribunal Hybernum & Æſtivum Secularis non niſi quarto demum annô elapsô, Spiritualis autem poſt biennium iterùm eligi poteſt, *vid. Conſt.* 1670. *p.* 50. Nemo autem poteſt eſſe Deputatus, qui cauſam ibi habet, *vid. Conſtitut. Anno* 1611. vel qui aliquô notatus eſt crimine, juxta *Conſtit. Anno* 1673. §. *Deputaci na Sadii.* Si verò aliquis poſt electionem ſui velit cauſam ſuam, vel uxoris & liberorum, tàm ex reatu, quàm actoratu promovere, tunc concedendum non eſt, ſed cauſa ad alterum Tribunal ad regeſtrum, *ex quo Judex*, remitti debet, niſi pars adverſa ſpontè experiri velit, exceptis tamen cauſis violentiarum in perſonis euntis, redeuntis, & Lublini reſidentis Deputati, uxoris, liberorum, famulorum

lorum & bonorum commiſſarum, *vid. plur. Conſt. Anno* 1670. *pag.* 22. Incompatibile eſt quoque eſſe Nuntium ad Comitia, & ſimul Deputatum ad Tribunal eligi, *juxta Conſtitut. Anno* 1616. quæ in Comitiis Grodnenſibus ita declaratur, quòd nullus Deputatus (quamvis actu ipsô ſeſſionem in Tribunali non ceperit) poſſit eſſe Nuntius usque ad exſpirationem functionis ſuæ, uti & Nuntius non debeat fieri Deputatus, niſi poſt Comitiola relationis tàm in Regno, quàm M. Duc. Lithuaniæ; Idem etiam ſtatuitur de Nuntio Terreſtri cujuscunque nationis functionem habenti ab Exercitu. Juxta *allegatam Conſtitut. Anni* 1616. abſens etiam non debet creari Deputatus. Si Judex Terreſtris fuerit electus in Deputatum, alium ſibi in Judicio Terreſtri ſubſtituit, vigore Statuti Lithuanici *art.* 40. Si Judex Terreſtris vel alterius Judicii deputatus ſit, tùm in illa cauſâ, quæ ab ejus Judicio ad Tribunal devoluta eſt, nullum habet ſuffragium *Conſtit. Anni* 1578. Poſtquam electi Deputati ſtato tempore in hoſpitiis à Capitaneo loci diſtributis convenerunt, auditô prius Sacrô Curiam aſcendunt ibidemque à Judicio Terreſtri Siradienſi (in Tribunali Petricovienſi) primò quidem ſpirituales deinde ſecula-

res, juxta ordinem capitulorum & Palatinatuum Terrarumque ad præſtandum juramentum vocantur. In Lithuania juxta Statutum præſtatur jusjurandum coram Terreſtri Caſtrenſique Judiciô: jurant autem, quòd juſtè ſint judicaturi, nulla Conſilia partibus litigantibus daturi, ſecreta Judicii nemini revelaturi, munera non accepturi. Si cuiquam circa hunc actum illegitimitas Electionis objiciatur, tantiſper à jurejurando ſuſpenditur, donec reliqui juraverint. His peractis ſeculares Deputati Mareſchalcum creant, qui aliquando ordinis Senatorii eſt: Spirituales verò Deputati Præſidem ſibi deligunt, atque ſic fundatur Jurisdictio, & de objectione præfatâ ſententia fertur, removendo, ſi legitima, admittendo Deputatum, ſi illegitima fuerit.

V. Rota Juramenti, quod Deputati genua flexi tactâ imagine Crucifixi præſtant, talis eſt. *Ego N. juro, quia juſtè ſecundùm Deum, jus ſcriptum, æquitatem, partium controverſias judicabo; recognitionesque ſuſcipiam, divitis & pauperis, amici & inimici, Civis & Peregrini, diſcrimine ſublatô, & neque favorem, neque odium, neque præmium, neque pœnas mihi propoſita curabo, ſed in judicando ſolum Deum, jus ſcriptum, æquitatem, partium controverſias & recogni-*

tiones

tiones in hisque omnibus conſcientiæ meæ judicium ſequar, & audiam, aliaque negotia mihi incumbentia, fideliter & pro poſſe meô faciam. Practicationes cauſarum cum nemine habebo, neque præmonitiones, neque Conſilium dabo, nec munera accipiam, & quod non ambitiosè quæſiverim, ut ad hæc judicia eligerer, & Secreta Judicii nemini revelabo. Sic me DEus adjuvet & S. Crux Chriſti. In Lithuaniâ jurant cum tali imprecatione: *Uti juſtè juro, ita me DEus adjuvet in Trinitate una; & ſi injuſtè Deus mihi percutiat animam & corpus.*

VI. Pertinent ad hæc Judicia Tribunalitia appellationes, ſive, ut loqvuntur, motiones omnes, à Judiciis Terreſtribus, Succamerarialibus, Capitanealibus, Vice-Capitanealibus, & Commiſſarialibus ratione diviſionum. Non permittitur autem appellatio in executione rei judicatæ, item in recognitione ſummæ tres mille florenos non excedente, pro vulneribus à taxâ capitis Plebei, aliisque quæ *in Conſtit. Anno* 1670. recenſentur. Cives verò & Civitates in cauſis & actionibus merè Jurisdictioni Civili ſubjectas, non debent ad Tribunal citari, ſed tantùm ad Officium competens cum appellatione poſt Curiam, *vid. Conſt. An.* 1633.

VII. Ordinem ſpecialem in Tribunali Lublinenſi obſervandum præſcribit prolixè *Conſtit. Anni* 1670. Porrò *Anno* 1676. conſtitutum eſt, ut per integrum Annum in utroque loco, Petricoviæ & Lublini continuò Judicia exercerentur, idque per biennium. Tandem *per Conſtitut. Anni* 1678. placuit, ut juris publici & Legum periti de antiqua forma reducenda aliquid conciperent, illudque poſtea circa Inſtructionem Regiam Comitiolis communicaretur, ad ulteriorem Ordinationem in Comitiis firmandam, obſervando interim *Conſtit. An.* 1670. neque miſcendo ulla alia Regeſtra inter cauſas Palatinales, atque ut Cauſas fiſci, non *compoſitum Judicium*, ſed *mixti fori* judicaret; illud in Regno ſex ſpiritualibus & ſex ſecularibus Deputatis, in Lithuania verò quaternario utrinque numero conſtat, juxta *Conſtit. Anno* 1641. *pag.* 14. Spectant illuc cauſæ, fundos & proventus Eccleſiaſticos, Monaſteria & capitula ſpectantes, injuriæ exceſſusque Perſonis vel locis Religioſis illatæ. Hoc, ſcilicet *mixti fori*, habet ſex Spirituales, & omnes Deputatos ſeculares: ſpectant huc cauſæ Jurisdictioni Terreſtri ſubjectæ, ratione bonorum & injuriarum Terreſtrium, ſi inter litigantes una vel alterutra Perſona ſpiri-

ſpiritualis, ſed ſi Perſona ſpiritualis inter litis comparticipes in ejusmodi causâ reperiatur, vel ſi cauſæ cum Perſonis ſecularibus ventilari cæptæ & deinde lite pendente in Perſonas ſpirituales, vel ſucceſſiones, vel affectô Jure devolutæ ſint, ſeculare Judicium judicare debet. *Vid. Conſtit. Anno 1607. pag. 835. 836.*

VIII. Citationes debent ſub titulo Regio & Sigillo Terræ illius, in quâ citatus eſt poſſeſſionatus, extradi & ad minimùm duabus ſeptimanis antè terminum per Miniſterialem, ſive præconem publicum poni. *Stephan. in Conſtitut. Anni* 1578. Præponitur autem (uti ad Comitia & poſt Curiam) integer Titulus Regis. Ea enim eſt Gentis Polonæ in Reges veneratio, quod totum id, quicquid Comitia conſtituunt, Tribunalia decernunt, Magiſtratus & jurisdictiones omnes agunt, ſub nomine illorum fiat.

IX. Ne in Regeſtris Tribunalitiis variationes contingerent, conſtitutum eſt *Anno* 1618. *pag.* 6, ut Regeſtrum Tribunalitium ordinatè ſecundùm numerum ſcriberetur, & ſic partibus poſtulantibus gratis extraderetur. Si verò Notarius in favorem alicujus hanc ſeriem turbaverit, pœnam *Conſtit. Anni* 1618. in eodem judicio per ter-

minum tactum urgendam incurrit. Si ille vel ante, vel intra curſum Judiciorum moriatur, debent Deputati ex medio ſui aliquem Deputatum eligere, qui prævio Juramento, hoc munere fungatur. *Conſtit. An.* 1616. *pag.* 43.

X. Decreta ſignantur Sigillo illius Terræ, ubi Tribunal celebratur. Si reus Decreto non paruerit, damnatur in duplum, quod per lucrum apud Lithuanos Pereſudi vocatur, ſi nec illud ſolverit, actor opem Capitanei ejus Territorii, ubi reus bona habet, implorat, ex cujus Decreto bona Actori poſſidenda traduntur, ſub certa mulcta, quod *Vadium* appellant, ſi reus prohibuerit, quæ deinde ſucceſſivè duplicatur & triplicatur. Occurrendo inconvenientiis, declaratur *per Conſtit. Anno* 1670. *pag.* 22. ne Tribunal pœnas pro parte Judicii ultra Vadium Capitaneale ſimplex, & quidem (ubi vigor Juris hoc ipſum exigit in cauſis majoris importantiæ & contraventionum) decernat, ſed easdem parti injuriatæ juxta cauſarum merita adjudicet.

XI. Summa iſtius Judicii Reverentia eſt, qui enim cauſam ibi habet, non ultra metquartus ſe ſiſtere poteſt, & nemini, niſi tantummodo Judicibus, operto capite in illo Juſtitiæ domicilio ſtare,

ſtare, vel ſedere licet, niſi quis rogatus fuerit. Solenne etiam illud in iſtâ Supremâ Camerâ hic annoto, quòd non modò Magnatum, ſed Regum ipſorum literæ, non niſi poſt latam ſententiam, reſignentur. Dum autem vota expediuntur, nulli planè intereſſe conceditur, & Judices Terreſtres, etſi ſuffragio careant, jurare nihilominùs ſuper non revelandis Secretis Judicii tenentur.

XII. Decreta verò non debent in dubium vocari, neque in judiciis poſt-Curialibus vel Comitialibus tolli & caſſari, *juxta Conſtit. Anni* 1607. Illorum, quæ ante mortem Regis lata ſunt, Executio differtur poſt Coronationem novi Regis, poſt qvam, duabus ſeptimanis Tribunalitia denuò inchoantur. Judicia, etiam tempore Comitiorum celebranda, ad qvæ interdùm ex paritate ſententiarum cauſæ remittebantur, ſed *Conſtitut. Anni* 1607. *pag.* 8040. ejusmodi cauſas ad proximum Tribunal remiſit, ut ſtatim ab initio poſt Juramentum præſtitum ex ſpeciali Regeſtro deciderentur: Nova tamen emergentia ad Comitia remittenda, ibidemqve decidenda veniunt, tenore Conſtitutionis allegatæ.

XIII. Singulare eſt, qvòd Deputatis Tribuna-

bunalitiis non liceat diebus feriatis convivia parare, vel iisdem intereſſe, ſecundùm Acta Elect. Reg. Michaël.

XIV. Tempore autem Expeditionis Generalis, uti omnia, ita & Tribunalitia ſilent Judicia. Quando enim Regia Majeſtas ante extraditionem Univerſalium tertiarum Tribunal compellat, limitari debet. Caſtrenſia autem & Querelarum, aliaque quævis Judicia usque ad publicationem tertiarum Univerſalium durant, poſtea ſtatim ceſſant. *Conſtit. Anni* 1634. *p.* 4.

Cap. V.

DE TRIBUNALIBUS THESAURI.

I.

ANtehac in Comitiis à Quæſtoribus rationes exigebantur, ſed cum ob brevitatem temporis, & magnas difficultates Reſpublica Anno 1613. huic negotio vacare non poſſet, conſtitutum eſt dictô annô Judicium, quod Tribunal Theſauri vocatur, in Regno quidem Radomiæ, in Magno autem Ducatu Lithuaniæ Vilnæ Judices ſunt,

sunt, præter Thesaurarios, aliquot Senatores in Comitiis ad hoc deputati, uti etiam ex singulis Palatinatibus & nonnullis Terris (Dobrinensi, Vielunensi, Chelmensi, Halicienſi) singuli Nuntii. In Mazoviæ, Podlachiæ, atque Ravensi Palatinatibus, quoniam aliquot sunt Terræ, alternata obtinet Electio. In Magno Ducatu Lithuaniæ itidem ex Palatinatibus non tamen ex Districtibus singuli eliguntur Deputati. Aliquando in Comitiis solummodò ex Ordine Senatorio constituuntur Deputati, Nobilitas autem suos in Comitiolis post-Comitialibus eligit, & hoc casu etiam illis de salario prospicit, quòd aliàs ex Thesaurô assignatur, vid. *Constit. Anno* 1638. 1655. 1670. & *Anno* 1674. Tempus horum Judiciorum quandò, & quamdiu celebrari debeant, in Comitiis definitur, & antequam inchoëntur, præstant Deputati de judicando juxta Rotulam, in dicta *Constit. Anni* 1613. cui *Constitut. Anni* 1677. *pag.* 7. hoc adjecit, quòd jurantes Deputati cum subditis suis nihil contributionum debeant, hôc præstitô Judicia exercent, & de Contributionibus, earumque Collectoribus, quibuscunque cognoscunt, & quietantias extradunt, de quo prolixius agit *Constit. Anni* 1631. *pag.* 13. item *Constit. An.* 1634. *pag.* 5.

Si verò Collector Contributionum non ſatisfecerit Theſauro, cum Summâ retentâ aliam ſimilem Summam in inſtanti ſolvere tenetur ſub pœna peculatus, quæ in defectu ſuper ipſo decerni, ac publicari, & pro Executione ad loci Capitaneum remitti debet, Sigismund. III. *Conſtitut. Anni* 1634. *pag.* 5. Habent decreta hujus Tribunalis parem cum Tribunalitiis aliis authoritatem. Præter hæc Generalia Judicia quandoque in Palatinatibus, ubi retentores ſunt, Deputati in Comitiolis Relationum eliguntur, qui Judicia de Collectoribus & Suc-Collectoribus exercent, eadem tamen unâ ad minimùm ſeptimanâ ante Tribunal Radomenſe finire debent. Ne autem ad hanc functionem Exactores contributionum denominentur, cavet *Conſtit. Anni* 1667. Aliquando hoc Leopoli Theſauri Tribunal expeditur, ita, ut iidem Deputati ſimul etiam Commiſſionem ad exſolvenda Militibus ſtipendia peragant; ubi judicantur Milites, qui in Caſtris non comparuerunt, & qui damna, & injurias intulerunt, tranſitu, ſtatione, vel exactione quâcunque illegitimâ; aſſident his Judiciis etiam Duces Belli, & duo ab Exercitu electi Deputati, vid. plur. *Conſtitut. Anni* 1622.

CAP.

Caput. VI.
DE JUDICIIS MARESCHALCALIBUS.

I.

EXercet hæc Judicia Supremus, vel in absentiâ ejus, Curiæ Mareschalcus, ita tamen, ut causæ prius apud Judicem Mareschalcalem ventilentur, ab eoque per appellationem vel per remissam ad Mareschalcum ipsum devolvantur.

II. Pertinent verò ad illa omnes Curienses, tàm, qui Regiæ Majestati, quàm Senatoribus & Officialibus in Curiâ degentibus ad obsequia sunt, ratione omnium & singularum differentiarum in Curiâ Regis & sub ejus brachiô etiam tempore Comitiorum, usu venientium, tàm Criminalium quàm Civilium. Conveniuntur etiam coram hoc Judiciô advenæ, cujuscunque sint status & conditionis sub præsentiâ Regis, & illi, qui contra pretia rerum â Mareschallis instituta peccant. Hoc forum ultimæ est instantiæ, & cum aliqua est causa majoris momenti, non per viam appellationis, sed informationis sententia Regia exposcitur, ut ex authoritate Augustâ ambiguum manifestetur.

III. Articuli Judiciorum Mareſchalcalium in Conſtitutione noviſſimâ Grodnenſi typis excuſſi, & approbati leguntur, cum declaratione, quòd Officiales Mareſchalcales, Judex & Notarius eâdem ſecuritate, quâ Nuncii Terreſtres gaudere, & à judiciis quorumvis ſubſelliorum, tempore Comitiorum ſcilicet quatuor ante Comitia ſeptimanis, & totidem poſt eadem finita, tàm in Regnô, quàm Magno Ducatu Lithuaniæ excepti eſſe debeant.

CAPUT. VII.

DE JUDICIIS MILITARIBUS DUCUM EXERCITUS.

HAbent Exercituum Duces poteſtatem animadvertendi in Milites, pro gravitate delicti, nec ab eorum Judiciô admittitur appellatio, ut diſciplina Militaris, quæ eſt fulcrum Reipubl. in integro conſervetur, reſtricta tamen eſt nonnihil poteſtas illa in quibusdam, uti ex Capite qvinto patet. Habet etiam Tribunal Regeſtrum Cauſarum Militarium.

CAP.

Cap. VIII.

DE JUDICIIS CAPTURALIBUS.

QUandò & quomodò Judicia hæc tâm particularia, quàm Generalia celebrentur, jàm supra Libro primo de Inter-Regno dictum est.

Caput IX.

DE JUDICIIS TERRESTRIBUS.

I.

TErreſtre Judicium tres Perſonæ Judex, Sub-Judex, & Notarius, conſtituunt. Cùm hoc Judicium ſit Nobilitatis proprium, Judices illa non ſimpliciter accipit ſed eligit, hôc ſcilicet modô: Cum aliquis horum, vel fatô exſpirat, vel fortunâ ad aliud Officium adſpirat, ſignificat illud Nobilitas Palatino, vel in abſentiâ ejus Caſtellanô ejusdem Palatinatus aut Terræ: qui intra ſex hebdomadas, Nobilitatem ad locum Electionis convocat, ubi illa quatuor Nobiles ibidem poſſeſſionatos eligit, atque deinde Regi commendat, qui ex illis unum pro libitu confir-

mat. *Conſtitut. Anni* 1550. Antequàm autem ſeſſionem capiant, tenentur in primis terminis coram Palatinô vel Caſtellanô, & in iſtorum abſentiâ, coram Officialibus Terreſtribus, & Nobilitate Juramentum præſtare, ſub pœnâ privationis Officii. Notandum hîc, quòd Senatores aliique Officiales Terreſtres, hujus functionis ſint incapaces, nec etiam ſpirituales Perſonæ eligi poſſint, *vid. Conſt. An.* 1562. Quia quodlibet Officium ſua habet negotia, ideò etiam Judices & Notarii Terreſtres Caſtrenſia Judicia, vel Notariatus unà cum Terreſtribus poſſidere nequeunt, *Sigismund. Auguſt. Anno* 1550. Quod tamen Sub-Judex Terreſtris poſſit ſimul habere caſtrenſe Officium, patet ex *Conſtit. Anni* 1658. Unô iſtorum Judicum abſente, in Regno non poſſunt Judicia haberi, in Lithuaniâ verò licet tertium in locum abſentis ſubſtituere; Si unus ex ſæpè dictis Judicibus actionem in eodem Judiciô habet, poteſt alium poſſeſſionatum ſine ſurrogatione Regiâ & absque Juramentô ſubſtituere; *Conſtitut. Anni* 1557. *pag.* 9. In Pruſſia præter Judicem & Notarium, aſſident octo ſcabini Nobiles poſſeſſionati & jurati, inter quos Palatinatus Culmenſis etiam duos Conſulares Viros è Civitate Thorunienſi admit-

admittit, prævia etiam Electione isti Judices constituuntur, ita quidem, ut Judex deinde à Rege confirmetur, scabini verò simpliciter id est sine confirmatione Regis admittantur, *vid. Jus Terreſtre Nobil. Pruth. numero* 15. 17. & 21.

II. Sunt verò isthæc Judicia Sądii Ziemskie suis locis & temporibus in Lege descriptis celebranda, sub nullitate Decretorum *Constit. Anni* 1565.

IN POLONIA MAJORE.

Posnaniens. Palatinatus habet districtus duos, Kostenſ. & Wſchovienſ. Posnaniæ alii termini celebrantur Feria secunda post Festum S. Bartholomæi: alii Feria secunda post Festum Nativitatis B. Virginis Mariæ. Kostens. verò à singulis Posnanienſ. post duas Septimanas, At Wschoviens. à singulis Kostenſ. post unam septimanam.

Kalisiens. Quoniam ad terminos Terrestres interveniebant Contractus circa Festum S. Johannis, ideòque isti termini, qui post Festum Sanctissimæ Trinitatis celebrabantur, ad diem Lunæ post Dominicam Exaudi eô Ordine in Di-

stricti-

ſtrictibus uti antehac per *Conſtit. Anni* 1647. translati ſunt. Koninenſ. poſt Feſtum Sanctisſimæ Trinitatis, poſt elapſam ſeptimanam Pysdrenſes; deinde Gneſnenſ. & Kczinenſ. & Naklenſ. unâ ſeptimanâ, habendi ſunt. In autumno verò poſt Feſtum Michaëlis antiqua conſervatur cadentia.

Siradiens. habet diſtrictus tres: Petricovienſ. Radomſcienſ. Szadkovienſ. Siradiæ Primi termini judicantur, Feria ſecunda poſt Epiphaniæ. Secundi Feria ſecunda poſt Conductus Paſchæ. Tertii feria ſecunda poſt Nativitatis Beatæ Mariæ, quos ſeqvuntur Szadkovienſ. & alii in aliis diſtrictibus, *vid. Conſtit. An.* 1613. *pag.* 11.

In hoc Palatinatu eſt Terra Wielunenſ. quæ habet diſtrictum Oſtrzyſzovienſ. Wielunii Termini celebrantur à ſingulis, Siradienſ. poſt duas ſeptimanas. Oſtrzyſzovienſ. à ſingulis Wielunenſ. poſt ſeptimanam.

Lanciciens. habet diſtrictus duos: Brzezinenſ. & Orłowienſ. Lanciciæ Judicia peraguntur. Prima, Feria ſecunda poſt S. Agnetis. Secunda, Feria ſecunda poſt Feſtum Aſcen-

Aſcenſionis. Tertia, Feria ſecunda poſt S. Michaëlis Brzezinenſ. termini â ſingulis Lancicienſ. poſt duas ſeptimanas, quos ſeqvuntur Orſovienſes.

Brzestens. habet diſtrictum Wladislavienſ. Brzeſtenſ. Termini primi, Feria tertia proxima poſt S. Joannis Baptiſtæ. Secundi, Feria tertia poſt Nativitatis B. Virginis Mariæ; Tertii, Feria tertia poſt S. Agnetis. Wladislaviæ â ſingulis Brzeſtenſ. poſt unam ſeptimanam.

DOBRZYNENS. Terra, Primi, Dobrzyniæ Feria tertia poſt Sancti Matthiæ. Deinde Lipniæ Feria ſecunda proximè ſequenti: tandem Ripiniæ Feria ſecunda poſt octiduum. Secundi termini, Dobrzyniæ, Feria tertia ante S. Joannem. Lipnenſ. & Ripinenſ. ut ſupra.

Plocens. habet duos diſtrictus: Raciążenſ. & Plonſcenſ. Płociæ termini judicantur; Primi, Feria ſecunda poſt Dominicam Rogationum. Secundi, poſt S. Michaëlis. Tertii, Feria ſecunda antè S. Agnetis. Raciąſiæ proxima feria quarta poſt Pentecoſtes. Plonſciæ, Feria ſecunda poſt S.S. Trinitatis.

SAWKRZENEN: Primi termini, Feria ſecunda poſt Corporis Chriſti in Srzensko. Secundi, Feria ſecunda poſt S. Lucam. Tertii, Feria ſecunda poſt Dominicam Rogationum.

MASOVIENS: Hujus diſtrictus ſunt: Czerſcenſ. Warſchavienſ. Viſcenſ. Wyſsogrodienſ. Zakrocimenſ. Ciechanovienſ. Lomzenſ. Rozanenſ. Livenſ. Nurenſ.

Termini Terreſtres Czerſcenſ. Primi, Feria ſecunda poſt Miſericordiæ. Secundi, Feria ſecunda poſt Joannis Baptiſtæ. Tertii, poſt Franciſci celebrantur: quos in Grodziec: Warka & Garvvolin alii immediatè ſequuntur.

Terreſtres Warſchavienſ. termini: Primi, in Bſonie, Feria ſecunda poſt S. S. Trinitatis. Secundi, poſt Franciſci. Tertii, ibidem Feria ſecunda poſt Dominicam Invocavit celebrantur. Singulos autem Warſchavienſ. Tarczynenſ. immediate ſequuntur.

Termini Terreſtres Viſcenſ. Primi, Feria tertia poſt S. Stanislai in Majo. Secundi, Feria tertia poſt feſtum S. Matthæi. Tertii, ibidem Feria tertia poſt Trium Regum celebrantur. Singulos

gulos autem Wąsocenſ. in duabus ſeptimanis, hos item Radzielowienſ. itidem in duabis ſeptimanis ſequuntur: ita tamen, ut quoties Tribunal ſub tempore tertiorum terminorum Palatinatum Maſoviæ judicaverit, ii termini tertii omittuntur.

Termini Terreſtres Wyſogrodienſ. Feria tertia poſt Conductus Paſchæ, poſt Octavas Corporis Chriſti, & Michaëlis celebrantur.

Termini Terreſtres Zakrocimenſes, Primi, Feria ſexta poſt Dominicam Invocavit. Secundi, Feria ſexta poſt S. S. Trinitatis. Tertii, Feria ſexta poſt Matthæi celebrantur.

Terreſtres Ciechanovienſes. Primi, in Sąchocim, Feria ſecunda poſt Philippi & Jacobi. Secundi, Feria ſecunda poſt S. Bartholomæi. Tertii, ibidem Feria ſecunda poſt Epiphaniarum celebrantur, quos ſemper Ciechanovienſ. proxima Feria quinta; Prasnicenſes verò ab Actu terminorum Ciechanovienſium, in quatuor ſeptimanis ſequuntur. *Vid. Conſtitut. Anno 1616. pag. 25.*

Termini Terreſtres Lomzenſes. Primi, Lomzæ Feria ſecunda poſt Dominicam Re-

miniſcere. Colnæ verò Feria quinta poſt Dominicam Lætare. Secundi, Lomzæ in craſtino SS. Trinitatis. Colnæ verò Feria quinta poſt feſtum S. Joannis. Tertii, Lomzæ poſt Feſtum S. Matthæi. Colnæ verò Feria quinta poſt Feſtum S. Lucæ.

Termini verò Zembrovienſes: Primi, Feria quinta poſt Feſtum Epiphaniarum. Oſtrołęcenſem verò Feria tertia poſt Dominicam Reminiſcere. Secundi, Zembrovienſ Feria quinta poſt Pentecoſtes. Oſtrołęcenſ. Feria ſecunda poſt feſtum S. Margarethæ. Tertii, Zembrovienſ. quinta ante Hedvigis. Oſtrolecenſ. Feria ſecunda poſt Feſtum S. Nicolai celebrantur.

Termini Terreſtres Rozanenſes in Rozanovv: Primi, Feria ſecunda poſt Dominicam Invocavit. Secundi, Feria ſecunda poſt Corporis Chriſti. Tertii, Feria ſecunda poſt Michaelis celebrantur: quos ſemper Makovienſes quatuor ſeptimanis ſequuntur.

Termini Terreſtres Nurenſes. Primi in Nur, Feria tertia, poſt Circumciſionis Domini.

Came-

Camenecienſes, Feria ſecunda poſt Purificationis Mariæ. Oſtrovienſes Feria tertia poſt Dominicam Lætare. Secundi in Nur, tertia poſt Dominicam Conductus Paſchæ. Camenecenſ. Feria ſecunda poſt S. S. Trinitatis. Oſtrouienſ. Feria tertia poſt S. Ioan. Baptiſtæ. Tertii, in Nur, Feria tertia poſt Feſtum S. Matthæi, Camenecenſ. Feria ſecunda poſt Simonis. Oſtrovienſ. Feria ſecunda poſt feſtum S. Heliſabethæ celebrantur.

Raven. Termini celebrantur: Primi, Feria ſecunda poſt Reminiſcere. Secundi, poſt Pentecoſtes. Tertii, poſt Michaelis. Habet duos diſtrictus: Sochacovienſem, & Goſtinenſem. Sochacoviæ termini judicantur. Primi, Feria tertia poſt Dominicam Invocavit. Secundi, Feria tertia poſt SS. Trinitatis. Tertii, Feria tertia Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ. Goſtini termini celebrantur. Primi, feria ſecunda poſt Oculi. Gabini proximè poſt unam ſeptimanam. Secundi, Feria ſecunda poſt Octavas Corporis Chriſti. Tertii, Feria ſecunda poſt feſtum Sancti Bartholomæi.

Terra Prussiæ. Judicia Terreſtria,

juxta correcturam Jurium in Terra Pruſſiæ ſuſceptam tali modo celebrantur.

In Palatinatu Culmensi, Radzyni & Torunii bis in Anno. Primo, Feria ſecunda poſt feſtum Corporis Chriſti Radzyni. Secundo, Feria ſecunda poſt Feſtum S. Hedvigis Thoruni.

In Michaloviens. autem ſeptimana una ſemper poſt Culmen. Judicia celebrantur, & alternatim Brodnici & Neophori.

In Mariæburgens. Sztumæ. Primo, Feria ſecunda poſt Conductus Paſchæ. Secundo, Feria ſecunda poſt Lamperti.

In Palatinatu Pomeraniæ ſingulis diſtrictibus Judicia itidem habentur bis in anno: & Dirſchavienſia quidem Starogardiæ. Primo, Feria ſecunda poſt feſtum Circumciſionis Domini. Secundo, Feria ſecunda poſt feſtum S. Lucæ Evangeliſtæ. In aliis itidem diſtrictibus locis conſvetis, ita nimirum, ut Svecenſ. duabus Septimanis Dirſchavienſ. ſubſequantur. Poſt Svecenſia verò aliorum porrò diſtrictuum, una ſeptimana invicem ſe conſequantur; quæ ſi in

diem

diem feſtum inciderint, Feria ſecunda ſubſequente celebrentur.

IN MINORI POLONIA.

Palatinatus Cracoviens. habet Diſtrictus ſex: Cracovienſem, Proſſovienſem, Xiężen. Lelovien. Czchovienſ. Bieczenſ. In quibus Diſtrictibus unus Judex terminos Judiciorum obit, iis temporibus.

Cracoviæ. Primi termini celebrantur Feria ſecunda poſt Circumciſionis. Secundi, Feria ſecunda poſt Dominicam Invocavit. Tertii, Feria ſecunda poſt S. S. Trinitatis. Quarti, Feria ſecunda poſt S. Michaelis.

A quibus ſingulis Cracovienſibus terminis, in aliis Diſtrictibus his temporibus judicantur. Proſſovienſ. poſt unam ſeptimanam à Cracovienſ. qui Feria ſecunda initium ſumunt. Xiężiæ verò quartâ die â Proſſovienſ. qui feria quinta incipiunt. Leloviæ à Xiężens. Feria tertia proximâ. Czchoviæ à Leloviens. poſt unam ſeptimanam, qui Feria tertia inchoantur. Bieciæ à Czchovienſ. proxima Feria ſecunda.

In

In eodem Palatinatu eſt Terra Osvviecimenſis, quæ ſuum Judicem habet, qui Zatori terminos celebrat his temporibus. Primos, Feria quinta, inter quatuor temporum dies, quæ ſunt poſt Dominicam Invocavit; Secundos, Feria quinta inter quatuor temporum, quæ ſunt poſt Pentecoſten. Tertios, Feria quinta, inter quatuor temporum, quæ ſunt poſt Exaltationis S. Crucis. Quartos, Feria 5. inter quatuor temporum, quæ ſunt poſt S. Luciæ.

Palatinatus Sandomiriensis habet diſtrictus ſex; Sandomirienſ. Radomienſ. Opoczenſ. Checinenſ. Wislicienſ. Pilznenſ., in quibus Diſtrictibus unus Judex terminos judicat his temporibus. Sandomiriæ primos, Feria ſecunda poſt S. Priſcæ. Secundos, Feria ſecunda poſt Dominicam Oculi. Tertios, Feria ſecunda poſt Corporis Chriſti. Quartos Feria ſecunda poſt S. Franciſci.

A ſingulis autem Sandomirienſ. terminis, in aliis diſtrictibus his temporibus judicantur. Radomiæ poſt ſeptimanam unam à Sandomirienſ., qui feria ſecunda incipiunt.

piunt. Opoczyniæ poſt unam ſeptimanam à Radomienſ. qui etiam feria ſecunda exordium ſumunt. Chęcinis ab Opoczynenſ. proxima feria ſexta. Wisliciæ à Chęcinenſ. Feria ſecunda, qui integram ſeptimanam perdurant. Pilznæ à Wislicienſ. poſt ſeptimanam, qui etiam feria ſecunda incipiunt.

In eodem Palatinatu eſt Terra Stęzicenſis, quæ habet proprium Judicem, is Stęzyciæ terminos his temporibus celebrat. Primos, feria ſecunda poſt Dominicam Conductus Paſchæ. Secundos, feria ſecunda poſt S. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Palatinatus Russiæ habet Terras quinqve, Leopolien. Przemyslienſ. Sanocenſ. Chelmenſ. Halicienſ., cujusqve Terræ eſt ſuus Judex. In quibus Terris & earum Diſtrictibus termini his temporibus judicantur.

In Leopolienſi Terra, quæ habet Diſtrictus duos, Leopolienſ. & Zydacovienſ. Leopoli primi termini, Feria quinta poſt trium Regum. Secundi Feria quinta poſt Na-

tivitatem Joannis Baptiſtæ. Tertii Feria quinta poſt Michaelis. Zydaczoviæ, primi Termini à Leopolienſibus poſt ſeptimanas tres & dimidiam: qui feria ſecunda inchoantur. Secundi, ſimiliter à Leopolienſibus poſt tres ſeptimanas & dimidiam: qui etiam feria ſecunda principium ſumunt. Tertii, Feria ſecunda poſt S. Hedvigis.

In Præmyslienſi Terra, quæ habet duos Diſtrictus, Præmyslienſ. & Prævorſcenſ. Præmysliæ primi termini, Feria tertia poſt S. Agnetis. Secundi, Feria tertia poſt Conductus Paſchæ. Tertii, Feria tertia poſt S. Margaretæ. Quarti, feria tertia poſt S. Lucæ. Prævorſciæ primi termini Præmyslienſ. qui celebrantur poſt S. Agnetis, poſt tres integras ſeptimanas, incipiunt Feria tertia poſt feſtum S. Dorotheæ. Secundi, Feria tertia poſt Dominicam Cantate. Tertii, Feria tertia poſt feſtum S. Petri vinculati. Quarti, Feria tertia poſt S. Martini.

In Sanocenſi Terra, in qua unus tantum-

tum Diſtrictus, Sanociæ. Primi termini, feria tertia poſt S. Dorotheæ. Secundi, feria tertia poſt S. Laurentii. Tertii, feria tertia poſt S. Michaelis.

In Chelmenſi Terra, quæ habet duos Diſtrictus, Chelmenſem & Crasnoſtavienſem. Chelmæ primi termini, feria ſecunda proxima poſt S. Agnetis. Secundi, feria ſecunda poſt S. S. Philippi & Jacobi. Tertii, feria ſecunda inter Octavas Corporis Chriſti. Quarti, feria ſecunda ante Nativitatem B. Virginis Mariæ.

Crasnoſtavien: à ſingulis Chelmenſibus Terminis, poſt duas ſeptimanas: qui etiam Feriis ſecundis incipiunt.

In Terra Halicienſi, quæ habet duos Diſtrictus: Halicienſem & Trebovelenſ. Haliciæ, primi termini feria ſecunda poſt purificationis B. Virginis Mariæ. Secundi, feria ſecunda poſt S. S. Trinitatis. Tertii, feria ſecunda poſt S. Martini.

Trembovvle à ſingulis Halicienſ. Terminis, poſt duas ſeptimanas; qui etiam feriis ſecundis incipiunt.

Palatinatus Podoliæ uno tantum in locô termini celebrabantur. Kameneciæ, primi, Feria quinta poſt S. Agnetis. Secundi, feria quinta poſt S. Stanislai in Majo. Tertii, feria quinta poſt Omnium Sanctorum. Sed per Conſt. 1641. p. 28. injunctum eſt illi Judicio Terreſtri, ut poſt quamlibet cadentiam Terminorum Camenecenſium in ſpacio trium ſeptimanarum etiam Laticzoviæ judicaret.

Palatinatus Lublinensis habet Diſtrictus duos, Lublinenſem, Urzędovienſem: in quibus unus Judex terminos judicat. Lublini, primi termini, feria ſecunda poſt Circumciſionis. Secundi, feria ſecunda poſt Michaelis. Tertii, feria ſecunda poſt Sanctum Matthæum.

Urzędovii à ſingulis Lublinenſibus Terminis poſt duas ſeptimanas: qui etiam feriis ſecundis incipiunt.

In hoc Palatinatu eſt Terra Lukovien-

vienſis, quæ habet ſuum proprium Judicem; qui Lukovi Terminos celebrat his temporibus. Primos, Feria ſecunda poſt Sanctorum Trium Regum. Secundos, feria ſecunda poſt S.S. Trinitatis. Tertios, feria ſecunda poſt S. Lucæ Evangeliſtæ.

Palatinatus Belzensis, habet Diſtrictus tres: Belzenſem, Grabovecenſem, Horodlenſ. in quibus unus Judex Terminos obit his temporibus. Belzæ, primi termini, Feria ſecunda poſt Circumciſionis. Secundi, Feria ſecunda poſt S. Adalberti. Tertii, Feria ſecunda poſt Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ. Quarti, feria ſecunda poſt S. Hedvigis. Graboveciæ, à ſingulis Beſſenſ. poſt duas ſeptimanas: Qui etiam feriis ſecundis incipiunt. Horodlæ, à ſingulis Grabovecenſ. in eadem ſeptimana feriis quintis incipiunt. Anno tamen 1616. p. 25. ordinatum eſt, ut Judicia Horodlenſia non amplius Horodlæ, ſed Graboveciæ ſimul & ſemel celebrarentur.

In eodem Palatinatu eſt Terra Buſcenſis: quæ habet ſuum Judicem, qui Buſcæ

terminos indicat, à ſingulis Belſenſ. poſt unam ſeptimanam proximam: qui etiam feriis ſecundis initium ſumunt.

Palatinus Podlachiæ habet Terras tres: Drohicenſem, Mielnicenſem, Bielçcenſem, quælibet ſuum ſeorſim habet Judicem, in quibus termini celebrantur, Judex Drohicienſis terminos judicat. Primos, feria ſecunda poſt Michaelis. Secundos, Feria ſecunda poſt Circumciſionis. Tertios, Feria ſecunda poſt Dominicam S.S. Trinitatis. A ſingulis terminis actorum expoſitio durat quatuor ſeptimanas. Sed per Conſt. An. 1631. p. 29. propter commoditatem illorum qui trans flumen Bug dictum habitant, ordinatum eſt, ut Judicium Drohicenſe ſeptimanâ poſt iſta Judicia Miedzyleſiæ judicaret.

Melnici Judex Melnicenſis terminos celebrat. Primos, Feria ſecunda ante Michaelis. Secundos, in craſtino die S. Agnetis. Tertios in una ſeptimana poſt feſtum S. Gregorii.

In Terra Bielſcenſi ſunt tres Diſtriſtrictus, Branſcenſ. Surazenſis, Tykocienſis: In quibus Judex terminos celebrat his tempo-

poribus. Branſcæ, Primos, feria ſecunda poſt Circumciſionis. Secundos, feria ſecunda poſt Conductus Paſchæ. Tertios, feria ſecunda poſt S. Michaelis. Surazium, à ſingulis Branſcenſ. terminis, protinus, atq; eos abſolverit, Judex judicare proficiſcitur.

Tykocini Primi termini, feria ſecunda poſt Dominicam Invocavit. Secundi, feria ſecunda poſt Dominicam S. S. Trinitatis. Tertii feria ſecunda poſt S. Martini.

Palatinatus Kyovienſ. Volhynienſ. Braclavienſ. non Polono Jure; nec Proceſſu Judiciario Polono in Judiciis utuntur; ſed Magni Ducatus Lithvaniæ, in quibus Termini his temporibus judicantur.

Palatinatus Kyoviensis habet Diſtrictus tres: Kyovienſ. Zytomirienſ. Houruceníem, in quibus unus Judex terminos celebrabat. In primis Zytomiriæ, feria ſecunda poſt Circumciſionis. Deinde Kyoviæ, feria ſecunda poſt S. Georgii. Deniqve Houruciæ, feria ſecunda poſt S. Bartholomæi. Sed anno 1607. conſtitutum & Anno 1609, reaſſumptum eſt, ut tantum

tum Kyoviæ haberentur termini, ſicqve per Conſt. An. 1677. p. 17. ordinatum eſt, ut termini Kyovienſes Zytomiriæ & Obruciæ celebrarentur, donec Kyovia ad Regnum redierit.

Palatinatus Volhinensis habet Diſtrictus tres, Luceorienſem, Wlodimirienſem, Krzemenecenſem: ſinguli habent ſuum ſeparatim Judicem, in quibus Judicia celebrantur. Luceoriæ, prima, pro feſto Epiphaniarum Domini. Secunda, pro feſto S.S. Trinitatis. Tertia, pro Feſto S. Michaelis.

Wlodimiry à ſingulis Luceorienſibus terminis, per tres ſeptimanas: Krzemeneciæ à ſingulis Wlodimirienſibus, ſimiliter poſt tres ſeptimanas.

PALATINATUS BRACLAVIEN: in quo in uno loco tantùm termini celebrantur, nempè Winnicæ, Primi, in craſtino Epiphaniarum. Secundi, in craſtino S.S. Trinitatis. Tertii, in craſtino S. Michaelis.

Palatinatus Czerniechovienſ. duobus in locis Terminos habet Terreſtres, nempè Czerniechoviæ & Novogrodci, ita ut hi termini

ni semper post Czerniechovienses intra tres septimanas celebrentur, juxta Const. 1635. p. 17. & 18.

IN MAGNO DUCATU LITHVANIÆ.

Judices proprios habent Vilna, Osmiana, Lida, Vilkomiria, Braclavia, Trokum, Grodna, Upitia, Polocia, Novogrodkum, Volkovicia, Slominum, Vitepskum, Orszanum, Brzescia, Pinskum, Mscislavia, Minskum, Mozirskum, Rzecyscia. In *Samogitia* quoq; habentur termini Terrestres.

Livonia terminos suos habet Dyneburgi, & quidem tres, uti in Lithvaniâ: Primum, in crastino Trium Regum: Secundum, in crastino S.S. Trinitatis: Tertium, in crastino S. Michaelis, vid. Const. 1677.

III. Citationi inscribitur titulus Regius, non integer, sed hunc in modum; Johannes Tertius DEI Gratia Rex Poloniæ &c. Sigillum additur ejus districtus, ubi citandus est possessionatus, Const. 1589. p. 542. Citatio à Ministeriali (Wozny, quem Palatinus cujusq; loci ex Privilegio Casimiri Magni Anni 1368. creat, & post Jusjurandum literis instruit) insinuatur citando, vel ipsi, vel ejusdem Tenutario, vel etiam Hortulano,

publicando citationis poſitionem, in villis verò deſertis poſſeſſoribus deficientibus in ligno terræ infixo publicatur, vel in Parochia. Relatio autem Citationis poſitæ, duabus antè Judicia hebdomadis coram actis proprii diſtrictus per eundem Miniſterialem inſcribi debet, vid. Conſtit. 1670. p. 22.

IV. Ut eadem, nec non Caſtrenſia & Succameralia etiam tempore Comitiorum generalium exerceantur, cavet Conſt. 1677. p. 13. Ita tamen, ut illi, qui in Comitiis cauſam aliquam habent, usq; ad Comitiola Relationum eximantur, & Mareſchallo teſtimonium producant, quod in Comitiis præſentes fuerint.

V. Ad Judicia Terreſtria refertur Judicium Poſitionis Actorum Terreſtrium, Polonicè (Ksiąg lezenie) in Minori Polonia & Pruſſia uſitatum, atque per Conſt. 1607. & 1647. Palatinatui Kyovienſi conceſſum. Exercet hoc Judicium Notarius Terreſtris cum duobus Camerariis, quorum alter eſt Judicis, alter Subjudicis. 1. Ad tollendam ſummam de bonis obligatis (o wykupno) 2. pro ſubdito profugo. Citationes emanant formulâ ſequenti; *quatenus coram Judicio Terreſtri, vel poſitione actorum Terreſtrium legitimè compareas.*

CAP. X.

Caput X.
DE JUDICIIS CASTRENSIBUS.

SEcuritatem Judiciorum Majores Noſtri apprimè neceſſariam judicantes, Locum Judiciorum Civitates earumq́ve Arces ſive Caſtra delegerunt, ipſi in pagis degentes, undè etiam hæc Judicia Caſtrenſia (Sądy Grodzkie) vocari meruerunt. In Polonia vocantur Capitanealia, quia à Capitaneis: In Pruſſia Palatinalia, quia à Palatinis exercentur. In Magno Ducatu Lithvaniæ quisq; Palatinus in ſuo Palatinatu eſt Capitaneus, Diſtrictus verò ſuos habent Capitaneos cum Jurisdictione, ad quos illa Judicia pertinent.

VI. In Criminalibus Citatio duabus Septimanis, in civilibus unâ præcedere debet, ſub ſigillo Capitanei, & ubi judicant, Palatini, ut ſupra dictum, ſub Palatinali. Prodeunt autem Citationes, non uti in ſupra dictis Judiciis ſub Nomine Regio, ſed ſub nomine Capitanei, hàc formulâ: N. Capitaneus &c. tibi &c. mandamus vigore Regio, & noſtrâ, quâ hac in parte fungimur, Authoritate. In Mazovià tamen nomen Regium præponitur.

VII. Pertinent huc in primis quatuor articuli.

1. Violentia fœminis illata.
2. Præda in via publica facta.
3. Incendium & immiſſio ignis.
4. Invaſio domus. Juxta ordinationem Sigism: I. de Anno 1540. Capitanei in Majori Polonia etiam cauſas de exemptione bonorum judicant. In Belzenſi & Volhyniæ Palatinatibus Capitanei facultatem habent judicandi de profugis ex bonis Regiis, id quod etiam Palatinatus Sendomirienſ., Podoliæ, Lublinenſ., Podlachiæ, & Braclavienſ., juxta Conſt. 1661. p. 12. deindè hoc ipſum etiam Capitaneis Magni Ducatus Lithvaniæ per Conſt. 1667. p. 79. conceſſum legitur. Impoſſeſſionati quoqve Nobiles coram hoc Officio reſpondere tenentur Conſt. 1588. vocantur etiam huc Jure victi ad Banniendum, tum & alienô nomine aliquid recognoſcentes, tùm quoqve ob non reſtitutionem rei arreſtatæ, unius ſeptimanæ ſpatio Capitaneus judicat. Statutum Lithvanicum addit deſpoliationes Templorum, Veneficia &c. vide illud Cap. IV. Art. 30. Quoad Judicia Palatinalia Pruſſiæ vide Jur: Terres: Correc: titulum 5. Num. 28. & 34.

VIII. Alterum Judicium Caſtrenſe eſt Vice-Capitaneale, ſeu Judicium officii & Quærelarum (Polonicè

(Polonicè Skargi ut & Roczki.) In Prussiâ Vice-Palatinalia nuncupantur.

IX. Judicia Castren: singulis sex septimanis, Vice-Capitanealia verò singulis duabus septimanis, in Prussiâ Palatinalia singulis quadrantibus Anni, sed Vice-Palatinalia singulis Mensibus, celebrantur.

X. Ad forum autem Vice-Capitaneale pertinentes Actiones exhibet Zawacki in Processu Judiciario, ut sequuntur:

1. Pro divisione inter fratres.
2. Pro exdotatione & provisione sororum.
3. Pro violentâ expulsione de Tenutâ.
4. Pro pœna trium Marcarum abacti, vel vagi, & ad fideiussoriam cautionem non extraditi; similiter ad foresta Regiam, intra triduum non præsentati pecoris.
5. Ad Inscriptionem.
6. Pro famulo, absq; literis testimonialibus à priori Domino obtentis, suscepto.
7. Pro pœnalibus actionibus: ut pro pœna trium Marcarum: pro vadio Capitaneali, centum viginti Marcarum, ob non factam divisionem.
8. Pro theloneo iniqvè extorto.

9. Pro non ſolutâ contributione, & Fumalibus.

10. Pro portatione pixidum ſeu bombardarum.

11. Pro recenti crimine, quod durat Anno & ſex ſeptimanis.

12. Quæ pro exeqvutione remittuntur, & aliæ privatâ lege huc pertinentes cauſæ.

XI. Officio Vice-Capitaneali Varſavienſi per Conſt. 1658. p. 42. conceditur, ut inſtar Judiciorum Cracovienſium ſub tempus abſentiæ Regiæ judicet, & quidem omnes Incolas Nobilis conditionis impoſſeſſionatos, uti etiam Plebeiæ conditionis in quocunqve fundo ibidem habitantes, ſalvâ appellatione Nobili ad Tribunal, inter cauſas terminorum tactorum, Plebeio autem poſt Curiam, in cauſis majoribus taxam trecentarum Marcarum excedentibus, exceptis cauſis Civium poſſeſſionatorum, quæ ad forum Civile pertinent, & cauſis fundi Incolarum ſpiritualium & Nobilium, quæ ad directum Dominum pro recognitione & deciſione remittuntur, ſalvis privilegiis antiquis Civitatis antiquæ Varſaviæ, & Conſtitutionibus A: 1611. & 1633. in toto manentibus.

XII. A Judiciis Terreſtribus & Caſtrenſibus olim

olim ad terminos generales, ſive ad Colloquia, interponebatur appellatio, ſi nimirum hæc antè Comitia incidebant, ſi verò priùs Comitiorum terminus erat, provocabatur rectà ad ipſum Regem. Habebantur illa ſingulis annis ſemel Authumnali tempore in omnibus Palatinatibus: Judices erant Palatinus, Caſtellanus; Judex aliiq; Officiales Sigism. I. Anno 1543. Tandem Rex Stephanus Tribunalitia inſtituit Judicia, de quibus ſupra dictum eſt.

Caput XI.

DE JUDICIO SUCCAMERARIALI.

I. Succamerarius eſt Prætor ſive cognitor limitum. In Pruſſia autem hæc Judicia non à Succamerariis, quoniam Conſiliarii Terrarum ſunt, ſed à Judice Terreſtri cum duobus Scabinis exercentur, vid. *Jus Correc. titulo 7. Num. 7.*

II. Citatio emanat hôc modô: N. Succamerarius &c. tibi &c. innoteſcimus, quatenus coram Nobis &c.

III. Ad hoc forum tantummodò actio finium regundorum inter Nobiles de Jure refertur, idqve tum, ſi remiſſa cauſa à Judicio Terreſtri

ſtria d campum fuerit. Si differentia ſit limitum inter Bona Regalia, & Nobilium Terreſtria, non Terreſtre Judicium, neqve ſolus Succamerarius, ſed Commiſſarii Regii cognoſcunt.

IV. Decreti & totius Proceſſus Succamerarius per ſuas patentes literas refert Judici Terreſtri in terminis immediatè celebrandis, quas deinde literas per Actorem præſentatas, Judicium Terreſtre ad acta Terreſtria refert, ſive, ut loquuntur, acticat, ad perpetuam rei memoriam.

V. Si verò quis cum Succamerario ipſo, ratione finium, habeat actionem, tunc Succamerarius à Rege ſurrogationem petere debet, juxta *Conſt.* 1557.

CAPUT XII.

DE JUDICIO PALATINALI.

QUivis Palatinus Judæos ſui Palatinatûs in Civitatibus & Oppidis Regiis manentes judicat. De iis verò, qui in Civitatibus & Oppidis Nobilium habitant, quilibet Dominus Juſtitiam adminiſtrare tenetur. Judicantur etiam hîc mercatores breviores pannos vendentes, fraternitates artificum in detrimentum publicum factas.

Pro-Con-

Pro-Conſules, qui precia rebus impoſita à Palatino, obſervare negligunt.

Caput XIII.

DE JUDICIO PALATINALI cum CAPITANEALI.

PAlatinale cum Capitaneali Judicio compoſitum judicat Præ-Conſulem Conſtitutiones utriusq; de pretiis rerum non exequentem. In ejusmodi Citationibus Titulus Palatini & Capitanei conjunctim ſcribitur.

Caput XIV.

DE JUDICIO CAPITANEALI cum CIVILI.

CApitaneale cum Civili conjunctum celebratur, quando Capitaneus ſeu ejus Officium Nobilem ob privatum crimen in Civitate captum cum Officio Civili judicat, juxta Statutum Thorunenſe.

Caput XV.

DE JUDICIIS COMMISSORIALIBUS.

1. EXercentur hæc, 1. quando de fundo Regio & Nobilis alicujus controverſia incidit. Conſt.

1633. p. 39. 2. quando agitur de exemptione Bonorum Regalium. 3. de diviſione inter fratres, aut par Jus habentes, niſi de Juribus obſtet controverſia, tunc enim ad jus Terreſtre pro definition e cauſa remittitur. Ad Commiſſionem verò requiruntur tria, 1. Commiſſio Regia, quâ ſubſcriptis Perſonis negotium committitur: 2. Mandatum Regium, ut Tenutarius coram Commiſſariis compareat. 3. Innoteſcentia Commiſſionis Tenutario per Commiſſarios ſub Sigillis, & ſubſcriptione manuum edenda, atq; unà cum mandato per Miniſterialem & duos Nobiles ad Capitaneum ſeu Tenutarium duabus antè terminum ſeptimanis inferenda: Ad redimenda verò bona Regalia, ſex hebdomadis præcedere debet.

II. Si verò controverſia incidat de finibus inter bona utriuſq; Regia, tunc non per Commiſſarios, ſed per Reviſores conſtituuntur limites. Ut hæc illuſtratio ſingulis quinquenniis elapſis fiat, vult *Conſt.* 1647. *p.* 25.

III. Valent etiam Judicia Commiſſorialia, ſi utriusq́ve partis conſenſu à Rege impetrentur.

Caput

Caput XVI.
DE JUDICIIS CIVITATUM.

CIvitates, quarum aliæ ſecundùm Jus Saxonicum, aliæ juxta Culmenſe, ut Pruthenicæ, aliæ ſecundum Jus Lubecenſe, ut Elbinga, Brunsberga & Frauenburgum vivunt, his Judicibus gaudent (ut præteream Burgrabios) Præ-Conſulibus, Conſulibus, Scultetis ſeu Advocatis, & Scabinis, de quibus *Czaradzki in Proceſſ. Judiciar. Parte I. Tit.* 2. pluribus agit.

Caput XVII.
DE
JUDICIO COMPROMISSORIALI.

COmpromiſſoriale Judicium pendet ſolummodò ex partium conſenſu per inſcriptionem ad Acta Authentica præſtitutâ pœnâ, ſive vadió ſuper compromiſſo facto à partibus tenaciter ſervando.

LIBER IV.

DE PROVINCIIS REGNI POLONIÆ.

CAPUT. I.

DE PROVINCIIS IN GENERE.

I.

POſtquam Jura Imperantis, & munia parentium, ac demum, quô Jure ſuum quisq; intereſſe perſequatur, ob oculos poſui, reſtat, ut de ſingulis Provinciis nonnihil, idq; non tam Hiſtoricè, quàm Politicè in medium proferam. Quæ quidem Hæreditario Jure poſſeſſæ, partim æquitate allectæ, nonnullæ Jure feudi devolutæ, quædam certis Pactis, nullæ autem vi Regno ac Regum Majeſtati acceſſerunt, ut verbis utar *Przyluſii LIB. V. Cap. I.* Polonia autem (antiquis Sarmatia Europæa dicta) uti nunc a fortiſſimo & prudentiſſimo Rege Sereniſſimo Joanne III. gubernatur, quindecim in univerſum Provincias ſub uno ſceptro continet, nimirum ex ſerie Tituli Regii, Poloniam utramqve Majorem & Minorem, Magnum Ducatum Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Volhyniæ, Kyoviæ,

Kyoviæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechouiæq;.

II. Crevit autem Polonia hunc in modum, dum Caſimirus II. Ruſſiam & Podoliam, Vladislaus Jagello Lithvaniam & Samogitiam, Caſimirus Jagellonides Pruſſiam & Pomeraniam, Sigismundus Auguſtus Livoniam, Sigism. III. Severiam, Vladislaus IV. Czerniechoviam, Regno annexerunt, eodem cum Polonis Jure vivere voluerunt.

Caput II.
DE MAJORI POLONIA.

I. MAjor ideò vocatur, quia Lechus primus Princeps ibidem Gnesnam erexit, & ſedem ſuam conſtituit, quæ tamen poſtea in Minorem Poloniam translata & Cracovia Metropolis facta eſt.

II. Tota verò Majoris Poloniæ amplitudo in octo Satrapias dividitur, in Palatinatus videlicet I. POSNANIENSEM, cujus Etymon inde, quod Poloni illo in loco primùm notitiam Chriſtianæ Religionis (Poznanie prawdy) conſecuti ſunt. Adjungitur eidem Wſchovenſe Territorium, cujus officia Terreſtria, poſtquam per multos an-

nos in uſu non fuerunt, per *Conſtit*: 1670. reinducta ſunt. II. CALISIENSEM, ubi obſervandum, quòd hi duo Palatinatus ſtrictâ ſignificatione Majoris Poloniæ nomen mereantur. Sic Capitaneatus iſtorum Palatinatuum vocatur Generalis Majoris Poloniæ, & Szredenſia Comitiola, quæ itidem dictorum modo ſunt Palatinatuum, Majoris Poloniæ nuncupantur. III. SIRADIENSEM, qui in quatuor ſe Territoria extendit, ſcilicet Sieradienſe, Szatkovienſe, Radomſcenſe, & Petrikovienſe. Narrat de hoc Palatinatu *Paprocius* in Opere *Stemmat*: *pag.* 707: quòdibidem ex Singulari Privilegio, quilibet Nobilis rubrâ cerâ literas ſuas ſigillare poſſit, quoniam (ut nonnulli referunt) Lancicienſium inſignia à Crucigeris vindicarunt. Plenioris Jurisdictionis ſignum eſt rubrâ cerâ ſigillare, neqve omnibus, niſi veteri conſvetudine, aut certo Privilegio impetratum ſit, competit, vid. *Kircherus lib. I. de Off. & Dign. Cancell.* Hodie in Poloniâ omnis Nobilis hoc Jure gaudet: Civitates autem in publicis inſtrumentis ſignandis viridi utuntur cerâ; Niſi Privilegio gaudeant. Ita Gedanenſibus Caſimirus Jagellonides Anno 1457. Privilegium rubrâ cerâ ſignandi dedit. Quam prærogativam etiam aliæ nonnullæ

nullæ Civitates ab aliis Regibus acquiſiverunt. In Gallia verò cera flava eminentioris eſt conſiderationis, quàm rubra, nam illa nemo niſi Rex utitur. Factâ mentione rubræ ceræ, addo ex Hiſtoriâ, quòd olim binis familiis in notam pœnæ impoſitum fuerit, ut neqve rubris veſtibus uti, neq; inter Equeſtres homines in acie conſiſtere eis liceret. IV. Terram VIELUNENSEM. V. LANCICIENSEM, tria habentem Territoria, Lencicienſe, Brzezovienſe, & Orſowienſe. VI. BRZESTENSEM, qui complectitur Territoria quatuor, Brzeſtenſe, Crusvicenſe, Kovvalenſe, & Predecenſe. VII. INOVLADISLAVIENSEM tria Territoria habentem, videlicet Bidgoſtienſe, Bobrunicenſe, & Inovladislavienſe. Hi duo Palatinatus vulgò *Cujavia* dicuntur. VIII. RAVENSEM, tribus conſiſtentem Territoriis, Ravenſi, Sochaczovienſi & Goſtinenſi; De Arce Ravenſi notandum, quòd captivi hoſtes Regni, ſi Majoris nominis & honoris fuerint, ibidem cuſtodiri ſoleant.

III. Uti Provinciæ hujus Metropolis eſt *Poſnania*, ita Poſnanienſis Præfectus ſeu Capitaneus (quemadmodum jam innui) hanc prærogativam habet, ut Generalis Majoris Poloniæ nominetur,

netur, & in aliquot Diſtrictibus ſuam Jurisdictionem exerceat. Sed non poteſt Generalis ſimul poſſidere Palatinatum Poſnanienſem vel Caliſienſem; hinc cum Illuſtriſſimo Domino Joanni Comiti de Bnin Opalinſcio Generalatus iſte traderetur, Palatinatui Caliſſienſi renunciabat, & Breſtenſem Cujavienſem accipiebat.

IV. Generalius ſub Majori Polonia comprehenduntur **Palatinatus XIII.** nempe, Poſnanienſ., Caliſſienſis, Sieradienſ., Lencicienſ., Breſtenſ., Inovladislavienſ., Plocenſ., Ravenſis, Maſoviæ, Podlachiæ, Culmenſ., Marieb: Pomeraniæ. **Diſtrictus LVII.** Posnanienſ., VVſchovenſ., Coſtenſ., Valecenſ., Caliſienſ., Gneznenſ., Naklenſ., Pysdrenſ., Koninenſ., Krzynenſ., Syradienſ., Satkovienſ. Petrikovienſ., Radomſcenſ., Vielunenſ., Oſtrzeſſovienſis, Lancicienſ., Brzezinenſ. Orſovienſ., Breſtenſ., Konarienſ., Crusvicenſ., Radzieiovienſ., Przedecenſ., Kovalienſ., Inovladislavienſ., Bydgoſtienſ., Dobrzynenſ., Lipinenſ., Stomſcenſ., Płocenſ., Raciązenſ. Srenenſ. Mſavenſ. Plonenſ., Zavorenſ., Bielſcenſ., Ravenſ., Sochaczovienſis, Goſtinenſ. Gambinenſ., Czernenſ., Varſavienſ., Viſnenſ, Vyſſogro-

grodienſ., Zakrocimenſ., Ciechanowienſ., Lomzenſ. Rozanenſ., Livenſ., Nurenſ. Drohicenſ., Bielſcenſ. Mielnicenſ., Culmenſ. Mariæburgenſ. Pomeraniæ.

Caput III.
DE MINORI POLONIA.

I. Minor Polonia in tres communiſſimè Satrapias ſeu Palatinatus dividitur I. CRACOVIENSEM, qui præter quatuor Diſtrictus, Cracovienſem, Lelovienſem, Bieczenſem & Sandecenſem, etiam tres Ducatus in ſe continet, I. Oswiecimenſem, quem Januſius Dux & Dominus, Caſimiro IV. Regi Poloniæ pro quinquaginta millibus groſſorum Pragenſium anno 1457. vendidit, teſte *Przyluſio pag.* 796. II. Zatorienſem, quem à Duce Januſio Joannes Albertus Rex pro octoginta millibus florenorum Ungaricalium anno 1494. comparavit, juxta dictum *Przyluſium* 790. Incorporatio horum Ducatuum ad Regnum Poloniæ, ac in ſpecie ad Palatinatum Cracovienſem facta eſt Petrikoviæ anno 1563. & renovata Varſaviæ anno 1564. III. Severienſem, quem Zbigneus Cardinalis & Epiſcopus Cracovienſ. à Vladislao Ratiborienſium & Ceſſinenſium Duce

emit eâ lege, ut penes ſucceſſores ſuos ſemper eſſet Ducatus hujus Dominium, quo etiam in hunc usq; diem *Epiſcopi* Cracovienſes gaudent. Hîc propter vicinitatem mentionem facio *Comitatus Scepuſienſ.*, qui eſt pars Hungariæ tredecim Oppida continens: accepit eundem Caſimirus Tertius circa annum 1412. à Sigismundo Rege Hungariæ pro ſumma quadraginta millium latorum groſſorum Pragenſium in hypothecam.

II. SENDOMIRIENSEM, qui dividitur in diſtrictus Sendomirienſem, Vislicenſem & Pilzinenſ. atq; Terram Radomenſem, Stenzycenſem, Opoczynenſem, & Chencynenſem. Sendomiriam fuiſſe olim ſedem ſecundogenitorum teſtatur *Sarnicius*.

III. LUBLINENSEM.

II. Sicut Provinciæ hujus caput eſt *Cracovia*, ita Generalis Præfectus Cracovienſis eſt primarius cuſtos ac defenſor non tantum Arcis Regiæ, in qua inſignia Regni aſſervantur, verùm pacis ac tranquillitatis publicæ, unde Jurisdictionem habet latepatentem, non modò in agreſtes & Oppidanos, ſed etiam in Equeſtris Ordinis homines, eſtq; hic Generalatus cum Caſtallaniâ vel Palatinatu Cracovienſi compatibilis. Licet autem Præfectus Cracovienſ. ampliſſimam Jurisdictio-

dictionem habeat, tamen ſartorum tectorum Arcis & redituum Principis curam non habet. Eſt enim alius Magnus Proviſor (Wielkorządca) qui hanc functionem ſuſtinet. Poſnanienſis verò Capitaneus curat ſarta tecta Arcis Posnanienſ. & reditus Regios ejusdem Palatinatus.

Olim Jus eligendorum Conſulum Cracovienſium ad communitatem ſpectabat, deindè hoc Rex Locticus in Palatinum Loci transtulit, à quo hactenus Conſules Cracovienſes conſtituti fuerunt; ſed anno 1677. die 30. Decembr. Magiſtratus obtinuit à Sereniſſimo Rege Privilegium ſuper liberam electionem Conſulum & Præſidentum, quod in Comitiis Grodnenſibus approbatum eſt.

IV. Ad minorem Poloniam, quatenus totum Regnum in tres dividitur Gentes, pertinent Palatinatus decem, Cracovienſ., Sendomirienſ., Lublinenſ., Ruſſiæ, Belzenſis, Podoliæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Braclavienſ. & Czerniechovienſ. Diſtrictus verò XLV, Cracovienſ., Proſzovienſ., Lelovenſ., Czechovienſ., Xiąznenſ., Sandecenſ., Bieczenſ., Zatorienſ., Oswiecimenſ., Sandomirienſ., Chenczynenſ., Wyslicienſ. Pilznenſ., Neokorczynenſ., Opocznenſ., Stenzycenſ.,

censſ., Radomienſ., Lublinenſ., Urcedovienſ., Lubavienſ., Leopolienſ., Drohicenſ., Samborienſ., Premyslienſ., & Przevvorſcenſ., Sanocenſ., Zydaczovienſ., Halicienſ., Trembovvlienſ., Chelmenſ., Krasnoſtavvienſ., Beſzenſis, Buſcenſ., Grabovecenſ., Horodlenſ., Camenecenſ., Lutomirſcenſ., Kyovienſ., Luceorienſ., Vlodimirienſ., Cremenenſ., Vinnicenſ., Braclavienſ., Czerniechovienſ., Novogrodenſis.

Cap. IV.

DE MAGNO DUCATU LITHVANIÆ.

I. JAgello Magnus Dux Lithvaniæ circa annum 1386. in Regem electus, ac Hedvigi Ludovici Poloniæ & Hungariæ Regis filiâ in uxorem ſumptâ Ducatum illum in unum & indiviſum, ac indifferens Corpus Regno annexuit, qui tamen ſuos retinuit Magnos Duces usq; ad Annum 1501. quô demum tempore Alexander Lithvaniæ Dux Rex creatus, unionem tam diu deſideratam ad finem perduxit. Quod fœdus Sigismundus Auguſtus executioni dedit, in quo, quemadmodum ad communionem libertatum & prærogativarum Regni Magnus Ducatus Lithvaniæ admittitur,

tur, ita ſimul ibidem Jus hæreditatis in eodem Ducatu Lithvaniæ aboletur, ubi inſuper non modò ex Perſonâ ſuâ dictus Rex ceſſit Hæreditate Lithvaniæ, verùm liberos ſuos, ſi quos progigneret, exhæredes totaliter eodem Diplomate declaravit, atq; ſic rem maximam imò pro impoſſibili judicatam in Republicâ effecit, ut etiam multi Senatores prudentiſſimi rerumq; peritiſſimi dictitaverint, cum unio Poloniæ Lithvaniæq; & executio Legum fiet, permiſſuros ſe, ut ſibi laqueus collo injiciatur. Privilegium ratione iſtius unionis in Comitiis Lublinenſibus anno 1569. in volumine Legum reperitur. Ita Sigismundus Auguſtus ea, quæ Proavus ejus Vladislaus Jagello ſanctè cum Regno pactus erat, Caſimirus Avus confirmaverat. Sigismundus verò Pater & Patrui Johannes Albertus & Alexander ſtipulatione quadam interveniente promiſerant, re ipſa præſtitit & perfecit.

II. Dividitur Communiſſimè in tres Palatinatus VILNENSEM, TROCENSEM, cui ſubeſt Terra Grodnenſis, & BRZESCIANENSEM.

III. Ad Lithvaniam reſpectu trium Gentium ſpectat Samogitia, Novogrodenſis, Mcislavienſ., Minſcenſ., Polocenſ., Witepſcenſ., & Smolenſcenſ.

ſcenſ. Palatinatus. Livonia verò utriq; nationi tam Polonicæ quàm Lithvanicæ communis eſt.

IV. Quoad controverſias forenſes, Ducatus ille peculiaria ſua obſervat ſtatuta, quæ Sigismundus III. per *Leonem Sapiehàm* ſupremum tunc Provinciæ Cancellarium in multis corrigi & augeri curavit.

V. Urbs Metropolis *Vilna* eſt, quæ in omnibus Juribus Magni Ducatus Lithvaniæ æquiparatur, & ad nullas exactiones, nedum hyberna, exceptis contributionibus Reipublicæ, tenetur, juxta *Conſt.* 1679.

CAPUT. V.
DE RUSSIA.

I. Ruſſia, (olim Roxolania) dividitur in Rubram & albam. Illa, ſic nuncupata, quia meridiano magis ſoli exponit incolas. Complectitur in ſe ſeptem ampliſſimos Palatinatus ſcilicet RUSSIÆ, qui in ſex dividitur Terras, Leopolienſem, Præmislienſem, Sanocenſem, Wisnenſem, Halicienſem, Chelmenſem. PODOLIÆ, de quo *infra*. VOLHYNIÆ, de quo *itidem infra*. BELZÆ, qui dividitur in Diſtrictus Belzenſem, Grabovicenſem, Horodlenſem & Ter-

Terram Buſcenſem, inter quam & Diſtrictum Grabovecenſem alternata eſt in Comitiolis atq; in expeditione Generali, ſecundum *Conſt.* 1670. *pap.* 25. & BRACLAVIÆ, qui Palatinatus cum Kyovienſi & Czerniechovienſi computatus, *Ukraina* vocatur, à Kray, quod oram ſeu finem ſignificat.

II. Caput Ruſſiæ hujus eſt *Leopolis* Archi Epiſcopali honore Nobilis, quin, quod rarò Civitati ulli accidit, duo ſunt ibidem Archi-Epiſcopi Catholicus & Armenicus, nec non Epiſcopus Ruthenicus (Władyk.)

III. Alba Ruſſia Magno Ducatui Lithvaniæ adjacet ſubjacetq;, & conſiſtit in ſex Palatinatibus nimirum SMOLENSCENSI de *quo infra*, NOVOGRODENSI qui duos habet Diſtrictus, Novogrodenſem & Slonimenſem. POLOCENSI, cujus Palatini liberè eligendi prærogativam Nobilitati dederunt antiquiores Reges. Quod Privilegium à Vladislao quarto *Anno* 1642. & à Michaële 1670. confirmatum legitur. VITEPSCENSI, qui duos Diſtrictus Vitepſcenſem & Bratiſlavienſem, MSCISLAVIENSI, qui duos itidem Diſtrictus Mſciſlavienſem atq; Mozdirenſem continet. Et MINSCENSI.

CA-

Caput VI.
DE PRUSSIA.

I. P*Ruſsia* duplex eſt REGIA & DUCALIS. Illa quamvis eodem cum Polonis Regno contineatur, peculiares tamen leges, peculiare ærarium & Theſaurarium ſuum (qui olim Oeconomus ſeu Procurator Mariæburgenſis fuit) ac belli gerendi rationem diverſam antiquitus habet, nec nobilitas tempore motionis publicæ extra fines procedere tenetur, uti ſupra de Expeditione Generali dictum eſt. Diſtinguitur in CULMENSEM ac MARIÆBURGENSEM Palatinatus, atq; Epiſcopatum Varmienſem. In Palatinatu *Culmenſi* numerantur ſequentes Capitaneatus Kowalienſis, Radzimenſ., Grudentinus, Lipinenſ., Golubenſ., Pokrivnen., Brodnicenſ., Bracianenſ.; In Palatinatu Mariæburgenſi: Mariæburgenſ., Chriſtburgenſ., Tolkmitenſ., Stumenſis. Inter Civitates Pruthenicas olim CULMIA Metropolis fuit, nunc ordine prima eſt THORUNIUM, quæ habet metricæ, uti Elbinga Sigilli, & Gedanum Theſauri Terrarum Pruſſiæ cuſtodiam. *Elbingam* condidiſſe dicuntur Lubecenſes, à quibus etiam uſum Juris ejusdem

dem receperunt, uti patet ex privilegio ab Henrico de Hohenloë Magiſtro Ordinis anno 1246. ipſis dato, quod Jus Civitati etiam Brunsbergenſi poſtea collatum eſt. Recepit idem Jus quoqve Frauenburgum illudq; etiam nunc dictæ Civitates retinent, aliæ ex Jure Culmenſi cauſas ſuas dijudicant.

II. POMERANIA iisdem, quibus & Pruſſia Legibus utitur, & quaſi una Provincia cum Pruſſis computatur, dividiturq; in ſequentes Capitaneatus, Skarſzevienſ., Tucholienſ., Kiſovienſ., Pucenſ., Noven., Mirachovienſ., Hamerſteinenſ., Oſiecenſ., Sabovicienſ., Jaſieniecenſ., Parchovienſ., Borzechovienſ., Svecenſ., Koſcierynenſ., Tczevenſ. ſive Derſavienſ., Gnievenſ. ſive Mevenſ., Stuchovienſ. Hi autem Capitanei Jurisdictione ferè nullâ gaudent, præſertim, in Nobilitatem, Caſtrenſia quippe Judicia in Pruſſiâ Palatinis competunt. Metropolis Pomeraniæ eſt *Gedanum* totius Europæ Granarium, atqve inter Urbes Hanſeaticas primaria, quâ ad omnem occaſionem rei benè gerendæ in omnes partes nulla opportunior Civitas eſt, ut verè ſentit *Carncovius lib. 3. Epiſt. Illuſtr. Vir.* Quantum ergò in ejusdem conſervatione interſit

Reipublicæ, ratio dictitat, atqve experientia loquitur. Pro hujus libertate hactenus Belgæ tam acriter pugnarunt, ne nimirum à Polonia avelleretur. Sic etiam Rex Daniæ per Tractatum anno 1658. ſeſe obligaverat, portui Gedanenſi, ſi neceſſitas poſtulaverit, claſſe armatâ ſuccurrere. Frumenta, & alia, quæ Poloni Gedanum deportant, externis mercatoribus aut omnino alteri, quàm Dantiſcano Civi, vendere non licet. Ad munus Burggrabiatus in hac & aliis duabus majoribus Civitatibus ſecundum receptam conſvetudinem veteremq; Legem, proponunturà Magiſtratu Viri quatuor, ex quibus Rex uni officium iſtud confert.

III. De *Succamerariis* quorum tres ſunt, nimirum Culmenſis, Mariæburgenſis, & Pomeraniæ, notandum eſt, quòd eosdem Caſimirus Tertius Anno 1468. Pruſſiam ingreſſus, ad Senatum Pruthenicum adjecerit. Licet verò in Pruſsia inter Conſiliarios locum habeant, in Comitiis tamen Regni inter Nuncios comparent, ſesſionemqve capiunt. Obſervandum porro, quòd Officia Succamerariorum Judicum, Subjudicum, & Notariorum non ex quatuor candidatis uni, ſed, juxta morem Terrarum Pruſsiæ, electo

electo Succamerario &c. huic & non alii munus istud à Rege conferatur. Secus per Regnum, ubi ex quatuor Candidatis unus à Rege confirmatur.

IV. Judicia Terrestria, in quibus Nobilitas causas suas ventilat, novem constituta sunt, ad quæ octo Scabini eliguntur. In Palatinatu Culmensi est unum, ad quod ex Consulari Ordine Civitatis Thorunensis duo Scabini à Nobilitate in octonarium numerum adsciscuntur. In Palatinatu Mariæburgensi itidem unum. In Palatinatu verò Pomeraniæ septem numerantur, Slochovienſe, Tucholienſe, Szvecenſe, Derſavienſe, Sucovienſe, Putcenſe, Mirachovienſe. Castrensia Judicia, quæ in Poloniâ Capitaneis competunt, in Prusiâ à Palatinis exercentur. Ab initio Prutheni obtentu suorum jurium contenderunt, causas omnes in Conventibus suis Ordinum Generalibus decerni debere, non admissis ad Aulam Regiam *appellationibus*, ad quas tamen condescendere anno 1521. adstricti sunt, exceptis causis criminalibus, aliisq; nonnullis casibus. Deindè licet Stephanus Tribunalia Summa in Regno Magnoq; Ducatu Lithvaniæ instituerit, causæ tamen Pruthenicæ à Regibus

dijudicatæ ſunt. Sed ſub Sigismundo tertio Anno 1598. ceperunt Pruſſorum Nobilium cauſæ ad Petricovienſe Tribunal trahi, & deniq; delegati illuc mitti. Civitates tamen Tribunalia declinant, & judicia tantum Regia agnoſcunt.

V. Præter ſupradictos Officiales ſunt in Pruſſia duo Gladiferi, unus in Culmenſi, alter in Mariæburgenſi Palatinatu.

VI. Advocatiæ ſeu Scultetiæ in Pruſſiâ omnes juxta antiquam Cruciferorum diſpoſitionem jure hæreditario obtinentur.

VII. De DUCALI PRUSSIA connoto ſequentia. Albertus Marchio Brandenburgicus trigeſimus quartus & ultimus Ordinis Teutonici Magiſter anno 1525. à Sigismundo primo Rege Poloniæ Dux Pruſſiæ Feudatarius creatus fuit. Huic ſucceſſit filius Albertus Fridericus, quô defunctô Joannes Sigismundus Elector Brandenburgicus (qui illius filiam Annam duxerat) ſolenniter Varſaviæ in Comitiis Anno 1611. Dux Pruſſiæ pro ſe fratribus eorumq́ve hæredibus maſculis inauguratus eſt.

VIII. Tandem *Pactis Bydgoſtenſibus* die 6. Novembr. anno 1657. confectis, & poſtmodum ab Ordinibus Reipublicæ in Comitiis Generalibus

bus Varſavienſibus anno 1658. confirmatis, inter Serenisſimum Regem Poloniæ D. Joannem Caſimirum, & Serenisſimum Electorem Brandenburgicum Dominum Fridericum Wilhelmum convenit, ut altè memoratus Serenisſimus Elector Ducatum Prusſiæ iis finibus circumſcriptum, quibus illum olim jure feudi ante Bellum Sveticum exortum posſidebat, deinceps & deſcendentes Ejusdem Serenitatis Electoralis Maſculi jure ſupremi Dominii cum ſummâ atqve abſolutâ poteſtate ſibi haberent, posſiderent, regerentq;, absqve omnibus antehac præſtitis oneribus. Deficientibus autem Maſculis, ex præmemoratâ lineâ legitimâ Electorali deſcendentibus Serenisſimis Regibus, & Reipublicæ Polonæ jus ſuum integrum in præfatum Ducatum reſervatur, & tali pacto, Ducatus ille à Republica Poloniæ non avelletur. In caſu autem non exiſtentium deſcendentium, promiſit altè memoratus Rex Serenisſimus pro ſe ſuisqve Succeſſoribus ſpecialem habituros rationem Agnatorum Serenitatis ſuæ Electoralis, nimirum Domus Culmbacenſis & Onolsbacenſis, ut ex conſenſu Comitiorum Regni aliis præferantur & ad Succesſionem ejusdem Ducatus admit-

mittantur, ſub iisdem Feudi conditionibus & obligationibus, quibus antehac Sereniſſimus Elector ejusq; Anteceſſores illum vigore Inveſtituræ poſſederunt.

IX. Actus ſolennis, quo ſupremum Dominium in Pruſſiam Ducalem Sereniſſimo Electori Brandenburgico per Commiſſarios Reipublicæ, ſcilicet Stephanum Vizga tunc Epiſcopum Varmienſem, nunc Archi-Epiſcopum Gneznenſem, & Joannem Comitem de Leſzno Leſzczynski, tunc Vice-Cancellarium, poſtea Supremum Cancellarium Regni, tandem Palatinum Cracovienſem traditum, Regiomonti die octavo Octobris *Anno* 1663. celebratus eſt. Inter alia convenit in Pactis, ut quoties novum aliquod bellum contra Regem ac Rempublicam Polonam oriretur, Sua Serenitas Electoralis ejusqve Deſcendentes tenerentur mille quingentos pedites & quingentos Equites ſubminiſtrare, quibus poſtquàm ex Ducatu Pruſſiæ Ducali educti fuerint, Rex Regnumqve Poloniæ ſuſtentationem ſubminiſtraret. Sed circa aſſecurationem Elbingæ Regno Poloniæ poſt exolutionem ſummæ quadringentorum millium talerorum reſtituendæ quingenti Equites remiſſi ſunt.

Suppe-

Suppeditavit autem Sereniſſimus Elector primâ vice copias ſuas Anno 1672. ſub Regimine Michaëlis Regis. Poſt cujus fata, cum ulteriùs Sereniſſimus Rex nunc gloriosè Regnans reprimendæ Barbarorum audaciæ, & incurſioni vires opponeret, iterum Sereniſſimus Elector dedit ſuppetias. Sed cum per aliquot Menſes rei Chriſtianæ militaſſent & præprimis ad expugnationem Bari ſtrenuam navaſſent operam, tempeſtas adverſus Provincias Electorales orta, cauſam dedit milites ſuos ad ſua defendenda repetendi. Aſt licet jam amplius manu militari adeſſe non poſſet, curâ tamen non defuit Sereniſſimus Elector, quin potiùs ad Magnum Moſcoviæ Ducem ablegavit Conſiliarium ſuum Joachimum Scultetum ab Unfrid, qui Eidem præfatam ſuppetiarum revocationem expoſuit, inſtando, ut præfatus Magnus Dux pericula, quæ à Turcis imminerent, reſpiciens, Regno Poloniæ notabili ſuccurreret Exercitu. Id quod etiam auxilium altè memoratus Elector jam Anno 1673. per eundem Ablegatum ſollicitaverat.

X. Primus Ducatum hunc nomine Sereniſſimi Electoris immortali cum gloriâ adminiſtravit Illu-

Illuſtriſſimus ac Celſiſſimus Princeps Dominus *Boguslaus Radzivill* Dux Byrzarum, Dubincorum, Sluciæ, & Kopyliæ, Sacri Romani Imperii Princeps ac Supremus Stabuli Magni Ducatus Lithvaniæ Præfectus, qui ob ingentia in Poloniam Pruſſiamqve merita, Princeps immortalitate digniſſimus eſt habitus. Sed, ut ſunt vanæ ſpes hominum, ex Poloniâ Anno 1669. reverſus, in itinere ſub ipſis ferè mœnibus Urbis Regiomontanæ, extremo dicti Anni die, extremum etiam vitæ clauſit diem. Illatus in Urbem, tantum apud omnes concitavit luctum & dolorem, quantum antea Divinis ſuis virtutibus ſibi conciliaverat amorem, qui etiam in Electione Anni præfati adeò eluxit, ut aliquot pro ſe habuerit ſuffragia. Sed maluit mereri, quàm ambire. Terra Coronam monſtravit, Cælum dedit.

XI. Alter isqve modernus Pruſiæ, uti & Pomeraniæ & Principatus Camini Gubernator Generalis eſt, Illuſtriſſimus ac Celſiſſimus Princeps Dominus *Erneſtus Boguslaus Dux de Croy & Arſchott*, S. Rom. Rom. Imp. Princeps. Dubium num ortûs antiquitate, num Prudentiæ rariſſimæ laudibus celebrior Princeps. Prognatus enim

eſt

eſt Paternâ ſtirpe ex præantiquâ illa Crojorum Principum familia, quæ, teſtante Hiſtoria, à Regibus Hungariæ, ipſoqve Attilâ originem ducit. Maternâ verò per matrem ſuam ultimi Pomeraniæ Ducis Boguslai XIV. Sororem Reges Poloniæ ex familiâ Jagellonicâ oriundos proximâ contingit cognatione. Tanta etiam prudentia Provincias ſibi commiſſas adminiſtrat, ut nemini Principum hac in re cedat.

XII. Dedit præterea Sereniſſimus Rex ac Reſpublica Polona Serenitati ſuæ Electorali, Ejusdemqve poſteris maſculis Jure feudi duas Præfecturas, Leoburgenſem & Butovienſem, ac de ampliori benevolentia Serenitatem Ejus ac illius hæredes ab omni juramento, nec non tributis & exactionibus, quibuscunqve ratione dictarum Arcium & Oppidorum præſtandis dimiſit, ac liberos fecit, prout olim à Ducibus Pomeraniæ eædem Præfecturæ Lauenburg & Bütau tenebantur; Redierant hæ anno 1637. poſt fata Boguslai XIV. ultimi Ducis Pomeraniæ ad Polonos, & Palatinatui Pomeraniæ reincorporatæ fuerant, *vid. Conſt:* ejusdem anni & 1641. Quòd olim hoc Feudum Ducibus Pomeraniæ propter neceſſitatem & bonum publicum cum conſen-

ſu Ordinum factum & traditum fuerit, *teſtatur Conſt.* 1562. & Diploma hîc annexum, quod exhibet *Przyluſius lib. V. Statut. cap.* 4. hoc tenore: Ad perpetuam rei memoriam. *Nos Sigism. &c. Univerſis & ſingulis præſentibus & futuris harum ſeriem inſpecturis. Manifeſtum facimus, quia vigentibus olim Bellis inter Sereniſſimum felicis memoriæ Caſimirum Regem parentem & prædeceſſorem Noſtrum, ac inter Ordinem dictum S. Mariæ Teutonicorum in Pruſſia Illuſtris olim Princeps Dominus Ericus Stetinenſ. Pomeraniæ, Caſſubiæ, Vandaliæ Dux & Princeps Rugiæ, multa in ipſis bellis & controverſiis favoris, benevolentiæ & obſequii ſui erga prædictum Sereniſſ. parentem Noſtrum officia exhibere, & ſuppetias non vulgares illius Majeſtati defunctæ adverſus hoſtes ejus præſtare ſolitus erat, ac ob eam cauſam illi Arcem Bütov unà cum Oppido ibidem conſiſtente, nec non Civitatem Lauenburgk cum univerſis fructibus & proventibus ad illam pertinentibus idem Sereniſſ. Parens Noſter ad arbitrium & beneplacitum ſuum conceſſerat, ut id ex literis & aliis monumentis abundè conſtat. Deindè verò ad eam benevolentiam & conjunctionem, quæ inter Sereniſſimos prædeceſſores Noſtros & prædictum Dominum Ducem Ericum, ac poſteros ejus interceſſerat, etiam affinitas, & neceſſitudo acceſſit, quæ ad hæc usq; tempora mutuis*

officiis

officiis & amore coaluit, ita, ut prædictas Arces & Oppida repetita quidem aliquoties, tamen non gravatim & nos & Sereniſſ. Fratres ac prædeceſſores Noſtri poſſideri à Nominatis Ducibus Pomeraniæ citra Jurium Regni ſui detrimentum ferebant. Cumpoſtremò Nos ad has Terras noſtras Pruſſiæ venientes inviſeret, officioſiſſimè Illuſtris Princeps Dominus Georgius Stetinenſ. Pomeraniæ, Caſſubiæ, Vandaliæ Dux, & Princeps Rugiæ, nepos noſter ex ſorore chariſſimus, & ſuam ac Illuſtris fratris ſui germani Domini Barvini ſingularem erga nos propenſionem animi & obſervantiam declaravit, remiſitq; nobis & ſucceſſoribus noſtris de dote Illuſtriſſimæ olim Dominæ Annæ ſorori Noſtræ à præfato Sereniſſ. Domino Rege Caſimiro patre Noſtro promiſſa quatuordecim millia aureorum Hungaricalium, volentes viciſſim erga Illuſtritates eorum uberiorem amorem noſtrum teſtari, & illas eorumq; ſucceſſores nobis ac Regno noſtro arctiori benevolentiâ & conjunctione devincere, attamen Juribus Regni Noſtri non deeſſe, illis & earum hæredibus maſculis, Arces & oppida prædicta Byton & Lauenburgk cum omnibus & ſingulis eorum ſubditis, Vaſſallis, fructibus, libertatibus, eminentiis, cenſibus, proventibus, Juribus, & pertinentiis univerſis, ſicuti illa ad arbitrium & beneplacitum, ut dictum eſt, Sereniſſimorum prædeceſſorum Noſtrorum & noſtrum hactenus uſu

& fructu tenuerunt, de Conſilio & conſenſu Dominorum Conſiliariorum tàm Spiritualium quam Secularium Regni Noſtri tenen. haben. fruen. uten. & poſſidens, in perpetuum Jure feudi pro Nobis & ſucceſſoribus Noſtris Regibus Poloniæ dedimus, ac conceſsimus, ac illos de eis ipſis Arcibus & Oppidis Bytow & Lauenburgk inveſtimus, & tenore præſentium damus & concedimus, illosq; & eorum hæredes de ampliori gratiâ & benevolentiâ Noſtrâ ab omni Juramento, nec non tributis & exactionibus quibuscunq; nobis & poſteris Noſtris ratione dictarum Arcium & Oppidorum præſtandis dimittimus, & liberos facimus. Pollicemur præterea dictos Principes in prædictis Arcibus & eorum pertinentiis, quantum in nobis eſt, defendere ac tueri, tenebunt tamen & obligati eſſe debent præfati Domini Duces & eorum Succeſſores ad ſingulas ſucceſſorum Noſtrorum Regum Poloniæ Coronationes, vel venire ipſi, vel Conſiliarios aut Officiales ſuos mittere, qui hoc ipſum jus feudale de præfatis Arcibus & Oppidis ad Regnum Noſtrum pertinens ita, ut jam dictum eſt, recognoſcent, & literas ejus recognitionis & renovationis ipſius feudi, quæ gratis illis debent dari, â novis Regibus accipient. Quod ſi aliquâ legitimâ cauſâ impediti, hoc officium & debitum in Coronationibus Succeſſorum Noſtrorum non fecerint, nihil ea negligentia afferre illis detrimenti debebit, dummodò

alio

alio brevi tempore poſt Coronationem id præſtare curaverint. Ubi verò ipſi Principes Domini Georgius & Berninus Duces Pomeraniæ ſine legitimis maſculis feudi hæredibus, vel eorum legitimi maſculi feudi hæredes, non relictâ prole virili decederent, ſtirpsq; & progenies eorum Maſcula & legitima deficeret, tunc prædictæ Arces & Oppida Bytou & Lauenburg cum omnibus ſuis bonis, ſubditis, Vaſallis, fructibus, libertatibus, Juribus, eminentiis & pertinentiis univerſis, ac cum pleno jure & poſſeſſione citra omnem difficultatem ad Nos & poſteros Noſtros Reges Poloniæ redire debebunt: ſalvâ tamen interim Jurisdictione perpetuò, proventibus, decimis ſeu Epiſcopalibus, cum villis bonis & piſcaturis ac libertatibus ad Reverendum Joannem Epiſcopum & Eccleſiam Vladislavienſem ex antiquo pertinentibus. In cujus rei teſtimonium Sigillum Noſtrum eſt præſentibus appenſum. Actum & Datum in Civitate Noſtrâ Gedanenſi die Inventionis S. Crucis Anno Domini 1526. Regni Noſtri anno XX.

XIII. Jus illud Sereniſſimus Elector primâ vice ſub Rege Michaele die 5. Menſ. Julii anno M. DC LXX. uti & porrò ſub moderno Rege Sereniſſimo per defunctum Johannem Liberum Baronem ab Hoverbeck Conſiliarium Statûs intimum recognovit ſine Juramenti ſolennitate,

formulâ tali. *Ego Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliarius & Officialis, ad recognoſcendum juxta tenorem Pactorum Bydgoſtienſium Jus feudale de duabus Præfecturis Lauenburg & Bytau cum omnibus & ſingulis earum pertinentiis, Juribus, reditibus, & eminentiis, delegatus Plenipotentiarius, hoc ipſum jus feudale ad Regnum Poloniæ pertinens à Sacrâ Regia Majeſtate, uti & earundem Arcium & Oppidorum directo Domino, recognoſco, literasq; ejusdem recognitionis & renovationis feudi prædicti Pactis conformes, à Sacrâ Regiâ Majeſtate Veſtra mihi extradi peto.*

CAPUT VII.
DE MASOVIA.

I. DUcatus ille ſeculo XI. Regnante Miecislao II. â Corpore Poloniæ (tunc in Rixæ Reginæ impotens Dominium concitatæ) per Maslaum vel Mazum avulſus, ſed hoc per Caſimirum I. victô recuperatus dicitur. Poſtquam verò Anno 1220. in Conventu Sendomirienſi Leſcus Albus fratri ſuo Conrado Maſoviam, Cujaviam, & Dobryniam conceſſit, ſuos habere Duces cæpit, Regibus tamen Poloniæ obnoxios, deindè Rex Joannes Albertus, dum Joannes ſive Januſius Dux mortuus eſſet, Tractum Plocenſem

ſem Regno adjunxit, manente penes fratrem ejus Conradum Maſoviâ. Hoc etiam anno 1503. defunctô promiſſa & conceſſa erat liberis, uſqve ad maſculorum defectionem, paterna poſſeſſio. Caſu tandem exiſtente ſub Sigismundo Anno 1526. Ducatus iſte ad Corpus Poloniæ rediit, & Majori Poloniæ adſcriptus eſt, Petricoviæ *Anno* 1540. Conſvetudines deinde hujus Ducatus Stephanus Rex ſub tempus Coronationis ſuæ Anno 1576. approbavit, abrogando Vicesgerentiam Maſoviæ, Palatinatumqve aliis Palatinis adæquando.

II. Quatuor Satrapiis Maſovia diſtincta eſt. Plocenſi nimirum Palatinatu (quem Anno 1495. poſt fata Januſii *Plocenſ.* Ducis cœlibis, Joannes Albertus ad ſe devolutum Regno adjunxit) *Podlachico* & eo qui peculiariter *Maſoviæ* nomen retinet, atqve *Terra* Dobrinenſi. De quâ annoto, quòd Chriſtianus Epiſcopus Pruſſiæ Conrado Maſoviæ Duci author fuerit, ut Equites de Dobryn ad avertendas Pruſſorum invaſiones, & ad promovendam Religionem Chriſtianam inſtitueret, qui regulam habitumqve Enſiferorum Equitum Livonicorum aſſumpsêre. Appellati autem à Caſtro Dobryn, quod ipſis Dux memoratus

ratus extruit. Hic deindè, cum ſupradicti Equites â Pruſſis cæſi eſſent, Equites Ordinis Teutonici accerſit. Ipſa verò Maſovia, quoniam eſt ampliſſima Provincia, in decem Territoria dividitur, *Czernenſe*, *Varſavienſe* (cujus de nomine Urbs in ipſo propè umbilico eſt Regni ac inter Polonos Lithvanosqve media) *Viſnenſe*, *Vyſogrodenſ.*, *Zakrocimenſe*, *Czechanovenſ.*, *Lomzenſe*, *Rozanenſ.*, *Livenſe*, *Nurenſe*.

CAPUT VIII.
DE SAMOGITIA.

SAmogitiæ Ducatus nullum habet Palatinum, ſed ſummus ejus Toparcha eſt Capitaneus, locum in Senatu obtinens, quem ſolus ex omnibus Præfectis ingreditur. Singulare etiam eſt, quòd, ſi vacat iſte Capitaneatus, unus Regi Candidatus præſentetur, quem eligit confirmatqve.

CAPUT IX.
DE LIVONIA.

I. CUm Joanus Magnus Moſchoviæ Dux longo in Livoniam Imperii Romani tunc bello Turcico implicati Provinciam bello incumberet, fortalitia occuparet, & deniqve ipſum Livoniæ

niæ Magiſtrum Fürſtenbergium in Arce Felin caperet, Illuſtriſſimus Dominus Gothardus Ketler à Statibus & Exercitu in Caſtris in Coadjutorem & poſtea in Magiſtrum Ordinis Teutonici & Principem Romani Imperii (quem titulum Waltherus Plettenbergius primùm acquiſivit) aſſumptus, atqve ærumnis publicis *anno* 1558. defenſor objectus eſt. Etenim niſi temporibus illis periculoſiſſimis, ubi inſuper diviſus per contraria ſtudia populus erat, Moderator obtigiſſet prudentiſſimus, uno quaſi lapſu res Livonicæ ruiſſent, non ſine gravi Reipublicæ Polonæ incommodo, cùm dicta Livonia confinis Lithvaniæ, Pruſſiæqve eſſet Provincia. Poſtquam ergò nihil reliquum videbatur, quàm aut tenere Libertatem, aut mori ante ſervitutem, circumſpiciebat Janus ille, cum quâ gente ſtaret, ſed nullibi gratior eminebat libertas, cùm & Diſſidentes in Religione Chriſtianâ bono pacis omnimodè gauderent, quàm ſub Rege Polonorum, quorum tunc Sceptra Sigis. Aug. moderabatur. Livones igitur â Polonis auxilia, Poloni à Livonibus ampliſſimam obtinuerunt Provinciam, è qua tanquam ex Trojano Equo multi militares viri prodiêre prodeuntqve.

II. Cum verò altè memorati Illuſtriſſimi Ducis Gothardi ſingulare ſtudium in adducendâ totâ Provinciâ (exceptis Revalienſibus, qui ſine conſenſu Magiſtri Erico Svecorum Regi ſe dederunt) extaret, & ita ipſius Dignitas, virtus ac fides, de Poloniâ optimè mereretur, Eidem, mutato ſtatu priori, *Anno* 1561. â Sereniſſimo Rege Sigiſmundo Auguſto Ducalis Titulus adinſtar Ducis in Pruſſiâ cum omni dignitate, inſignibus, privilegiis Ducalibus, ac ditionibus certis tributus, & ejus Illuſtritas Vaſallus Poloniæ Regum Feudatariusqve Princeps, & Regni Magniqve Ducatus Lithvaniæ membrum factus, ac poſtridie ProRex Gubernatorqve Livoniæ proclamatus fuit.

III. Tempore quidem Sigismundi Auguſti Illuſtriſſimo Principi Domino Gotthardo certæ ditiones aſſignatæ, ſine infeudationis ſolennitate, fuerunt, poſtea autem vigore legitimæ inveſtituræ â Sereniſſimis Succedaneis D. D. Stephano, Sigismundo III. Vladislao IV. Joanne Caſimiro, Michaële, & Sereniſſimo Joanne III. Regibus Eidem Succeſſoribusqve attributi ſunt, nimirum totus ille Tractus Curlandiæ & Semigalliæ, incipiendo à Salſo Mari ſurſum ſequendo fluvium Hylga,

Hylga, aſcendendo ad antiquos limites diſpoſitos inter Samogitiam, Lithvaniam, & Prusſiam ab unà, & Livoniam ab alterà, partibus, verſus Diſtrictum Polocenſem ad Dunam Fluvium, deſcendendo verò Duna usqve in mare ſalſum, adeo, ut quicquid in iſtis terminis cis Dunam verſus Lithvaniam continetur, & ad Ordinem Livoniæ ſpectabat, in perpetuum apud Illuſtritatem ejus, ipſiusqve hæredes Maſculos permaneret, & per conſequens etiam Diſtrictus Piltenſis, de quo pluribus infra.

IV. Primi utilitatis fructus ex hâc ſpontaneâ deditione Livoniæ colliguntur, quod Gens Sarmatica cum Svetica vicinitate conſociata, pro cauſa eligendi SIGISMUNDUM Tertium in Regem ſuum habuerit promiſſam â Serenisſimo JOANNE Sveciæ Rege Ducatus Eſthoniæ reſtitutionem. Occaſione itaqve Eſthoniæ, quam dictus Illuſtriſſimus Dominus GOTHARDUS ad Regnum Poloniæ adducebat, Sveciqve eandem eo tempore tenebant, tanqvam cauſa impulſiva SIGISMUNDUS in Regem Poloniæ electus, quo tanquam hæreditario Sveciæ Rege aſſumpto, Regnum Sarmaticum fines ſuos usqve ad mare

glaciale dilatavit, altiusqve certè quàm unquam antehàc ſub id tempus aſcendit.

V. Habuit Illuſtriſſimus Dominus GOTHARDUS Filios Duos, qvi exemplo monituqve Domini Parentis vitam fortunasqve ſuas bono Reipublicæ exponere, ſummæ gloriæ ſibi duxerunt. Illuſtriſſimus WILHELMUS, Junior natu, Parens regnantis moderni Ducis Curlandiæ, cupidus virtutum, Caſtra Sereniſſimi Regis STEPHANI in Moſcoviâ ſecutus, in proximam Turrim Pieczuræ obſeſſæ evaſit, & rarà Principum audacia in imam ejus partem per ſcalas deſcendit. In prælio ſub Wittgenſtein in Diſtrictu Revalienſi habito par ardor pugnandi, alacritasqve fundendi hoſtem erat, temporibusqve ſubſequentibus objectu corporis ſui, ac erogatione bonorum ſuorum impetus hoſtiles in Livoniam arcuit.

VI. Illuſtriſſimus Dominus FRIDERICUS, major natu, majoribus victoriis onuſtus, magna fama in Regno Poloniæ vixit, cui Illuſtriſſimus Domin. Epiſcopus Piaſecius hoc encomium reliquit. **FRIDERICUS Curlandiæ Dux cum quingentis Equitibus Curlandis in ſubſidium Polonis veniens, ac per Dunam**

Fluvium

Fluvium contemtô periculô, nando celerius tranſitum quærens adactis in flumen Equis in vadum, nulli ante nec peritiſſimis illorum locorum cognitô fortuna futuræ victoriæ præſagâ illatus tranſiit incolumis, atqve in fronte unâ cum prætoria Chodkievicii haſtatorum cohorte conſtitit, hoſtemqve profligavit. Quæ etiam dictus Illuſtriſſimus DUX FRIDERICUS magnâ cum copiâ honorum ad Rigam & Dunemundam ſequutus Exercitum Regium egerit, teſtimonium perhibet Illuſtriſſimus Domin: Caſtellanus Heidenſteinius, ope etenim auxilioqve ejus Carolus in fugam ſe dedit, obſidio Rigenſis deſerta eſt, omnemqve apparatum militarem poſt ſe reliquit. Hinc etiam Eidem in donativum militare bona advitalitia per Conſt. 1609. promiſſa ſunt. Sed res intra verba ſtetit.

VII. Illuſtriſſimus ac Celſiſſimus ejus Succeſſor DUX JACOBUS vix ea omnia Domus ſuæ Ducalis eſſe putavit, niſi ipſemet fidem, obſequia opesqve ſuas in bonum publicum conferret, unde in tenera ætate munia Principis clien-

telaris induit, & cum Domino Patruo FRIDERICO DUCE in Regium Exercitum, cui Dux RADZIWILIUS præerat, ſub Bausko conceſſit, copiisque ſuis conjunctim allaboravit, ad Provincias Boruſſiæ Curlandiæque armis infeſtatas hoſtilibus liberas reddendas. Pari ſtudio & ardore Princeps ille Juvenis in Divum Regem VLADISLAUM, & Rempublicam accinctus, maturo auxilio in tempore ad Smolenſciam obſeſſam ſpontaneâ alacritate adeſt, & ſelecto milite Equeſtri ac Pedeſtri Exercitui Polonico ſingulare gaudium, hoſtiqve formidinem attulit. Anno 1652. cum Respublica Polona ex funeſtâ clade Exercitus, quâ â perfidis Coſacis & Tartaris affectus fuerat, in grave diſcrimen adducta eſſet, Illuſtriſſimus DUX JACOBUS millia peditum Serenisſimo Divæ memoriæ Regi JOANNI CASIMIRO & Reip. tam propter apparatum, quàm bonos milites maximè arridentia in auxilium miſit, perpetuisque temporibus ſervitiis eorum dedit atque dicavit, idque non ex ullâ obligatione Pactorum, ſed ex ſolo benemerendi ſtudio, uti Reverſales Regii Ordinumque hic adjectæ, uberiùs teſtantur.

Joannes

Joannes Caſimirus DEI Gratiâ Rex Poloniæ Magnus Dux Lithvaniæ &c. &c.

Significamus præſentibus literis, quorum intereſt univerſis & ſingulis, quòd cùm Respublica ex funeſtâ clade exercitus noſtri, quâ à perfidis Coſacis & Tartaris affectus fuerat, in grave diſcrimen adducta, ab Illuſtriſſimo Principe Domino Jacobo in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Duce amanter poſtulaſſemus, ut tanquam in communi periculo deeſſe nobis nollet, militeq; quemcunqve paratum habere vel ſubitò colligere poſſet, nobis quantocyùs ære noſtro ſubveniret, Illuſtritasqve ſua cum Ordine Equeſtri ſeu Nobilitate Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ promptitudinem ſuam Nobis in tam gravi caſu ubertim declaraſſent; Nos non tantum declarationem iſtam benevolo amplectimur affectu, verùm etiam pro Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus Noſtris totaq; Republ. Polona verbo noſtro Regio & Comitiali authoritate cavemus, quòd promptitudo iſta, quâ Illuſtritas ſua & Ordo Equeſtris ſeu Nobilitas Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ extra Pacta, quibus ad Vaſallagium & ſervitia Equeſtria intra fines Ducatus Curlandiæ ſolummodò præſtanda obligantur, in colligen-

ligendo milite noſtro & Reipub. ære alendo, declararunt, & juxta declarationem ſuam præſtabunt, pactis conventis nihil derogare, nec quocunqve tempore pro imponendo vel exigendo aliquo pactis minus conformi onere àquoquam in ſequelam & præjudicium trahi debeat, quin potius omnia jura, privilegia, pacta, immunitates & libertates ſartas tectasqve conſervamus, Illuſtritatemqve ſuam cum Univerſo Ordine Equeſtri ſeu Nobilitate Ducatus ab hocce ex propensâ voluntate in præſenti Reipublicæ periculo promiſſo, ac omni pactis minùs conformi onere poſthàc in perpetuum liberos & immunes eſſe, nec quidquam extra Pactorum tenorem exigi, aut imponi debere, verbo Noſtro Regiô pro Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus noſtris promittimus, & cavemus. In cujus rei fidem præſentes manu noſtrâ ſubſcriptas Sigillo Regni communiri juſſimus. Dat. Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus Die I. Menſis Auguſti, Anno Domini MDCLII. Regnorum Noſtrorum Poloniæ IV. Sveciæ verò V.

Joannes Caſimirus Rex (L. S.)

Albertus Goraiski Præpoſ: Cruſ:
S. R. Majeſt. Secret.

Nos

Nos Senatores & Ordines inclyti Regni Poloniæ, & Magni Duc: Lithvaniæ.

NOtum teſtatumqve facimus præſentibus literis noſtris, quorum intereſt univerſis & ſingulis, quòd cum Reſpublica exfuneſta Clade Exercitus, quà a perfidis Coſacis & Tartaris affectus fuerat, in grave diſcrimen adducta, Sacra Regia Majeſtas Dominus noſter Clementiſſimus ab Illuſtriſſimo & Celſiſſimo Principe Domino Jacobo in Livonià Curlandiæ & Semigalliæ Duce amanter poſtulaſſet, ut tanquam in communi periculo deeſſe nollet, militeqve, quemcunqve paratum habere, vel ſubitò colligere poſſet, quantocyus ære Reipubl. ſubveniret, Illuſtriſſimusque ſuo cum Ordine Equeſtri ſeu Nobilitate Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ promptitudinem ſuam in tam gravi caſu ubertim declaraſſent, Nos, Nomine univerſæ Reipublicæ, non tantùm declarationem ipſam benevolo amplectimur affectu, verùm etiam pro Nobis & totà Republicà Polonà, Authoritate Comitiali cavemus, quòd promptitudo iſta, qua Illuſtritas ſua, & Ordo Equeſtris ſeu Nobilitas Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ extra Pacta, quibus ad Vaſallagium & ſervitia Equeſtria in-

tra fines Ducatus ſolummodò præſtanda obli-gantur, in colligendo milite, Reipublicæ ære alendo, declararunt, & juxta declarationem ſuam præſtabunt, Pactis Conventis nihil derogare, nec quocunque tempore pro imponendo vel exigendo aliquo, Pactis minùs conformi onere, â quoquam in ſequelam & præjudicium trahi debeat, quin potius omnia Jura, Privilegia, Pacta, Immunitates ac Libertates ſartas tectasque manere, Illuſtritatemque ſuam cum univerſo Ordine Equeſtri ſeu Nobilitate Ducatus ab hocce ex propenſâ voluntate in præſenti Reipublicæ periculo promiſſo, ac omni Pactis minùs conformi onere poſthàc in perpetuum liberos & immunes eſſe, nec quidquam extra Pactorum tenorem exigi aut imponi debere, univerſa Reſpublica ſanctè promittit & cavet. Majoris Fidei ac certitudinis cauſa, præſentes manu Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Archi-Epiſcopi Gneznenſis, Legati nati, Regni Poloniæ Primatis & primi Principis, nec non Dominorum Nuntiorum Terreſtrium Marſchalci, ſubſcriptas Sigillis eorundem comuniri fecimus. Dat: Varſaviæ in Comitiis Regni Generalibus die 1. Menſ. Auguſti, Anno Domini 1652.

Matthias

Matthias Lubienski Archi-Epiſcopus.
Gneznenſis Regni Primas mpp.
(L. S.)
Nicolaus Kraſnovvsky Archi-Epiſcopus
Leopol: mpp.
Petrus Czebiski Epiſcop. Cracovienſ.
Georgius Tyszkievvicz Epiſcop. Vilnenſ.
Caſimirus Dux Czartorycki Epiſc. Poſnanienſ.
Andreas de Leſzno Epiſcop. Culmenſ.
& Pom: Cancellarius Regni.
Stanislaus Epiſcopus Chełmenſ. mpp.
Vladislaus Gonzaga Marchio in Myzow
Myskovvski Pal. Sendomirienſ.
Stanislaus in Brzezie Lanckoronsky.
Pal: Ruſſiæ, Skaſt. Dim: Cap:
Joannes Caſimirus Kraſinsky Palatinus Plo-
cenſ., Lomſ: Cirab: Præm. Capitaneus.
Stanislaus Wytovvsky Caſtellanus Sendo-
mirienſ. Lublinenſ. Kniſzenſ. Capita-
neus.
Maximilianus Brzyzovvski, Caſtellanus
Kyovienſis.
Stanislaus Laskovvsky Caſtellanus Podla-
chiæ, Referendarius Regni.

Dobieslaus à Cieklin Cieklinsky Caſtellanus Czernovienſ.
Nicolaus Laſzczyzevvsky Caſtellanus Sochacov.
Martinus Sadovvsky Caſtellanus Cortin.
Georgius Lubomirski Supremus Regni Marſchalcus mpp.
Stephanus de Pilca Kozyczynsky, Vice-Cancellarius Regni.
Caſimirus Leo Sapieha Pro-Cancellarius M. D. Litthvaniæ.
Alexander Sielsky Capitaneus Siezicenſis, Marſchallus Nuntior. Terreſtrium.

Non autem ſolummodò altè memoratus Dux diſtrahendis hoſtium viribus, ſed etiam adinveniendis & promovendis inter Regnum Poloniæ & Sveciæ Pacis perpetuæ mediis curam ac ſollicitudinem ſuam impigrè applicavit. Etenim munere pacis Procuratore in ſe ſuſcepto, Regem Galliæ & Angliæ ac Rempublicam Venetorum pro expediendis Mediatoribus Lubecam ad tempus præfixum invitavit. Non mediocres ejusmodi ſolicitationes requiſiverunt ſumptus, aſt majo-

majores ſplendida Legatio ab Illuſtriſſimo Principe Lubecam miſſa, in quâ plus quàm triginta homines ſpatio novem menſium ſuſtentari fecit, temporum atqve rerum habitu rupturam Induciarum minitante, Illuſtriſsimus Princeps de eâ Sereniſſimum Regem JOANNEM CASIMIRUM certiorem fecit, miſſisq; in Sveciam Ablegatis hoſtilem Sereniſſimi Regis Sveciæ intentionem variis rationibus multo tempore tali modo mulcebat, atqve morabatur. Cum deinde res ad bellum deveniſſet, noluit eſſe, ut ut cunctis permixtis hoſti partialis, ſed potius ſub Clypeo neutralitatis à Sereniſſimo Rege ex Senatus Conſilio conceſſæ voluit; in fide intaminatâ permanere, impervium erga illecebras ac promiſſiones hoſtium gerendo animum. Sed dum virtuoſis nihil tam ignarum, quàm machinationes oppugnantium, optimus Princeps clarâ in mundo famâ ſub ſpecie amicitiæ capitur, & cum Sereniſſima Conjuge, ſeptemqve liberis in Ingermaniam Ivangrodam captivus mittitur. Verùm nemo inter eos voce ſupplex, quisqve vitam, decus ac fortunam fide ac devotione in Regem & Rempublicam viliora eſſe clamitans. Hôc factô Illuſtriſſimus Princeps inauditum conſtantiæ

exemplum orbi reliquit. Nusquam enim legitur, Principem cum totâ familiâ abductum, potiùs maluiſſe pericula maris, malas ac ſqualidas carcerum manſiones, imò mortem ſæpe minis adjectam ſpernendo ſubire, quàm fidelitatem & amorem erga Sereniſſimum Regem & Rempublicam fallere. Hinc hoſtis in ſuppellectilem pretioſam ruit, expugnatur Ducatus, oppugnantur & ab amicis Inſulæ & Provinciæ transmarinæ multo labore & pretio acquiſitæ, dividuntur Naves, omniqvè ſolà & quidem dubiâ ac ancipiti vitâ Domui Ducali relictâ rerum fortuna acciditur. Tandem ipſa etiam pax ſubſecuta magni conſtat Celſiſſimum Ducem, quippe eidem comparandæ medietas Dunæ, Inſula Runen, Spillbona, Babid, Piſcaturæ, Salmonum, & Dalen, ad Domum Ducalem Curlandicam pertinentia loca (de quibus tanquam Cis-Dunanis §. 4. Tractatus Olivenſis allegatur) adhibita, Svecisqve relicta ſunt. Svadet ipſamet Natura, ut ejusmodi bonorum ablatio æquali ſatisfactione compenſetur, præſertim, quia in tabulis induciarum de Anno 1629. §. 2 & 4. totus Diſtrictus Mitavienſis, ad quem loca iſta antiquitus & naturaliter pertinuerunt, reſtitui debere cautum erat.

erat. Poteſt Illuſtriſſimus Dux inniti exemplo Duciſſæ Trabecianæ, quæ pro bonis ſuis Moſco in ſalutem publicam traditis jam ſatisfactionem congruam per Legem publicam accepit. Imo & aliis in cauſa ſimili data eſſe ſolatia, ex Conſtitutionibus Regni elucet. Cæterùm de reali promptitudine Ducum Curlandiæ loquuntur etiam Pacta primæva, Conſtitutiones *anni* 1609. 1611. 1676. atqve obligatio à defuncto Gaſzevvio Theſaurario & Campi Marſchallo Magni Ducatus Lithvaniæ Celſiſſimo Principi die 6. Aprilis 1657. data. Ad haſce & alias inſpiciendas prætenſiones in Comitiis Grodnenſibus certi iterum Commiſſarii nominati ſunt.

VIII. Enumeratis breviter meritis ac debitis Ducalibus ad Jura redeo, atque hîc ſubjungo;

Incorporationem Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ cum Regno Poloniæ Lublini anno 1569. factam.

SIgismundus Auguſtus, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ. *Significamus præſentibus literis Noſtris, quorum intereſt Univerſis & ſingulis, quòd cum Illuſtris Dominus Gothardus in Livoniâ Curlandiæ & Semigalliæ*

Semigalliæ Dux Generoſos Fridericum à Kanitz & Michaëlem a Brunow Conſiliarios & Senatores ſuos ad Nos Regniq; Noſtri Ordines cum certis mandatis ablegaviſſet, atq; hi ipſi literis fidei ſuæ plenipotentiæ prædicti Domini Ducis demonſtratis, id ſibi ab Illuſtritate ſuâ injunctam eſſe docerent, quo nomine Illuſtritatis ſuæ à Nobis Regniq; Ordinibus poſtularent ac enixè peterent, ut quoniam negotium unionis Regni Noſtri cum Magno Ducatu Lithvaniæ ad ſalutem, finem exitumq; optatum jam pridem DEO immortali adjuvante, perduxiſſemus, tempus adeſſet, quo Livoniæ quoq; à barbaro & truculento hoſte majorem in modum populatæ & afflictæ per Nos aliquando conſuli poſſit, ſubjectionem Illuſtris Domini Ducis & ſubditorum de communi ſententia atq; aſſenſu omnium Ordinum Regni cum Ducatu Lithvaniæ uniti acceptaremus. Nos etſi memoria tenebamus ſuperioribus annis, quo tempore ab Ordinibus Livoniæ crebris literis atq; nunciis ad eam ipſam ſubjectionem acceptandam ſollicitaremur, ſortem illius Provinciæ atq; calamitatem miſeratos, hanc ipſam ex perſonâ Noſtrâ in fidem atq; protectionem noſtram ſuſcepiſſe, tamen & illud meminimus etiam, cum prædicta ſubjectio præſentiam Senatus Polonici ad pleniorem deliberationem requireret, rejeciſſe nos hujus ipſius rei tractationem in tempus aliud ad eam rem conficiendam commodius, quòd cum ſe nobis obtuliſſet,

tuliſſet, faciendum eſſe exiſtimavimus, flagitantibus, præſertim Illuſtris Domini Ducis Plenipotentibus, & unione Regni cum Magno Ducatu Lithvaniæ abſolutâ & perfectâ, & ejus Illuſtritatis ſubjectionem per ſupra dictos Plenipotentes Illuſtritatis ejus nobis delatam de conſenſu omnium Ordinum & voluntate Regni cum Magno Ducatu Lithvaniæ, ita ut ante dictum eſt uniti, in præſentibus Regni Comitiis acceptaremus, ipſumq; Illuſtrem Principem in fidem & clientelam noſtram Regniq; noſtri cum omni Ducatu & ditionibus Illuſtritatis ſuæ publico Regni cum Magni Ducatus Lithvaniæ uniti nomine recipimus, nimirum ut ab eo tempore inpoſterum Illuſtritas ſua ejusq; hæredes cum Ducatu Curlandico & Semigallico Regno Noſtro cum Magno Ducatu Lithvaniæ unito tanquam uni & individuo corpori perpetuis temporibus ſubjiciatur & incorporetur, ac in clientelâ & defenſione noſtrâ & Regni cum Magno Ducatu Lithvaniæ uniti permaneat. Speramus autem Illuſtritatem ſuam & ejus Illuſtritatis poſteros in eâ fide, voluntate, ſubjectione, quam nobis Regnoq; cum Magno Ducatu Lithvaniæ unitò per ſupradictos Plenipotentes detulerunt, conſtanter permanſuros & firmiter perſeveraturos. Quibus Nos vicisſim defenſionem noſtram Regniq; noſtri; ac conſervationem omnium privilegiorum, libertatum, immunitatum à Nobis iisdem conceſſarum, libertatibus tamen

Regni non adverſantium, pollicemur atq; promittimus, quæ Privilegia, immunitates, libertates, tum renovaturi, & confirmaturi, & in pleniorem formam redacturi ſumus, cum Illuſtritas ſua Nobis Regnoq; noſtro debitum homagium præſtiterit. In cujus rei fidem & teſtimonium manu noſtrâ præſentes ſubſcripſimus, & ſigillum noſtrum appendi juſſimus. Dat. Lublini in Conventu Generali Regni d. 3. Menſis Aug. Anno Domini MDLXIX. Regni verò Noſtri quadrageſimo.

DEDUCTIO JURIS,
In
DISTRICTUM PILTENSEM.

POſt ultimum bellum Sveticum ortæ fuerunt præter omnem opinionem differentiæ quædam inter Illuſtriſſimum Ducem Curlandiæ, & nonnullos Nobiles Diſtrictus Piltenſis, pro quarum pacificatione Sereniſſimi Reges, cum inclyta Republicâ varias Commiſſiones lege publicâ determinarunt. Poſtquam verò eædem finem ſuum non potuerant ſortiri, Sacra Regia Majeſtas, cum Conſenſu omnium Ordinum, in Comitiis Anno 1670. dictas Commiſſiones ad latus ſuum Regium transtulit; & ad eandem literis ſuis intimatoriis, benignè Illuſtriſſimum Ducem & Nobilita-

bilitatem vocavit. Huie igitur mandato Regio Illuſtriſſimus Princeps obtemperando, per Plenipotentem ſuum, Magnificum Dominum Chriſtophorum Henricum Putkammer, ex ſupremis Conſiliariis Cancellarium, atqve Diſtrictus Piltenſis per Magnificum Dominum Fridericum ab Oſten dictum Sacken Conſiliarium Terreſtrem comparuit. Cum verò Sacra Regia Majeſtas, ob gravia cum Magni Moſcorum Ducis Legatis negotia, iſti Commiſſioni vacare non potuerit, ideo eandem, ex Conſilio Senatus, in aliud tempus commodius rejecit, non præjudicando quicquam Conſtitutioni deſuper Grodnenſi. Ut verò conſtet, quo juris titulo Avus Illuſtriſſimi Principis eundem Diſtrictum acquiſiverit, & Illuſtriſſimus Princeps eum teneat, operæ pretium erit, jura Ducalia deſuper illucidare. Deductionem autem, quam hîc annecto, excellenti ingenio & ſingulari benevolentiæ præfati Domini Cancellarii debeo. Primò quidem ſciendum; quod Theodoricus V. Ordinis Theutonici Princeps Anno 1247. teſtante *Chytræo* p. 17. & 18. Curlandiam primus bello aggreſſus, eandemq; à gentilibus armis occupans, Goldingam & Amboten, quæ Arx in Curonienſi tum Epiſcopatu, nunc

verò Diſtrictu Piltenſi jacet, condidit, & ſic totam Curlandiam ad reliquam Livoniam adduxit. Hic ordo Theutonicus ad propagandam Chriſtianam Religionem, Epiſcopatum qui nunc Diſtrictus eſt Piltenſis, in Curlandia erexit.

Stetit igitur Epiſcopatus iſte usqve ad annum 1559. ſub poteſtate & Dominio Magiſtrorum Ordinis Theutonici.

Ultimus Magiſter Ordinis Theutonici Gotthardus cum ſtatu Livonico ab Imperio Romano Germanico, cui ſuberat derelictus, nec viribus propriis ſtatum ſuum contra Moſchum tueri valens, de Domino ac Protectore ſibi eligendo conſilia inivit. Idem Magiſter ſubolfaciens ultimum Epiſcopum Piltenſem Joannem â Mönninghauſen, qui ſubſequentem mutationem præſentiebat, Epiſcopatum ad alium translaturum eſſe illum hâc de re convenit. Cumqve Epiſcopus intentionem ſuam velare non poſſet, Avo Illuſtriſſimi Principis, tanquam Domino ſuo Reverſales & Juramentum de non alienando Epiſcopatu dedit ac præſtitit. Quod ipſum utirem tum temporis notoriam etiam poſt fata Magni Holſatiæ Ducis Legati Regni Poloniæ contra Daniæ

Daniæ Regem allegant, uti teſtatur *Surius p.* 1093. *Anni* 1583.

Poſthabitis Reverſalibus, & juramento non attento, contulit ſe Mönninghauſius ad Regem Daniæ, eidemqve Epiſcopatum, inſcio Magiſtro, pro 30000. Imper. vendidit.

Daniæ Rex Fridericus II. Fratri ſuo Magno Duci Holſatiæ confeſtim pro parte portionis ſuæ hæreditariæ hunc Epiſcopatum ceſſit, ac deoccupavit Anno 1561. Avus Principis totam Livoniam Regno Poloniæ ſubjecit, & ſibi Curlandiæ & Semigalliæ Ducatum & Epiſcopatum Curonienſem in feudum dari reſervavit, ut ex Pactis eluceſcit. Quæ autem immediate ad Regnum & Magnum Ducatum Lithvaniæ permanere debebant, in Pactis ſubjectionis ſpeciatim denominata ſunt.

Quia verò loca inveſtita abſqve limitibus & terminis incerta eſſe ſolent, & frequenter motus ac diſputationes poſt ſe trahunt, proinde in iisdem Pactis limites, intra quos & Epiſcopatus Curlandiæ ſitus, denominati, atqve conſtituti ſunt, ita ut quicquid inter eorum terminos continetur, apud Ducem Gotthardum & ejus hæredes Maſculos permanere in perpetuum de-

beat. Cum autem tunc temporis Dux Magnus Epiſcopatum Curoniæ teneret, Princeps eundem Ducatui ſuo Curlandiæ reunire ſtudens, Arcem Sonneburgam Curiasqve Leal & Madjel non jure coactus, quia Rex Daniæ â Mönninghauſio, qui nullum jus vendendi habuit, emit, ſed conſervandæ bonæ amicitiæ & vicinitatis gratiâ Duci Magno dedit, & in ſuperfluum Diſtrictum Piltenſem ad vitæ tempora reliquit, & conceſſit. Tum temporis etiam ipſe Dux Magnus, Ducem Fridericum Curlandiæ poſt ſuata pro hærede Diſtrictus iſtius conſtituit, teſtante *Heidenſtenio p. 210. Et Surio* Monacho Chartuſiano, *p.* 1082. *Anni* 1583. in hæc verba; *Legati Polonorum adjunctis etiam Conſiliariis Curlandiæ Ducis Diœceſanis, in memoriam revocant, præterita Acta inter Curlandiæ Ducem, & Ducem magnum, quibus cautum erat, ut Diœceſis, poſt mortem Magni ad Ducem Curlandiæ devolveretur. Hoc Sigismundum Auguſtum, hoc Stephanum Bathoreum, hoc ſubditos, hoc Magnum ipſum voluiſſe Legati oſtendunt.*

Mortuo Duce Magno Rex Daniæ ad inſtantiam nonnullorum Piltenſium eundem Diſtrictum occupare ſtuduit; Rex verò Poloniæ Sereniſſimus Stephanus intuitu permutationis prædictæ

dictæ etiam adoptionis & juris feudalis, Illuſtriſſimi Ducis Curlandiæ in Diſtrictum Piltenſem acquiſiti tanquam ſupremus Dominus pro Ducibus Curlandiæ illum defendebat, ficqve inter Reges iſtos ad arma deventum eſt, ubi Illuſtriſſimus Dux pro vindicando Diſtrictu & impediendis Danorum auxiliis Ducentos Equites miſit, vid. *Heidenſtein. p.* 211.

Sed mox interventu Marchionis Brandeburgici Georgii Friderici hæc Controverſia ſedata fuit, Diſtrictus pro ſummâ conventa 30. millium nimirum talerorum, à Marchione Regi Daniæ ſolutâ, illi jure hypothecæ conceſſus, inqve realem poſſeſſionem traditus fuit, Anno 1585. Dux Curlandiæ Gotthardus, ne traditio hæc hypothecaria juribus ſibi in Epiſcopatum competentibus fraudi eſſet, Grodnæ coram Rege Stephano 15. Dec. eodem anno ſolenniſſimè proteſtatus fuit, quam proteſtationem non modo Divæ memoriæ Rex Stephanus acceptavit, ſed etiam actis M. D. Lithvaniæ ingroſſari fecit. Impetravit poſteà Dominus Balthaſar Bathori, inſcio Duce, conſenſum Regis & Reipublicæ redimendi â Marchione Georgio Friderico Territorium iſtud pro ſummâ inſcriptâ.

Cum

Cum Dux Curlandiæ Fridericus hiſce cognitis, jus ſuum deinde in publicis negotiis allegaret, Rex & Reſpublica acquirendi Juris Bathorei poteſtatem illi dederunt.

Jure à D. Bathoreo jam acquiſito, Marchio Brandeburgenſis oblata ſumma hypothecæ nomine inſcripta ſuper deoccupatione Diſtrictus à Duce Curlandiæ requiſitus, tamen recuſavit.

Deputati igitur Commiſſarii Regii Anno 1597. die ultima Junii auditis partium Controverſiis Illuſtriſſimo Duci Curlandiæ Friderico, poſt numeratam & judicialiter depoſitam ſummam inſcriptam Diſtrictum Piltenſem, qui olim Epiſcopatus Curoniæ, tum verò territorium illius erat, cum omnibus Vaſallis & attinentiis adjudicarunt. Provocatum ab hoc Decreto nomine Marchionis ad Sacram Regiam Majeſtatem, appellatione verò in Judicium Regium deductâ, negotium amicabiliter compoſitum & jure Ducis Curlandiæ ſalvæ, Marchioni ejusqve Conjugi Diſtrictus advitaliter conceſſus eſt.

Nihilominus Duces Curlandiæ in omnibus Comitiis diligenter urſerunt, quo vigore Pactorum & Inveſtiturarum Ducalium Diſtrictus Piltenſis

tenſis Ducatui Curlandiæ adjungeretur, & in feudum conferretur. Nec fruſtra, nemine enim contradicente ad hunc finem in Comitiis Anno 1606. & 1607. Ordinum Conſenſum impetrarunt; Et dum obſtare videbatur jus advitalitium Viduæ Anſpachianæ ejus redimendi per publicam Conſtitutionem Anno 1609. poteſtas facta, & anno 1611. per Reſponſum Regium confirmata.

Hiſce Regiis & Ordinum Reſponſis ac declarationibus Dux Wilhelmus innitens Electori Brandeburgico Joanni Sigismundo I. tanquam univerſali heredi Marchionis Georgii Friderici ſummam 30000. thalerorum tradita ſibi viciſſim reali poſſeſſione Diſtrictus & literis hypothecæ Regiis aliisq; documentis, ſub ſponſione præſtandæ ratione ſummæ hujus evictionis numeravit, Viduæ verò Anſpachianæ ratione juris advitalitii mille florenos annuatim promiſit.

Penſione annuâ ob varios tumultus per Curlandiam exortos non ſolutâ, Vidua Anſpachiana Anno 1617. per Commiſſarios Regios in Curlandiam miſſos ratione juris advitalitii in abſentiâ Ducis Gvilelmi ipſoqve inſcio poſſeſſionem iſtius Diſtrictus ſibi adjudicari curavit, & Maydelio Tenutam ceſſit. Cum Svecus ultimo bello to-

tum Regnum armis infeſtaret & accinctus eſſet ingrediendi quoqve Diſtrictum Piltenſem, Princeps verens, ne illo occupato, in perpetuum ſibi retineret, paulo ante ab Ottone Erneſto Maydelio per ceſſionem jus hypothecarium, mediante Conſenſu Joannis Caſimiri, ac inſimul renovationem antiqui feudi ſuper totum Diſtrictum impetravit. His itaqve Regiis fretus beneficiis Princeps Diſtrictum Piltenſem poſtea à Svecis occupatum ex eorum manibus eliberavit & uti partem Curlandiæ Ducatui ſuo reunivit. In Pactis quoq; Olivenſibus §. 5. Sacra Regia Majeſtas & inclyta Reſpublica Diſtrictum Piltenſem à Provinciis, quarum utile & directum Dominium ad Regnum Poloniæ & Magnum Ducatum Lithvaniæ ſpectat, ſepararunt, & Ducatui Curlandiæ & Semigalliæ adjunxerunt.

Etſi autem nonnulli Nobilium ob quasdam Controverſias, quæ jam eventualiter ſopitæ ſunt, Jurisdictioni Principis refragabantur; Nihilominus Illuſtriſſimus Princeps per tot à Sereniſſimis Regibus & Republica emanata Reſcripta, & Conſtitutionem Grodnenſem circa eandem conſervatus ſubſtitit.

Quia igitur ex præmiſſis luculenter apparet, Prin-

Principem, non unâ viâ, ſed omnibus juris modis, quibus res acquiri poteſt, Diſtrictum Piltenſem acquiſiviſſe, videlicet Jure feudi, jure permutationis, Exemptionis, vindicationis & ſubjectionis; Proinde petit, ſe circa feudum oneroſiſſimo titulo comparatum, conſervari. Ita tamen, ut tenore Conſenſus Divi Joannis Caſimiri, extinctâ ſtirpe Maſculâ, hæredes ac Succeſſores Illuſtriſſimi Principis Tenutam Piltenſem, non priùs Regno deoccupare teneantur, priusquàm ipſis de ſummâ 30. millium Talerorum plenariè ſatisfactum fuerit. Salvis per omnia ſupremis Sereniſſimorum Regum & Reipublicæ Polonicæ juribus, uti etiam antiquis Nobilium libertatibus ac beneficiis à Principe recenter Nobilitati conceſſis, quæ ad concordiam & pacem ipſa inclinat.

Sed opponitur, I.

Permutationem non eſſe factam, quâ non facta etiam Epiſcopatus Curonienſis à Principe vindicari non poteſt.

1. Conceditur permutationē non eſſe factam, ſed ſciendum à parte Ducis Holſatiæ, non verò à Principe Curlandiæ, quia iteratis vicibus bona iſta Duci Magno præſentavit, ac tradere voluit. Quia

igitur hâc ratione Dux Holſatiæ in culpa fuit, quò minus bona iſta in poſſeſſionem acceperit; Igitur juſtitia ſvadet, ut Dux Holſatiæ ex culpâ ſua, non verò Princeps noſter damnum patiatur, qui hoc facto Pactis ſubjectionis ſatisfecit.

2. Notandum, quod ſatisfactio in præfatis bonis nudè Magnum Ducem, non verò Sereniſſimos Reges & inclytam Rempublicam tangat, atqve concernat; Num igitur iſte Satisfactionem â Ducibus Curlandiæ habuerit, nec ne; hoc ad Sereniſſimos Reges & inclytam Rempublicam minimè ſpectat, quia illis per hanc permutationem nihil reſervatum, & per conſequens nulla Actio competit, hoc autem ad Sereniſſimos Reges & inclytam Rempublicam ſpectat; ut juxta Pacta Illuſtriſſimus Princeps cum Ducatu, etiam Epiſcopatu Curonienſi potiatur.

3. Ponamus etiam â parte Principis permutationem non eſſe impletam, unde nihil aliud ſupponendum; niſi hoc quod Epiſcopatus Curonienſis fuerit jurè Ducis Holſatiæ, & ſic res aliena. Quia verò jura feudalia volunt, ut Dominus Feudi Vaſallum de re alienâ inveſtiens, eam ſumptibus ſuis redimere & Feudatario ſuo tradere debeat, proinde confidit Illuſtriſſimus Princeps Juſti-

Juſtitiæ ac benignitati Regiæ, quod eodem beneficio ſit uſurus.

4. Poſt primæva Pacta etiam nulla permutatio requirebatur; Nam Dux Holſatiæ Fridericum Ducem pro hærede inſtituit, uti ex *Surio* & allegatis *Reverſalibus* deductum, ubi expreſſimis verbis declaravit, quòd etiam nullâ ſubſecutâ permutatione nihilominus, poſt mortem ſuam, hæredes Gothardi Epiſcopatum habere debuerant. Sed licet Princeps tot jurium beneficiis non eſſet ſtipatus & munitus, nihilominus, quia inclyta Respublica bona iſta, quæ pro Epiſcopatu Curonienſi dari debuerant, per Pacta Olivenſia Svecis in perpetuum ceſſit; æquitas requirit, ut id, quod Principis damno aliis traditum, compenſetur, vel id, quod pro iſtis locis tradi debuerat, relinquatur.

Secunda Objectio.

Opponitur Epiſcopatum Curoniæ à Rege Daniæ, Regno Poloniæ eſſe ceſſum. Ceſſit non Epiſcopatum Curonienſem, ſed jus quoddam putativum, Verba etiam ceſſionis ita ſonant; Jus quod Rex Daniæ æſtimabat habere, nobis ceſſit. Verùm jus illud putativum, nullum ac

illegitimum fuit, hâc conſideratione, quòd Rex Daniæ, primum ab illegitimo & perjuro venditore Mœnnichuſio emerit, & non attentis Reverſalibus ac inſtitutione hæredis Ducis Holſatiæ, hunc Epiſcopatum ceſſerit & quidem ejusmodi Regi; qui jam de Epiſcopatu Curonienſi inveſtiverat Domum Curlandicam, & ſic rem immediatè ad Rempublicam, mediatè verò ad domum Curlandicam pertinentem.

Tertia Objectio.

Opponitur Conſtitutio anni 1611. & Commiſſio Kuczborſciana, quibus mediantibus certa formula Jurisdictionis immediatè ſancita eſt. Quæ forma Jurisdictionis, Rei ipſimet præjudicare non poteſt.

1. Quod Actio hæc non inter Principem conſtituta, eidem uti tertio, & quidem utili Domino, juxta obloquentiam juris, minimè præjudicare poſſit, imò ne ullum præjudicium Principi in utili ſuo Dominio accreſceret, ſpecialiter non tantùm jus Principi cum Ordinibus agendi in omnibus Inveſtituris, ſicuti etiam Decreto Vilnenſi, verùm etiam & hoc negotium, ſicuti illud tempore divi Sigismundi Auguſti fuit, conſervatum eſt.

2. Unum

2. Unumquodq; eo modo solvitur, quo colligatur. Sed sicuti Sigismundus III. formam Jurisdictionis immediatè induxit; sic Successor illius Joannes Casimirus eandem intuitu Pactorum & Investiturarum, in quibus petitorium Principi sacrosanctè reservatur, per privilegium suum & Commissarium Jabloszevium immutavit, posteriora autem tollunt priora.

PROCESSUS.

In renovatione Infeudationis & Investituræ Illustrisimi ac Celsisimi Principis ac Domini, Domini Jacobi in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Ducis coram throno Regio Serenisimi ac Potentisimi Principis ac Domini Domini MICHAELIS I. Regis Poloniæ Magni Ducis Lithvaniæ &c. &c. per Illustrisimæ Celsitudinis suæ Legatos Excellentisimos, Christophorum Henricum Puttkammer supremum Tuccumensem Capitaneum, atqve Georgium Fircks, Colonellum Cubiculiq; Regii Familiarem, Varsaviæ d. XXVIII. Mensis Novembr. Anno Domini M DC LXX. peractæ & receptæ observatus.

Postquam Illustrisimæ Celsitudini suæ ad præstandum homagium Warsaviæ die 28. Novembr. præsi-

præfixus fuit, Legatos ſuos Varſaviam expedivit, ex quibus uni, ſcilicet Domino Putkamero ante introitum publicum Illuſtriſſimus Vice Cancellarius Olszovius cum pro rhedâ mittenda invitaretur, ex inſtinctu nonnullorum quæſtionem capacitatis ob Reformatam Religionem movebat; Sed reſpondebatur, quod ille jam ſæpius apud Sereniſſimos Reges & inclytam Rempublicam titulo Ablegati admiſſus fuerit. 2. Quod non adeò pridem Dominus Baro ab Hoverbecke ut ut Reformatæ Religionis, ſine ullâ deſuper controverſiâ, pro recognoſcendo feudo de duabus Præfecturis Lauenburg & Bytau admiſſus fuerit. 3. Quod ſi ad recipiendum ab Henrico Valeſio, Electo Poloniarum Rege juramentum Tenczynius Reformatam Religionem profeſſus, â tota Republica dignus & capax judicatus fuerit Legatus, nihil obſtet, quò minus Reformatæ fidei addictus juramentum nomine Principis Feudatarii coram Sereniſſimo Rege Poloniæ præſtare poſſit. Sed mox iſtæ aliæqve rationes prævaluerunt. Legatis igitur die 21. ejus appropinquantibus, Senatores & Officiales Regni rhedas ſuas ad numerum viginti & unius uſqve ad Arcem Uiasdovienſem, quà egrediebantur, obviam miſerunt.

Hoc

Hoc ſplendido proceſſu itaq; progredientes Reverendiſſimus Dominus Franciſcus Prazmovvski Secretarius Regni Major nomine Sacr. Reg. Majeſtatis ad quadrantem milliaris obviam venit, cum rhedâ Regiâ, & ad columnam lapideam ſubſtitit, ubi oratione erga Illuſtriſſimam Celſitudinẽ ſuam propenſam Sacræ Regiæ Majeſtatis voluntatem & affectum deduxit, ac de adventu D. D. Legatorum gratulatus, eos ad currum Regium, quem in hunc finem ſecum habebat, invitavit. Huic per Dominum Puttkamerum tanquam primarium Legatum reſponſum eſt. Poſthæc Legati in curru Regio, quem celeres & Satellites Regii obſervabant, & inſignis numerus Equitum cum viginti & una rhedâ præcedebat & tres rhedæ D. D. Legatorum cum equitibus & equis deſultoriis phaleris pretioſis adornatis ſequebantur, per Civitatem ad hoſpitium ſuum in ſuburbio, quo Leſznam itur, ſolenniter, veſpertino tempore, facibus accenſis, deducebantur. Alterâ poſt adventum die D. D. Legati ad Illuſtrem Dominum Theodorum Comitem â Dönhoff Regni Supremum Succamerarium miſerunt, & eundem ad procurandam privatam audientiam apud Sacram Regiam Majeſtatem per duos Aulicos com-

pellarunt. Qui horam quintam veſpertinam denunciari fecit. Quâ D. D. Legati in primâ anticamerâ comparentes à dicto Succamerario fuerunt excepti, & per Cameram Marmoream & tertiam, usqve in pinocothecam (cabinet) deducti. Stabat Rex ante menſam & uno aut duobus gradibus ſe movebat, quem primus Legatus fermè hiſce verbis allocutus eſt;

Venit Sereniſſimorum Regum Poloniæ fidelis Cliens Princeps, Illuſtriſſimus & Celſiſſimus in Livoniâ Curlandiæ & Semigalliæ Dux, Princeps noſter gratioſiſſimus, ut fidem, quam Majores illius ante centum & octo, & ipſemet ante viginti & novem annos Sereniſſimis Poloniæ Regibus ſanctiſſimè dederunt, quæqve inter tot illecebras hoſtium & infauſtos carceres ſancta atqve intacta manſit, novo ac candido juramenti velo involutam publicè Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ per Nos deferre, & inveſtituram, juxta Pacta & privilegia Sereniſſimorum Regum Poloniæ, è manibus Sacræ Regiæ Majeſtatis veſtræ accipere queat. Cui muneri obeundo, dum ab Illuſtriſſimo Principe comparemus, & hâc conceſsâ audientiâ in conſpectum Sereniſſimi vultus Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ admittimur, humili

mili genu precamur, dignetur Sacra Regia Majeſtas Veſtra, beneficiis Sereniſſimorum Anteceſſorum ſuorum hoc æternum benignitatis exemplar addere, quo ſolenni Actu Homagii quantocyùs expedito, Nos bonum Nuntium referamus. Fatemur quidem huic immenſæ bonitati Regiæ vices inferiori fortunâ Illuſtriſſimi Principis noſtri exſolvere rem impoſſibilem eſſe; Sed non ignoramus quoqve potentiam atqve benignitatem Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ nullam aliam remunerationem præter animum fide & obſequio ſpirantem à fideli Principe & Cliente ſuo poſtulare; qvem etiam Illuſtriſſimus Princeps noſter in redhoſtimentum hîc tanquam ante Aram Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ per Nos defert, atqve conſecrat. Redditis literis credentialibus Sacra Regia Majeſtas fidem atqve Conſtantiam Illuſtriſſimæ Domus Ducalis Curlandicæ Regibus & Reipublicæ toties exhibitam, verbis clementiſſimis perſequendo, promptitudinem Illuſtriſſimæ ſuæ Celſitudinis, quâ homagium ſe præſtare declarat, grato pectore excipit, & affectum ſuum conſvetum in hoc Actu ſolenni quàm etiam cæteris advenientibus occaſionibus Illuſtriſſimæ Celſitudini exhibere promiſit.

miſit. Poſthac per ſemi horam Regia ſua Majeſtas cum DD. Legatis collocuta eſt, tandem ad oſculum manus Regiæ Succamerarius Regni, Nobiles in majorem ſplendorem huic Legationi additos, invitavit. Diebus porrò ſequentibus aggrediebantur Domini Legati Dominos Senatores & alios Reipublicæ Officiales, eisqve negotia Illuſtriſſimi Principis, more ſolito, commendabant, ex quibus viciſſim nonnulli, DD. Legatos viſitabant: Die 25. ejusd. Sacra Reginalis Majeſtas per Reverendiſſimum Dominum Boguslaum Leſzcrynski, Præpoſitum Plocenſem Cancellarium ſuum, DD. Legatis audientiam aſſignavit. Quibus Albertus Opacki primus Camerarius & Pocillator ejusdem Reginalis Majeſtatis, Succamerarius Varſavienſis, in veſtibulo obviam venit, eosqve ſalutando in Cameram Sacræ Reginalis Majeſtatis deduxit. Stabat ſub throno Sacra Reginalis Majeſtas, quam ab utroqve latere inſignis fæminarum atqve virginum illuſtrium ſtipabat caterva. Ubi præmiſſis Curialibus primus Legatus nomine Celſitudinis ſuæ de felici Coronatione, ſolenni oratione gratulatus, & Domum Ducalem ejusdem favori commendans literas credentiales reddidit. Cui Sacra Regi-

Reginalis Majeſtas per Cancellarium fermè in eum modum reſpondit. Uti Sacram Reginalem Majeſtatem fides & Conſtantia Domus Curlandicæ erga Serenisſimos Reges atqve inclytam Poloniæ Rempublicam non latet; ita eandem Domum benignitate Regiâ complecti nullo tempore intermittet. His peractis Aulici Legationis ad oſculum manus admittebantur. Poſt hæc aliquot dies conſumpti ratione nonnullarum controverſiarum, donec tandem complanatis iis, dies 28. Nov. homagio præſtando per Joannem Clementem de Ruſzca Branicki Marſchalcum Curiæ Regni deſtinatus fuit. Circa undecimam horam antepomeridianam Caſtellanus Culmenſis Kretkovvski & ſupradictus Secretarius Regni Major cum ſplendidiori curru Regio ad hoſpitium DD. Legatorum venerunt, illosqve in Arcem deduxerunt. In areâ Arcis ſtabat legio cuſtodiæ Corporis Regii Vexillis liberis & volantibus, ante portam ferream Auguſtalis Senatorum ſupradictus Curiæ Regni Marſchalcus venientes DD. Legatos prævia gratulatione aliisqve Curialibus ad Thronum Regium deducebat. In introitu & exitu DD. Legatorum aſſurgebant DD. Senatores. Erat is thro-

nus panno aureo inſtructus & erectus, theatrum tres gradus altum, & rubro panno ſtratum, in quo Regia Majeſtas ſedebat. Stabant ad thronum à dextris præfatus Vice. Cancellarius Regni, à ſiniſtris verò Illuſtriſſimus Dominus Chriſtophorus Pac Supremus Magni Ducatus Lithvaniæ Cancellarius. Porrò circa ſolium à dextris Illuſtr. Dominus Franciſcus Bielinski Enſifer Regni diſtricto gladio, à ſiniſtris, in abſentia Vexilliferi Regni, Nicolaus Narzevvski Vexillifer Plocenſis vexillum feudale manu tenens, adſtabant, totumqve theatrum & Auguſtale Senatorum, magnam Aulicorum, atqve hominum aliorum, capiebat multitudinem. In gradum Throni inferiorem cum Legati in genua, ritu conſveto, procubuiſſent, Dominus Putkamerus, in eam, quæ ſequitur ſententiam, verba fecit:

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex,
Domine, Domine Clementiſſime.

VIx Orbis Sarmaticus Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram liberis ſuffragiis electam, & ſacro diademate redimitam, pro Domino ac Rege ſuo venerabatur, & confeſtim Illuſtriſſimus ac Celſiſſimus in Livoniâ Curlandiæ & Semigalliæ

liæ Dux, de tam immenſo cælitùs conceſſo beneficio lætabundus coram Sacra Regia Majeſtate Veſtra per me comparuit, & ſimul certum terminum ad præſtandum homagium demiſsè petiit, ut toti terrarum Orbi non ſolo ore, ſed & candido corde teſtatum faceret, nusquam Fiduciarium aliquem alacriori animo & celeriori curſu ad exſolvendam fidelitatis ſuæ teſſeram anhelaſſe, nec meliorem in Regem & Patronum, quàm Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram â ſuperis ſibi dari, aut donari potuiſſe. Et quia hodie jam optatus iſte dies illuxit, quo Sacra Regia Majeſtas Veſtra, Illuſtriſsimo Principi noſtro per Legatos ſuos juxta beneficium Serenisſimi Anteceſſoris ſui homagium præſtare & Inveſtituram ritu conſveto accipere permiſit. Quapropter Illuſtriſsimus Princeps Noſter per Nos hîc comparet, & ſupplici mente petit, dignetur Sacra Regia Majeſtas Veſtra tanquam Supremus & directus Dominus, eum vigore veterum per Serenisſimos Prædeceſſores Poloniæ Reges & Magnos Lithvaniæ Duces conceſſarum inveſtituram & Privilegiorum de Terris, Civitatibus, Oppidis, Vicis, & Arcibus, totoqve Ducatu Curlandiæ & Semigalliæ in Livoniâ, Clementisſimè

tisſimè inveſtire. Quo nomine Illuſtriſſimus Princeps Noſter coram ſolio Regio ad pedes Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ provolutus, more ſolito, ac laudabili apud omnes Gentes receptâ conſuetudine feudorum jura renovare, Homagium præſtare, fidem obedientiamqve ſolennibus Juramenti verbis per me adſtringere paratus eſt.

Ad hæc nomine Regiæ Majeſtatis ſupradictus Vice Cancellarius Regni reſpondebat, in modum ferè ſequentem.

Quia Generoſi Domini Legati nomine Illuſtriſſimi Principis Domini Jacobi in Livoniâ, Curlandiæ & Semigalliæ Ducis à Sacra Regia Majeſtate Domino Noſtro Clementiſſimo Inveſtituram Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ ſupplices petunt, ac eo nomine ad homagium in animam ſuæ Illuſtritati paratos ſe eſſe declarant, Sacra Regia Majeſtas benignè id Illuſtritati ſuæ concedit. Dat autem hoc inprimis Illuſtriſſimorum Curlandiæ & Semigalliæ Ducum meritis, dat ſuæ erga Illuſtritatem propenſioni, ac benevolentiæ, dat communi Senatus Ordinumqve Regni authoritati, qui primitùs Domum iſtam Ducalem hoc feudi beneficio ornandam cenſuerunt;

ſuerunt; Itaqve, quod non modò Illuſtritati ſuæ & ipſius inclytæ poſteritati, verùm etiam Sacræ Regiæ Majeſtati ejusq; poſteris Poloniæ Regibus, Regnoqve huic, atqve adeò univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ benè & feliciter eveniat, Inveſtituram Curlandiæ & Semigalliæ Ducatuum, juxta veteres & poſtremam etiam Inveſtituram per Generoſas Dominationes Veſtras Illuſtritati ſuæ, tradito hôc vexillô, ex more confert: ſperat autem, planeqve confidit, Sacra Regia Majeſtas, Illuſtritatem ſuam daturam operam, ut hanc erga ſe Majeſtatis Regiæ beneficentiam debitis officiis proſequatur, deqve eâ ac Regno illius perpetuo benè mereri ſtudeat, atq; contendat. His peractis Regia Majeſtas Vexillum feudale, quod Vexillifer tenebat, apprehendit, & Domino Puttkammero tanquam primario Legato in manus tradidit, illumqve apprehenſo vexillo, ſequentibus allocuta eſt verbis.

Nos Michael Rex Poloniæ &c. tanquam naturalis & Supremus Dominus totius Livoniæ Ducatuumqve Curlandiæ & Semigalliæ annuendo precibus Illuſtriſſimi Jacobi Ducis tradimus, & concedimus Illuſtritati ſuæ in feudum

Terras, Civitates, Oppida & Arces commemoratorum in Livoniâ Curlandiæ & Semigalliæ Ducatuum, & ad eosdem Illuſtritatem ſuam per hujus Vexilli traditionem in perſonâ Generoſitatis tuæ Chriſtophori Henrici Putkameri, uti Plenipotentis Illuſtritatis ſuæ, inveſtimus & inſtituimus, gratia & benignitate Noſtrâ, quâ Illuſtritatem ſuam ob ſingularia in Reges Regnumqve Poloniæ, Anteceſſorum quoqve ejusdem Illuſtritatis Ducum, merita complectimur ſperamusq; Illuſtritatem ſuam beneficii hujus memorem ſemper futuram, gratamqve pro eo ſe exhibituram. Indè liber Evangeliorum, quem ſupra memoratus Secretarius Major manibus tenebat, in ſinum Sacræ Regiæ Majeſtatis poſitus fuit, & præfatus Illuſtriſſimæ Celſitudinis ſuæ Legatus in ſupremo Throni gradu flexis genibus læva manu vexillum feudale tenens, dextrâ autem ſuper Evangelium poſitâ, juramentum fidelitatis, cujus verba hæc: Illuſtriſſimi Principis Jacobi DEI Gratia in Livoniâ Curlandiæ & Semigalliæ Ducis pro præſtando homagio & recipienda Inveſtitura ad Sacram Regiam Majeſtatem Legatus ego Chriſtophorus Heinricus Puttkammer, nomine mandato ſeu plenipotentia ejusdem, in ani-

animam ejus juro ſuper hæc Sancta DEI Evangelia &c. & reliqua juxta formulam juramenti Anno 1639. circa primam Illuſtriſſimæ Celſitudinis ſuæ infeudationem receptam, prælegente Pro Cancellario Regni, præſtitit. Prædicto Juramento Legatus Collegæ ſuo Georgio Firks Colonello & Aulico Sacræ Regiæ Majeſtatis vexillum illud feudale tradidit, & ad inferiorem theatri gradum in genua iterum procumbens, pro iſtâ Clementiſſimâ Infeudatione Sacræ Regiæ Majeſtati gratias ſequentibus egit verbis.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex,
Domine, Domine Clementiſſime.

Sicuti Sydera ſunt, ut lucem ſuam in inferiora mundi corpora diffundant, ſic S. Regia Majeſtas Veſtra tanquam ſydus ſalutare præteritis turbulentis temporibus affulgens, de avitâ ſuâ Lunâ non ſolummodò innumeros benignitatis Regiæ radios ſupra Univerſum Orbem Sarmaticum ſparſit; Verùm etiam hodiernâ luce perenni Regiæ Clementiæ ſydere Illuſtriſſima Domus Curlandica reluxit, dum Sacra Regia Majeſtas Veſtra, quæcunq; ei à Sereniſſimis Regibus Poloniæ conceſſa fuerunt, nunc ſolenni feudi reno-

vatione contulit atqve confirmavit. Quo nomine Illuſtriſſimus Princeps noſter pari gratiarum actione, eàdem fide & obſequiô, quibus Sereniſſimis Anteceſſoribus obſtrictus vixit, & Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ tanquàm Supremo & directo Domino ſuo adamantino vinculo æternum ſe obligatum eſſe profitetur. Agnoſcit enim Illuſtriſſimus Princeps noſter omnes opes atqve fortunam ſuam authoritate florentiſſimi Regni fundatas eſſe. Proindè etiam ſe ſuaq; omnia in protectionem & clientelam Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ totiusqve Reipublicæ tradit, & in redhoſtimentum ſanguinem ſuum, quô nihil carius habet, quovis momento, ad nutum Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ, effundere paratus erit, humillimis cum precibus, dignetur Sacra Regia Majeſtas Veſtra eum, Domumqve ſuam Ducalem ulterioribus beneficiis exornare, contra omnium hominum injurias potentiſſimè defendere, & hunc indiſſolubilem feudi nexum perpetuâ felicitate æternum reddere. Quo factô Actus hic ſolennis ſincerus teſtis perpetui amoris & fidei inter Patronum atq; Clientem in Gloriam DEI, decusqve Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ, totiusqve Reipublicæ ornamen-

ornamentum, in toto terrarum Orbe perennabit, & auctior evadet. Ad hæc ſæpe fatus ProCancellarius Regni ſolenni oratione, fidem Illuſtriſſimi Ducis Curlandiæ laudibus extollendo, benevolentiam Sacræ Regiæ Majeſtatis promittendo reſpondebat. Finitâ hâc oratione, Marſchalcus Curiæ Regni Dominos Legatos ad capiendam ſeſſionem in ſellis à Siniſtris Sacræ Regiæ Majeſtatis in ſupremo theatri gradu poſitis invitavit. Illis ita ſedentibus primus Legatus, more jam olim uſitato, paululùm caput texit, quod in honorem Sacræ Regiæ Majeſtatis mox iterum denudavit, & Aulici Legationis (inter quos etiam ego fui) ad oſculum manus Regiæ vocabantur, & ſolenniter admittebantur, ſcilicet Generoſi, Magnus Buttler Major, Otto Dietericus Sacken, Erneſtus Rappe tunc Capitanei locum tenens, nunc Colonellus & Commendans BiałoCerkvvienſis, Szoëgen, Jacobus Koſzkul, Fridericus Franciſcus Ley, Baro de Neuhoff dictus Ley, nunc Conſiliarius Cameræ judicialis Sereniſſimi Electoris, Palatini Rheni, Joannes Korkosz Golginovvicz. Tandem iis omnibus ritè & feliciter peractis, receptoqve per Generoſum Buttler feudi vexillo, primus

Legatus Throno deſcendens brevibus verbis Sacræ Regiæ Majeſtati valedicendo, humillimas iterum gratias pro hoc illuſtriſſimo Principi collato beneficio agebat. Cui Sacra Regia Majeſtas reſpondebat, ſperamus Illuſtritatem ſuam, ſemper beneficii hujus memorem, in fide & obſequio conſtanter permanſuram. Tandem, Dominos Legatos inter varias DD. Senatorum gratulationes Curiæ Regni Marſchalcas comitabatur, atqve ſic DD. Legati ex Arce per dictum Caſtellanum atq; Secretarium Regni Majorem, eâdem ſolennitate, quâ deducti fuerant, niſi quod vexillum feudale proximè ante currum, per Generoſum Koſzkul ferebatur, ad hoſpitium, ubi eosdem tubicines & tympaniſtæ Regii tympanarum ac tubarum hilari clangore excipiebant, deducebantur, atqve ſic ibi gratulationibus ac debitâ gratiarum actione hæc ſolennitas finiebatur.

Cum Renovatio Feudi ſub Sereniſſimo Rege JOANNE III. nunc feliciter Regnante d. 27. Menſis April. Ao. 1677. poſt finita Comitia eodem fere ritu modoqve recepta & peracta ſit, brevibus differentiam, quæ in nonnullis fuit, exhibeo. Legatus erat Dominus Evvaldus Frank

dictus

dictus Pfeilitzer ex Supremis Consiliariis Cancellarius. Locus, ex quo introitum suum faciebat, erat Palatium Illustrissimi Domini Christophori Pac Supremi Magni Ducatus Lithvaniæ Cancellarii, nuncupatum Bellveder. Pro actu ipso homagii Illustrissimus Dominus Vladislaus Comes à Doënhoff Castellanus Culmensis nunc Palatinus Pomeraniæ, & Reverendissimus Dominus Gninski Referendarius Regni, Legatum in curru Regio ad Arcem deduxerunt, ubi eidem ante Portam ferream Augustalis Senatorum, Illustrisimus Princeps Dominus Stanislaus Lubomirski Supremus Regni Marschalcus obviam veniebat. In throno à dextris stabat Reverendissimus Dominus Wydzga Episcopus Varmiensis ViceCancellarius Regni nunc Archi Episcopus Gneznensis. A siniſtris præfatus Dominus Cancellarius Lithvaniæ. Deinde à dextris stabat Illustrisimus Princeps Dominus Hieronymus Lubomirski, Eques Melitensis ut Vexillifer Regni vexillum feudale tenens, stabat ibidem quoqve Illustrissimus Dominus Franciscus Bielinski Ensifer Regni nunc Palatinus Mariæburgensis. Cum vero Generosus Otto à Sesvvegen, Collonellus Legionis Sereniſſimi Principis

cipis Regii, Venator Ducatus Livoniæ, morbo detineretur, ut tanquam Collega Legati comparere non potuerit, Sacra Regia Majeſtas meæ tenuitati, ut Reſidenti, gratiam & honorem faciebat, Vexillum feudale à Domino Legato recipiendi & tenendi, quod alias alter Legatus præſtare ſolebat. Aulici, qui ad oſculum manus Regiæ admittebantur, erant, Generoſi, Nicolaus Korff Theſaurarius Ducatus Livoniæ, Erneſtus â Nolde, Carolus Joannes â Blumberg, Celſiſſimi Ducis Aulici, quorum iſte ſcilicet Generoſus Nolde, cùm Legatus domum deduceretur, Vexillum feudale ante currum Eques ferebat.

Oratio Petitoria.

O verè juſtum & legitimum â DEO nobis datum Regem, qui in ſummo faſtigio conſtitutus, non magnus magis, quam bonus audire deſiderat. Nam magnitudinem & magnanimitatem ſuam Sacra Regia Majeſtas Veſtra toti Terrarum Orbi luculenter exhibuit, dum durante hoc Turcico bello maluit ſemper inter ſtrenuos milites commorari, omnes intempeſtates, belli curas & moleſtias pro ſalute Reipublicæ

publicæ ſuſtinere, & Patriæ paterno ſuo & ſaluberrimo conſilio prodeſſe, quàm in Regiis Palatiis ſplendidè vivere. Si bonitatem & ineffabilem Clementiam Sacræ Regiæ Majeſtatis contemplor, cuinam non bonum ſe præbuit, cum totius Reipublicæ & omnium annexarum Provinciarum, jura, immunitates, & privilegia ita ſacro ſanctè gubernat, ut etiam ii, qui ante hac aliquid damni in ſuis privilegiis & immunitatibus perpeſſi ſunt, nunc de novo tempore feliciſſimi Regiminis Sacræ Regiæ Majeſtatis de integerrima reſtitutione tàm in Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus glorientur, & DEum pro longævâ incolumitate & feliciſſimo Regimine Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ ardentiſſimis precibus contendant; Inter quos fideles non eſt poſtremo loco locandus Illuſtriſſimus & Celſiſſimus Princeps meus, Cliens fideliſſimus Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ, qui hodie per me comparet, ut toto terrarum Orbi ore & corde monſtret, nusquam fiduciarium aliquem ad perſolvendam fidelitatis ſuæ propenſionem magis anhelaſſe, nec meliorem Regem & Patronum, quàm Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram aut optari aut donari potuiſſe. Et quia hodie optata iſta hora

affulſit, qua Sacra Regia Majeſtas Veſtra Principi meo per Legatum juxta beneficium Sereniſſimi Anteceſſoris ſui homagium præſtare, ac Inveſtituram conſveto ritu accipere permiſit; Proindè Illuſtriſſimus Princeps in perſonâ meâ comparet, & ſupplici mente petit, dignetur Sacra Regia Majeſtas Veſtra, tanquam ſupremus & directus Dominus tam vigore veterum per Sereniſſimos Prædeceſſores Poloniæ Reges & Magnos Lithvaniæ Duces conceſſarum Inveſtiturarum & privilegiorum de Terris, Civitatibus, oppidis, vicis & Arcibus totoqve Ducatu Curlandiæ & Semigalliæ clementiſſimè inveſtire. Quo nomine Illuſtriſſimus Princeps meus coram throno Regio, ad pedes Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ in genua decumbens more ſolito & laudabili apud omnes gentes receptâ conſvetudine feudorum, jura renovare, Homagiumqve præſtare, fidem obedientiamq; ſolennis juramenti verbis per me deponere paratus eſt.

Gratiarum actoria.

Inter amorem timoremqve medius & alternis judiciis ambigens, dum nomine Illuſtriſſimi

ac

ac Celsissimi Principis mei Sacræ Regiæ Majestati Vestræ gratias nectere paratus sum, Domino ne an Patri gratias rependam? Si amplitudinem & potentiam Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ considero, meritò Invictissimo Domino; Si verò beneficium hodiernâ luce Illustrissimo Principi meo collatum intueor, benigno & clementissimo Patri meritò gratias exsolvo. Nam quæcunqve ei à Sereniſſimis Poloniæ Regibus concessa fuerunt, nunc solenni feudi renovatione Sacra Regia Majestas Vestra Illustrissimo Principi paterno affectu & clementiâ contulit atqve confirmavit. Quo nomine Illustrissimus Princeps meus pari gratiarum actione eâdem fide constantiâ & obsequio, quibus Sereniſſimis Prædecessoribus obligatus vixit, & Sacræ Regiæ Majestati Vestræ tanquam supremo & directo Domino suo, arctâ quàdam fidelitatis catenâ in æternum devinctum & obstrictum se esse profitetur. Agnoscit enim Illustrissimus Princeps meus omnes opes ac fortunam suam autoritate florentisſimi Regni fundatas esse, proindè se suaqve omnia in protectionem & clientelam Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ totiusqve Reipublicæ tradit & sanguinem suum, quo nihil carius habet, quovis mo-

mento ad nutum Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ effundere paratus erit, cum humillimis precibus, dignetur Sacra Regia Majeſtas Veſtra Eum Domumqve Ejus Ducalem ulterioribus beneficiis condecorare, contra omnium hominum injurias potentisſimè defendere, & hunc indisſolubilem feudi nexum perpetuâ felicitate exornare. Quo facto ſolennis hic Actus apertus teſtis perpetui amoris atqve fidei inter Patronum & Clientem in maximam DEi gloriam, Decus Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ totiusqve Reipublicæ ornamentum in toto Terrarum Orbe perennabit.

De *Livoniâ* quid, Pactorum Olivenſium tenore, Svecis ceſſum ſit, quid Polonis remanſerit, ex Inſtrumento Pacis §. 4. & 5. ſuperius exhibito eluceſcit. Cum Livonia tam ad Regnum quàm Lithvaniam ſpectet, expeditiones ad eandem ſub Sigillo Regni Magniqve Ducatus Lithvaniæ extradi debent, vid. *Conſtit.* 1589 ubi etiam cavetur, quòd Livonico militi ab utriusqve Gentis Ducibus ſit Præfectus aſſignandus, ſi tamen tempore alicujus expeditionis Duces utriusqve Gentis adeſſent, medietas Livonici militis uni, altera alteri cedere teneatur, niſi urgens neceſſi-

tas

tas ſvaſerit, ſub regimen unius coordinandos milites. Secundùm jus antiquum ordinationis Livoniæ duo ex Regno, duo ex Lithvaniâ & totidem ex ipſâ Provincia Nuntii ad Comitia eliguntur. Qui tamen, quando durantibus Comitiis nationales habentur Conventus, cum Lithvanis deliberant.

Per Conſtit. Anni 1677. Ordinatio in perpetuùm non abroganda facta eſt, dum Senatores, id eſt, Epiſcopus, Palatinus & Caſtellanus aliiqve Officiales ſub generali titulo Ducatus Livoniæ conſtituti ſunt. In conferendis autem dignitatibus Senatoriis alternata trium Nationum reſervatur. Idem etiam cavetur de Capitaneatibus juxta antiquum jus, & ſi Capitaneus nullam habens poſſeſſionem ex Regno vel M.D. Lithvaniæ conſtitutus fuerit, intra ſemeſtre poſt obtentum officium tenebitur poſſeſſionem eruere. Quoad *Judicia* cavetur, quod à Terreſtribus & caſtrenſibus, quando ſumma quingentos florenos non excedit, appellationem ad Judicia Aſſeſſorialia Regni per Menſem Januarium & Februarium, quovis anno celebranda, interponere non liceat. Sub tempus Judiciorum iſtorum aſſidere tenetur Referendarius vel Notarius M. Ducatus

Lithvaniæ, atqve inſuper etiam unus ex Gente Livonicâ Aſſeſſor juratus ſub nomine Secretarii, cujus tamen abſentia ad cauſas judicandas impedimento eſſe non debet. De *Contributionibus* notandum eſt, quòd uno anno in Theſaurum Regni, altero autem in Theſaurum Magni Ducatus Lithvaniæ inferendæ ſint.

Caput X.

DE VOLHYNIA.

Ducatum hunc Caſimirus III, qui utriqve Nationi & Poloniæ & Lithvanicæ præfuit, â Regno tanquam proprio Corpore alienaverat, ſed Sigismundus Auguſtus Regno iterum appropriavit *vid. Conſt.* 1569. Dividitur in duos Magnos Diſtrictus, Cremenecenſem & Luceorienſem. Quoniam varia oriebantur inconvenientia & per Amanuenſes circa deſcriptionem Statuti Volhynenſis frequentes committebantur errores, ideò per Conſtit. Anni 1667. conceſſum eſt, ut typis excuderetur. Habet etiam Volhynia ſeorſivum ſuum Notarium Decretorum.

Caput

Caput XI.
DE KIIOVIA.

I. SPectavit iſte Ducatus Jure perpetuo ad Regnum Poloniæ, donec Vladislaus Jagello ex occaſione, quòd utriusq; Nationis gubernacula tenuit, eundem à Corpore Regni ad Magnum Ducatum Lithvaniæ transtulit. Rem tamen Sigismundus Auguſtus in integrum reſtituit, ac cum Regno iterũ conjunxit per dictam *Conſtit. anni* 1569. ubi inter alia cavetur, quòd omnes Expeditiones Regiæ hunc Ducatum concernentes non alio niſi Ruthenico charactere expediri, negotia verò ad Cives & jus Magdeburgenſe ſpectantia Polonicè concipi debeant. Id quod etiam in Volhynia obtinet, juxta præfatam Conſtit.

II. Vigore Tractatuum Andruſſovienſium, debebat poſt biennium Magnus Moſchorum Dux Kyoviam Polonis reddere. Sed adhuc eandem poſſidet.

Caput XII.
DE PODOLIA.

POdolia continuis Barbarorum incurſionibus & præliis famoſa, in tria Territoria dividitur, Ca-

Camenecenſe, Trebovlienſe & Lancovienſe. Capitaneus gaudet titulo Generalis. Petrum Valachiæ Palatinum, refert *Sarnicius*, ſolitum dictitaſſe; Aut tu Kamieniec Chocimum Noſtrum, aut Chocimum Kameneciam deglutiet. Eripuit Nobis dolendo fato, hoſtis Chriſtiani Nominis antemurale illud. Notanda hîc temporum revolutio, quippe Camenecia ab Olgerdi Magni Ducis Lithvaniæ ex fratre Nepotibus, quos Podoliæ præfecerat, condita, & ecce ſub Michaële Rege ex Olgerdi familiâ oriundo occupata eſt. Svaſit tunc temporis neceſſitas prohibendi hoſtem â viſceribus Regni, pacem etiam iniquis conditionibus inire. Sed cum libera Gens tributum (viginti & duorum millium ducatorum) ferre non poſſet, Ordines Regni, quibus inconſultis illa pax, non tamen jurata, ſteterat, decreverunt armis injuriam vindicare. Id quod etiam feliciter ſucceſſit. Uti enim olim Anno 1444. *die* 10. *Novembr. in Vigilia S. Martini* Vladislaus Rex ſub ductu *Joannis* Corvini Hunniadis ingentem cladem paſſus eſt, ita Reſpublica Anno 1673. die 11. *Novembr. ipſo feſto Martini* ſub ductu *Joannis* tunc ArchiStrategæ, nunc Regis ejusdem nominis III. ingentem victoriam obtinuit. Illa clades

Illa clades Regem abſumpſit, hæc victoria Regem aſſumpſit. Nam pridie Rex Michaël Leopoli fatis ceſſit, & Victorioſus iſte Joannes *ob res benè geſtas die 21. Maji* Anno 1674. liberis ſuffragiis in Regno ſucceſſit, eodem notabili die, quo olim Anno 1622. Osmanus II. Turcarum Imperator Juvenis ferociſſimus, & Orbi vexando natus, ultimum ſubiit ſupplicium *ob rem malè* in Poloniâ *geſtam.* Quales parallelæ temporum!

Caput XIII.
DE PODLACHIA.

I. Ducatus hic à Caſimiro Jagellonide Lithvaniæ adjunctus, rediit ad Corpus Regni: *vid. Conſt.* 1567. 1569. 1581. 1588. nec non 1607. quæ anno 1633. reaſſumptæ approbatæque ſunt. Dividitur in tres Diſtrictus Trogicynenſem, Mielnicenſem atque Bielſcenſem.

II. Obviando inconvenientiis, quibus ſæpe Electiones Deputatorum, Nuntiorum, & Officialium Terreſtrium in Puncto conſtituendi Mareſchalli evanuerunt, *Conſtitutionem* anni 1598. Palatinatui Maſoviæ in eligendo Mareſchallo ad omnes tales actus pluralitate ſuffragiorum inſer-

vientem, ſi unanimis defuerit conſenſus, Palatinatus Podlachiæ in toto recepit.

Caput XIV.

DE SMOLENSCIA, SEVERIA, CZERNIECHOVIAq;

SMolenſcenſis Satrapia Ducatum Severienſem, Terram Czerniechovienſem & Diſtrictum Orzanenſem in ſe complectitur. Severiam Sigismundus III. Czesniechoviam Vladislaus IV. Regno annexuit. Refert Koiaſovicius parte ſecunda Hiſt. Pol. lib. 5. quod olim Principes Severiæ ob contumeliam ſibi à Janitore nolente ipſos ad Regem intromittere illatam, ad Moſchos defecerint. Palatinus Czerniechovienſis Palatinatum cum eodem Capitaneatu, abſq; ullà incompatibilitate exemplo Palatinatus Kyovienſis, habere poteſt, juxta Conſt. 1635. p. 18. Jam verò Ducatum Smolenſcenſem & Severienſem Magnus Moſchorum Dux tenet, vigore initarum Induciarum, quæ anno 1693. menſe Junio exſpirant.

EPILO-

EPILOGUS.
DE FORMA & SCOPO REIPUBLICÆ POLONÆ.

POſſem hîc exemplo aliorum, qui Jura Publica deſcripſerunt, in formam Reipublicæ Polonæ, juxta Leges Politicorum, curioſius inquirere. Sed ſtudiò hoc ipſum thema, quod alibi tractandum videbatur, eousqve diſtuli, ut prudenti & æquo Lectori ex antecedentibus, liberum eſſet judicium. DE SCOPO etiam paucis innuo, eundem (uti Marinius integro libello oſtendit) in SALUTE & ÆQVALITATE Civium conſiſtere.

SOLI DEO GLORIA!

ADDENDA.

Ad pag. 39. num. XXII.

JURAMENTUM REGIS POST ELECTIONEM.

Ego N. Electus Rex Poloniæ Magnus Dux Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ,

lachiæ, Czerniechoviæq; ſpondeo & ſanctè juro DEO Omnipotenti ad hæc ſancta Jeſu Chriſti Evangelia, quod Pacta Conventa per Ordines Regni mihi data, in omnibus eorum articulis, Punctis, clauſulis, Conditionibus; ita ut nec ſpecialitas generalitati, nec generalitas ſpecialitati, deroget, ſervabo, manutenebo & adimplebo, atq; ea omnia iterato etiam in ſolenni Coronatione juramento confirmabo, ſic me DEus adjuvet & hæc ſancta JEſu Chriſti Evangelia.

Ad pag. 51. n. XXX.

JURAMENTUM CIRCA CORONATIONEM.

Ego

EGo *N. electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ* (totus titulus hic exprimitur) *per omnes Regni Ordines utriusq; Gentis tàm Poloniæ, quam Lithvaniæ, cæterarumq; Provinciarum Regno Poloniæ Magnoq; Ducatui Lithvaniæ annexarum & incorporatarum communi conſenſu liberè electus, ſpondeo & ſanctè juro DEO Omnipotenti ad hæc Sancta JEſu Chriſti Evangelia, quod omnia Jura, Libertates, Immunitates, Privilegia publica & privata Juri communi utriusq; Gentis & libertatibus non contraria, Eccleſiaſticas & Seculares Eccleſias Catholicis Romanis Principibus, Baronibus,*

ronibus, Nobilibus, Civibus, Incolis & quibuslibet personis cujuscunq; Status & conditionis existentibus per Divos Prædecessores meos Reges & quoscunq; Principes Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ præsertim verò Casimirum antiquum, Ludovicum Loiz nuncupatum Vladislaum I. Jagellonem dictum, fratremq; ejus Vitoldum Magnum Lithvaniæ Ducem, Vladislaum II. Jagellonis filium Casimirum III. Jagellonidem (hic adduntur semper Reges sibi ordine succedentes) *Reges Poloniæ & Magnos Duces Lithvaniæ justè & legitimè datas & concessas, emanatas & donatas, ab omnibusq; Ordinibus tempore Interregni statutas atq; sancitas mihi oblatas, tùm Pacta per Ordines Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ mihi tradita manutenebo, observabo custodiam & adimplebo in omnibus conditionibus, articulis & punctis in eisdem expressis. Pacem quoq; & tranquillitatem inter Dissidentes de Religione Christiana tuebor, manutenebo, nec ullo modo vel jurisdictione Nostra, vel Officiorum Nostrorum & statuum quorumvis authoritate quenquam afficiam ac opprimam, ac ea quæ in Electione Nostra Varsavienſi constituta sunt, & quæ in Conventione Coronationis Nostræ constituentur manutenebo iisque satisfaciam, omnia illicitè à Regno Magnoq; Ducatu Lithvaniæ & Dominiis eorundem quocunq; modo alienata vel bello vel quovis alio modo distracta ad pro-*

prietatem ejusdem Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ aggregabo, terminosq; Regni & Magni Duc. Lithvaniæ non minuam sed defendam & dilatabo. Justitiam omnibus Incolis Regni juxta jura publica in omnibus Dominiis constituam absqve omnibus dilationibus & prorogationibus administrabo, quovis etiam sanguinis nostri respectu nullo habito, in dispensatione quoq; Distributivæ Justitiæ non me alligabo ad affectum & propensionem naturalem sanguinis, sed solam ipsam meritorum rationem præoculis & corde habebo in disponendis occurrentibus officiis & Beneficiis Reipublicæ. Et si (quod absit) in aliquibus juramentum violavero, nullam mihi Incolæ Regni omniumq; Dominiorum uniuscujusq; Gentis obedientiam præstare debebunt, imo ipso facto eos ab omni fide, obedientia Regi debita liberos facio absolutionemq; nullam ab hoc meo Juramento à quoquam petam, nec ultrò oblatam suscipiam. Sic me DEus adjuvet & hæc sancta Christi Evangelia. Quæ superius de sanguinis proprii respectu in Justitia administranda & distribuenda caventur, illa addita sunt tantum in Sereniſſimi Regis Joannis III. juramento.

Ad pag. 57. n. XXXIV.

Cum superius exhibuerim, quomodo Divæ memoriæ Rex Michael Ordine Aurei Velleris insignitus fuerit, hîc exponendum duxi, quomodo mo-

do modernus Rex Sereniſſimus Ordinem Spiritus Sancti acceperit. Illius inſigne agnus, hujus Columba eſt, de quorum animalium prærogativâ Cælitus datâ Esdra Lib. IV. Cap. V. ait; Ex omnibus creatis volatilibus nominaſti tibi columbam unam, & ex omnibus plaſmatis pecoribus providiſti ovem unam.

Anno 1677. die 29. Novembr. Ambo Legati Gallici tam Reverendiſſimus Dominus de Forbien Epiſcopus Marſilienſis nunc Bellovacenſis quàm Illuſtriſſimus Dominus de Bethune nigro induti pallio, per Illuſtriſſimum Dominum Johannem in Gnin Gninski Palatinum Culmenſem nunc ProCancellarium Regni in rhedâ Regiâ ad Arcem Zotkievienſem præeunte aliarum rhedarum ac equitantium agmine adducti, ac in ſcalis & ante introitum à DD. Senatoribus recepti atqve per Illuſtriſſimum Dominum Nicolaum de Granowa Sieniavvski Marſchalcum Curiæ Regni nunc Palatinum Volhynenſem & Campiductorem Regni introducti, Sereniſſimo Regi in ſolio ſedenti venerationem exhibuerunt, & deinde ad peragendam Legationem ſedilia ſibi aſſignata occuparunt. Oratoris munere fungebatur dictus Epiſcopus potiorem occupans locum &

cum & Chriſtianiſſimi Regis Domini ſui amicitiam declarabat, atqve Extraordinariam Legationem Domini Marchionis intimabat. Reſpondit Illuſtriſſimus Princeps Dominus Michael Radzivil ProCancellarius & Dux Campeſtris Magni Ducatus Lithvaniæ mutuam Sereniſſimi Regis offerendo amicitiam; Actus autem ſolennitati dies craſtinus præfigebatur. Die igitur 30. ejusd. Serenisſimus Rex veſtitu ad ſuſceptionem Ordinis accedentibus uſitato indutus, ſcilicet ex panno phrigio argenteo, pallio nigro holoſerico ſubducto panno ſerico leviori coloris albi, mitra Polonica nigra criſtâ Clenodiisq; ornatâ & albis ocreis ex tela ſerica confectis atq; in ſuturis martibus ſcythicis conſutis auroq; & gemmis fulgentibus progreſſus eſt cum aſſiſtentia Senatorum & Officialium Regni circa hunc Actum præſentium inter Marchionem veſtitu ceremoniali indutum ab uno latere, & ab altero inter Epiſcopum Marſilienſem ex Arce ad Templum, ubi jam pro ceremonia quatuor tapetibus pretioſis per gradus tecti Throni parati erant. Unus Thronus à dextris in nomen Sereniſſimi Regis Galliæ conſtitutus alii tres à ſiniſtris erant. Primus ſub quo ornatum & inſigne Ordinis Se-

reniſſimus

renisſimus accepit, alter ſub quo ſedebat. Tertius ubi Serenisſima Regina ſedebat. Marchio ad Thronum Domini ſui potiori ſedebat loco. Epiſcopus autem Marſilienſis pro hoc actu Cancellarius ab altera parte remotiùs. Magis adhuc remoti versùs Regiam Majeſtatem in minoribus ſubſelliis aſſidebant Illuſtrisſimi, Dominus Stanislaus Jabłonovvski Palatinus Ruſſiæ Exercituum Dux Campeſtris nunc Supremus, Dominus Martinus Konski Artileriæ Regni Generalis Magiſter nunc ſimul Caſtellanus Leopolienſis, item Dominus Karczevvski, & Korycki Generalis ut Socii. Ut primum ceſſum ceperant prodiit Pontificaliter indutus habens in Infula & Ornatu al. bas intertextas cruces Abbas Peplinenſis Wolff cum aſſiſtentia Prælatorum Aulicorum Clerisq; aliis etiam in Dalmaticis ſimiles habentes cruces & miſſam de Spiritu Sancto & invocatione ejus cum hymno Veni Creator Spiritus celebravit. Poſt Miſſam Concionem habuit Pikarski Soc. Jeſu, ſuper thema: Andreas frater Simonis cum audiſſet de Joanne, ſecutus eſt Jeſum, Joannis Cap. I. Deduxit ſummam in Patriam & Regiam Majeſtatem, tam in expeditionibus bellicis, quam etiam apud extraneos obſervantia Divinam Pro-

videntiam. Poſt fecit etiam verba ſatis ampla in laudem Confraternitatis. Poſt Concionem ſurrexit Marchio & cum aliis ad Actum hunc deſtinatis Miniſtris, factâ ante omnia ſupremæ ſuper omnes Principes Majeſtati deindè Throno in nomen honoremq; Regis Chriſtianiſſimi erecto & tandem Regi Sereniſſimo & tandem Suæ Majeſtati reverentiam proceſſit verſus altare ad Thronum, ubi inſignia poſita erant, relicto ibidem Marchione, alii pro adducendo Rege iverunt, cui præſenti Epiſcopus Marſilienſis conditiones Ordinis prælegit, deinde Sereniſſimus votum fecit ac nomen ſuum in librum confraternitatis inſcripſit. Quô facto Regem pallio, quo indutus ad Templum ſe contulerat, exuerunt, & eidem aliud nigrum holoſericum longum & amplum auro ad inſtar linguarum ardentium opulentè intertextum, uti etiam magnum collare & ſuper illud monile cum cruce ab utraqve parte adamantibus diſtinctâ impoſuerunt. Hoc habitu Sereniſſimus ad Thronum iterum deductus, & actui iſti per hymnum Te DEum Laudamus cum applauſu muſico tubarum finis eſt impoſitus. In eodem habitu Rex è templo ad Arcem ſe recepit, ubi veſtes indu-

tus

tus ſolitas, ſed inſigne jam gerens, Dominos Legatos Senatores & Officiales in ſeram usq; noctem lauto excepit Convivio.

Hîc addere placet, quòd Rex Vladislaus IV. voluerit Ordinem Equitum immaculatæ Virginis inſtituere, quorum numerus non excederet ſeptuaginta duos, præter Principem, cum numero huic diſcipulorum Cœleſtis Princeps Orbem ſubjecerit, & Sanctiſſimæ Virginis Matris tam gaudiorum quàm dolorum myſteria ſeptenario numero terminentur. Inſigne debebat dari torques ex aurô puro absq; ullis lapidibus vel unionibus, cujus particulæ invicem concatenatæ alternatim repræſentarent, una quidem lilium album in medio radiorum, cum hâc Inſcriptione *IN TE*, altera verò faſciculos ſagittarum colligatarum faſcia alba his verbis inſcriptis, *UNITA VIRTUS*. Dependere debebat à torque Crux rubea, in cujus medio conſpiceretur imago Virginis infantis candida; Draconem pedibus calcantis, his verbis ſuppoſitis, *Victiſti, Vince*. Obtinuerat jam dictus Rex per Oratorem ſuum Georgium Oſſolinski ab Urbano VIII. Anno 1634. confirmationem ejusdem Ordinis, qui tamen poſthâc in uſum deductus

non eſt, nam à male ſuſpicacibus vituperatus, per diſſenſum Ordinum in Comitiis anno ſequenti habitis exolevit.

Haud abs re erit de Melitenſibus Equitibus aliquid hic annotare, quod propter præſtantiam Ordinis illius benè de tota Chriſtianitate demeriti, Reſpublica, quæ ſemper Equeſtri profeſſioni favere ſolita eſt, Anno 1632. æquum judicaverit, ut illi Equites tanquam homines Religioſi tâm in Regno, quam M. D. Lithvaniæ ad nulla alia, niſi Spiritualia, citarentur Judicia. Quod tamen ita intelligendum, quando Equiti cum Equite cauſa intercedit, in aliis verò litibus cum quopiam agendis commune forum ſequi debent, ex *punctis exorbitantiar: tempore Convocationis prædictô Anno ad Caſtrum Varſavienſe porrectis.* In favorem etiam hujus Ordinis Reſpublica conceſſit Duci de Oſtrog Caſtellano Cracovienſi in defectu ſucceſſorum ſanguinis bona ſua hæreditaria Equitibus Melitenſibus adſcribere.

Ad pag. 62.

Circa effigies Regum notandum velim, quòd Hedvvigis præter voluntatem meam à ſculptore addita ſit, quippe inter Reginas eandem exhibeo.

Ad

Ad pag. 93.

Varia negotia & itinera Editionem remorata ſunt, adeò, ut interim nonnulli Senatores, vel vitam cum morte, vel dignitatem ſuam cum aliâ commutàrint, noviqve etiam ſucceſſerint. Hinc indè tamen ex addendis noviſſima eorum patet conditio, & curioſus Lector ſpatium, quod in Conſignatione ſuperius videt, nominibus recentiſſimis inſerendis adhibebit.

Ad pag. 121.

Epiſcopus Livoniæ nominatus eſt Reverendiſſimus Dominus *Nicolaus Poplavvski* Cathedralis Plocenſis & Collegiatæ Varſavienſis Decanus. Ad ſopiendas differentias inter Livoniam & Czerniechoviam authoritate Conventus Generalis Anno 1683. & Anni 1641. reaſſumendo, circa præcedentiam & locum Ducatui Livoniæ ante Palatinatum Czerniechovienſem in perpetuum approbatur, ſalvo loco Illuſtriſſimi Domini *Joannis Gninſcii* hodierni Palatini Czerniechovienſis, cui ad vitæ tempora præcedentia loci & vocis reſervatur.

Ad pag. 140. n. XVII. lin. XI.

Ita olim obtinuiſſe patet ex *Piaſecio* ſub Anno 1620. his verbis: Principe Vladislao, qui ſubſe-

quebatur. Hodierno autem tempore obſervavi, quòd Sereniſſimus Princeps Regius Patrem præcedat.

Ad pag. 149. *n. XVIII.*

De Juramento Cancellariorum monendum, quòd non ad Evangelia, ſed ad crucem præſtatur, cujus exemplum noviſſimum, dum Illuſtriſſimus Dominus *Marcianus de Kozielsk Oginski* Cancellarius Magni Ducatus Lithvaniæ juraret.

Ad pag. 201. *n. XIX.*

Securitati Marſchalcorum atq; Deputatorum ad Conſtitutiones proſpiciendo, cavet Lex Comitialis Anno 1683. ne quis ex occaſione Conſtitutionum in perpetuum auſit in Jus Tribunalitium vocare Marſchalcum, Deputatos ad Conſtitutiones, ac Nuntios Terreſtres utriusq́ve nationis, ſub pœnâ evocationis.

Ad pag. 231.

Sigilli Cameræ Adminiſter à primo Regimine Sereniſſimi Regis nunc glorioſè ſceptra tenentis usque ad hunc diem eſt Reverendiſſimus Dominus *Adamus Sarnowski*, Præpoſitus Lencicienſis, Secretarius intimus Regiæ Majeſtatis, quæ ipſum tanquam optime meritum prono omnium Ordinum conſenſu applauſuq; in Comi-

Comitiis novisſimis Prælaturarum Cathedralium capacem declaravit.

Ad pag. 243. n. XVII.

Deſertores Caſtrorum pro hoſtibus Patriæ declarantur per Conſtit: 1683. p. 4.

Ad pag. 281.

Si hic omitterem fœdus contra Chriſtiani nominis hoſtes ictum recenſere, non ſine crimine omitterem; Uti enim illud â ſeculis expetitum fuit, ita omni ſeculorum memoriâ dignisſimum eſt. Cùm Sacra Regia Majeſtas Poloniæ concluſam ante aliquot annos cum Turcis pacem multis infractionibus læſam non diu duraturam prævideret, melius ac glorioſius eſſe duxit, prævenire, quam præveniri, eumqve in finem tàm cum Auguſtisſimo Cæſare, quam cum Serenisſimo quondam Czaro de ineundâ ſocietate armorum conſilia agitavit; Adſpirarunt tandem fata votis. Quippe Sacra Cæſarea Majeſtas expectationibus Sereniſſimi Regis ac inclytæ Reipublicæ accedendo, miſit ad Comitia Oratorem, Illuſtrisſimum Dominum *Carolum Ferdinandum Comitem à VValdſtein* Equitem Aurei Velleris, Sacræ Cæſareæ Regiæqve Majeſtatis Camerarium, intimum Conſiliarium, nec non Sereniſſimæ Im-

mæ Imperatricis Viduæ Supremum Aulæ Præfectum, plenariâ facultate inſtructum muni. tumqve ad ineundam animorum & armorum ſocietatem, quâ utriusq; Majeſtatis Regna & dominia ut vicinitate mutua, ita communione periculorum belli Ottomanici conjuncta non ſolùm ab ulterioribus immaniſſimi hoſtis aggreſſione in tuto conſervarentur, verùm etiam recuperatis ab utrinq; ablatis firmâ & ſtabili pace bearentur. Stetit ergò efficaci operâ & dexteritate prædicti Domini Comitis, nec non Illuſtriſſimi Ablegati Domini Baronis *Chriſtophori de Zierowo Zierowski* die 31. Menſ. Martii Anno 1683. inter altè memoratas Majeſtates earumqve in throno ſucceſſores Regna & Provincias offenſivi & defenſivi belli ſocietas; Prima ad glorioſam & ſtabilem cum hoſte communi utriusq; partis pacificationem duratura; Altera ad ejusdem Pacis perennem conſervationem in perpetuum manſura. Et ut majori ſolidaretur tam pium opus vinculo, utraq; pars virtute Gvarantiæ Evictorem Summum Pontificem Innocentium XI. cum ſucceſſoribus aſſumpſit, ac per Protectores, & Repræſentantes ſuos Cardinales Eminentiſimos *Pium*, & *Barberini* Romæ juramentum præſtitit.

Cum

Cum verò ejusdem ſacri fœderis præcipuum ſit punctum, non ſolùm ultrò ſe offerentes Principes ad idem admittere, verùm etiam alios ſollicitare, utraq; Majeſtas Sereniſſimam Rempublicam Venetam in partem ejusdem colligationis invitavit; Illa memor innatæ gloriæ, & experta quàm infida, & gravis ſibi ſit poſtremò inita cum Turcis pax, tam piis intentionibus annuit, negotiumqve maturavit. Convenerunt enim in Aula Cæſareâ Legati, remq; laudatiſſimam confecêre, ſcilicet à parte ſacræ Cæſareæ Majeſtatis Excellentiſſimus Dominus Leopoldus *Guilhelmus Comes de Kœnigsegg* Camerarius, Pro-Cancellarius Imperialis, & aurei Velleris Eqves, & *Theodorus Althetus Henricus Baro de Stratmann* Aulæ Cancellarius, ambo Conſiliarii intimi. A parte Sacræ Regiæ Majeſtatis Regniqve Poloniæ, ac M. D. Lithvaniæ Legatus Extraordinarius Excellentiſſimus Dominus *Joannes Rozrazewski* Caſtellanus Medyrecenſis: Sereniſſima autem Venetorum Respublica ſuo in Aulâ Cæſareâ Ordinario Oratori Excell. Dno. *Contarini Equiti* ad hunc Actum ſpecialiter conſtituto ſuo Syndico ac Procuratori plenam facultatem dedit. Concluſum feliciter ac ſubſcriptum fœdus

hoc Chriſtianitati ſaluberrimum in Arce Lincenſi d 5. Menſ. Martii Anno Domini 1684. & poſt ratificationem Principalium à ſupradictis Cardinalibus, nec non nomine Venetorum à Cardinale Seniore Eminentiſſimo *Ottoboni* juramento firmatum eſt. Cum hæc ſcripſiſſem, advenit ad Sacram Regiam Majeſtatem à Sereniſſimâ Venetorum Republicâ Orator Extraordinarius Excellentiſſimus Dominus Angelus *Moroſini*, Procurator S. Marci cum gratulatione hujus triplicis funiculi.

Quoniam etiam Auguſtiſſimus Imperator ſplendidam ac ſumptuoſam ad Sereniſſimos Moſchoviæ Czaros Legationem pro acceptando hoc fœdere expedivit, optandum, ut benè cedat opus! ut Excellentiſſimi Oratores, ſcilicet *Joannes de Zierowo Zierowski & Joannes Sebaſtianus de Blomberg*, Liberi Barones redeant Exoratores!

Ad pag. 393.

De negotiis cum Moſchis nihil addendum habeo, quàm quod Induciæ Anno 1678. initæ, inter Sereniſſimum Regem, Regnumqve Poloniæ, & duos Czaros ſimul nunc regnantes reaſſumptæ ſunt.

Ad

Ad pag. 548.

Propoſueram laborem hunc ſub Celſisſimo Duce Jacobo in lucem mittere, ſed diſpoſuit aliter DEus. Dum enim varia negotia moras injecerunt, exclamandum mihi venit, *Dux eſt mortuus!* Æternum lugendus, niſi locum dediſſet Filio verâ pietate prædito, juſtitiæ & æquitatis obſervanti, prudenti, magnanimo. Ergò mox gratulabundâ voce exclamare licuit, *Dux vivit!* Poſtquam hic Patrem amiſerat, ad Patrem Patriæ ſine morâ primò per meam tenuitatem, deindè per Ablegatos Dominum *Dietericum ab Alten Bokum* ex Supremis Conſiliariis Marſchalcum Provinciæ, & Dominum *Adamum Schubert, dictum Kænigſchwan* Præfectum Penavienſem recurrit, rogando humillimè, ut quemadmodum Feudi paterni, ita & Regiæ benignitatis atque protectionis hæres & ſucceſſor eſſet, atqve beneficio per Legatos recipiendi feudum gauderet. Dignata eſt Sacra Regia Majeſtas precibus hiſce RESPONSO benignisſimo annuere, cujus Tenor eſt, ut ſequitur;

Johannes Tertius DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Ruſſiæ, Prusſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Volhyniæ, Kyoviæ,

Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæqve, Illuſtriſſimo Principi Domino Friderico Caſimiro in Livoniâ Curlandiæ & Semigalliæ Duci, Grate Nobis dilecto.

Illuſtriſſime Princeps gratè Nobis dilecte. Quemadmodum Sereniſſimi Anteceſſores Noſtri in ornandâ ſingularibus beneficiis Illuſtriſſima Domo Illuſtritatis Veſtræ maxima in omni occaſione exhibuerunt documenta, ita nunc Nos quoqve Illuſtritatem Veſtram pari benevolentiâ & affectu complectentes, eidem ad præſtandum homagium Gratiam expetenti, juxta beneficium à Sereniſſimis Anteceſſoribus Noſtris conceſſum, permittimus, ut non in Perſona, ſed per Legatos ſuos, cum debitâ fidelitatis teſſerâ Homagium duabus ante proximè futura Comitia hebdomadis Varſaviæ, aut ubi tunc cum Curiâ Noſtrâ feliciter conſtituti fuerimus præſtet, & Inveſtituram ritu conſveto recipiat. In quorum majorem fidem præſentes manu Noſtrâ ſubſcriptas Sigillo Regni, atque M. D. Lithvaniæ communiri juſſimus. Dat. Javoroviæ d. Menſ. Aug. Anno Domini MDCLXXXII. Regni Noſtri IX.

PRO-

PROCESSUS.

IN Renovatione Infeudationis & Inveſtituræ Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principis ac Domini, Domini Friderici Caſimiri in Livoniâ, Curlandiæ & Semigalliæ Ducis coram Throno Regio Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini *Joannis III.* DEI Gratiâ Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithvaniæ &c. & per Illuſtriſſimæ Celſitudinis ſuæ Legatos Excellentiſſimos, Dominum *Chriſtophorum Heinricum Liberum Baronem de Puttkammer*, ſupremum Ducatus Præfectum, & Dominum *Dietericum ab Alten Bokum*, ſupremum Ducatus Marſchalcum, ſupremosqve Illuſtriſſimæ Celſitudinis ſuæ Conſiliarios, Varſaviæ die XXV. Menſis Martii An: MDCLXXXIII. peractæ ac receptæ obſervatus.

Præfixo à Sacrâ Regiâ Majeſtate ad exſolvendum homagium termino duarum hebdomadarum ante Generalia Regni Comitia die 27. Jan. præterlapſi Anni 1683. indicta, D. D. Legati ponè Varſaviam veniebant, Sereniſſimumqve Regem præſtolabantur. Poſtquam dies 1. Februarii ſolenni introitui determinatus illuxiſſet, circa meridiem D. Domini Senatores & Officiales Regni, Magniqve Ducatus Lithva-

niæ, tum & Serenisſimi Regis Sveciæ, atqve Serenisſimi Electoris Brandenburgici Conſiliarii & Reſidentes, ille Dominus *Simon Dörffler*, hic Dominus *Chriſtophorus de Wichert*, rhedas ſuas ad numerum triginta quinqve, ad Curiam Secretarii Regni Majoris, Domini *Franciſci Prazmowski*, Stawki nominatam, mittebant. Poſtremò etiam obviam venit prædictus Secretarius Major nomine Sacræ Reg. Majeſtatis, & in Curia ad fores Domus ſubſiſtens rhedaq; egreſſus propenſam Regiæ Majeſtatis voluntatem erga Illuſtriſſimam Celſitudinem Suam denunciabat, ac de adventu DD. Legatorum gratulatus, eos in rhedam Regiam invitabat. Ad hæc Dominus *Baro de Puttkammer* tanquam primarius Legatus reſpondit, & ſic in Curru Regio, à cujus latere uno Teutonici ab altero Turcici Celeres & Satellites Regii ibant ad Civitatem per aream (in qua Cohors militum Supremi Mareſchalci Regni Domini *Stanislai Lubomirski* ſolutô vexillô in armis ſtabat) equitibus plus minùs trecentis & rhedis triginta tribus præcedentibus, tribus verò ſequentibus Dominorum Legatorum rhedis, cum equis deſultoriis, tubicinibus ac eqvitibus atque poſt hos rhedis duabus Dominorum ſupra dictorum

ctorum Reſidentum, ad hoſpitium in ſuburbio deducebantur. Die quarto ejusdem ad Audientiam privatam vocabantur. Supremus Stabuli, nunc Cameræ Regni, Præfectus Dominus *Matczynski* (ægrotante Regni Succamerario) cum aliquot Aulicis in prima Anticamerâ obviam veniens, illos per Marmoream ad proximam Cameram deducebat. Serenisſimus Rex ad menſam ſtabat, quem ſupra allegatus Baro de Puttkammer affabatur, tradebatqve literas credentiales Celſisſimorum Ducum tàm primogeniti Domini *Friderici Caſimiri*, quàm poſtgenitorum, Domini *Ferdinandi*, & Domini *Alexandri*. Sacra Regia Majeſtas affectum ſuum erga Illuſtriſſimam Celſitudinem ſuam declarabat, & de non nullis cum iisdem colloquebatur, donec Præfectus Stabuli Regni Legatos & poſtmodum Nobiles Legationi additos ad oſculum manus Regiæ invitabat. Die quinta ejusdem per *Dominum Załuski* Cancellarium Sacræ Reginalis Majeſtatis nunc ſimul Epiſcopum Kyovienſem ante fores Cameræ prioris excepti ad Reginalem Majeſtatem deducebantur, cui negotia Illuſtriſſimæ Celſitudinis ſuæ commendabant, & literas Credentiales tradebant, quibus acceptis

Sacra

Sacra Reginalis Majeſtas benignitatem ſuam Regiam erga totam Domum Ducalem conteſtabatur, inprimis verò eâ Celſiſſimam Duciſſam, non minus quàm piæ memoriæ Duciſſam ſe complecti aſſerebat. Eosdem hâcipſa quoqve horâ Sereniſſimus Poloniæ Princeps ad ſe admittebat. Sequentibus poſtea diebus Dominos Senatores atqve officiales aggrediendo, ea, quæ ipſis commiſſa erant, promotioni eorum, more ſolito committebant, donec prorogatus â Sacra Regia Majeſtate terminus dies nempe XXV. Menſis Martii, quo, utpotè die Feſto Annunciationis Beatisſimæ Virginis Conſilia Comitialia ceſſabant, appropinquaret, ubi circa horam primam â meridie Dominus *Losz*, Caſtellanus Culmenſis & Supradictus Secretarius Regni Major n curru Regio ad hoſpitium Legatorum veniebant, atqve eosdem ad Arcem deducebant. Celeres & ſatellites Regii tam Germani, quam Turcici â lateribus rhedæ ibant, & non procul ab hoſpitio Legatorum usqve ad Arcem milites DD. Senatorum & Officialium, tum verò in interiori exterioriqve Arcis area cohortes Cuſtodiæ corporis Regii ſolutis vexillis (quorum duodecim erant) armatæ ſtabant, atqve clangore tubarum

barum & tympanorum Legati excipiebantur. Venientibus ad Portam ferream Auguſtalis Senatorum præfatus Regni ſupremus, nec non Curiæ Mareſchalci Dominus *Hieronymus Lubomirski*, Principes Romani Imperii, obviam veniebant, & præmiſſis Curialibus Legatos ad Thronum Regium deducebant, in quo Sacra Regia Majeſtas ſedens conſpiciebatur. A dextris Dominus *Joannes Gninski* Vice-Cancellarius Regni, à ſiniſtris Dominus Vice-Cancellarius M. D. Littæ *Dominicus Nicolaus Princeps Radziwill:* Porrò ad latus ſolii à dextris Dominus *Raphael Comes in Leszno* Leszczynski Vexillifer Regni vexillum feudale tenens, à ſiniſtris Dominus *VVarszycki* Enſifer Regni diſtricto gladio, ſtabant. In gradum Throni Regii inferiorem poſtquam in genua ritu ſolitô procubuerent Legati, Dominus *Liber Baro de Puttkammer* ſequentis tenoris verba fecit;

Hoc eſt illud encomium Nominibus Hominum altius, quod ab Altiſſimo Regibus tribuitur: *Dii eſtis.* Inter hos terreſtres DEos S. Reg. Majeſtas Veſtra in Throno ſuo collocata de eô non aliter, tanquam de cœlo, divite imbre beneficia Regia in terram Suam Sarmaticam, & ejusdem

Statûs, membra, Principes hominesqve mittit ac demittit. Equidem virtus S Reg. Majeſt. Veſtræ non patitur, ut aliquid radiis Majeſtatis & benignitatis Regiæ vacuum reperiatur, ſed ut omnia divinitate Regia impleantur, virtus Regia Regium eſſe cenſet. Proveniunt autem ex auguſtiſſima S. Regiæ Majeſtatis Veſtræ manu nova & vetera beneficia, illa tribuendo, hæc conſervando. Utrôqve horum hàc vice Illuſtriſſima Domus Curlandica exornatur, dum S. Reg: Majeſtas Veſtra Illuſtriſſimo ac Celſiſſimo Principi Domino FRIDERICO CASIMIRO, in Livoniâ, Curlandiæ & Semigalliæ Duci, Domino Noſtro gratioſiſſimo clementiſſimè permiſit, per Legatos confirmationem Jurium veterum & Inveſtituram accipere, Homagiumq; debito ritu præſtare. Quam Svavitatem Regiæ Gratiæ demiſsâ gratiarum actione exoſculando, flexis genibus per Nos rogat, dignetur S. Reg. Majeſtas Veſtra, tanquam ſupremus & directus Dominus tenore Privilegiorum & Inveſtiturarum, jura per Sereniſſimos Reges Poloniæ & Magnos Duces Lithvaniæ ac S. Reg. Majeſtatem Veſtram iplammet clementiſſimè conceſſa, clemen-

mentisſimè confirmare, Eumqve de omnibus terris, civitatibus, villis, pagis, vicis, arcibus, præeminentiis, juribus omnibus & ſingulis totoqve Ducatu Curlandiæ & Semigalliæ in Livoniâ inveſtire. Quo nomine juxta laudabilem morem in majoribus Feudis receptum per Nos flexis genibus venerabundus ad pedes S. Reg. Majeſtatis Veſtræ provolutus Homagium præſtare, & Juramento fidem ac obedientiam per me ſolennibus verbis obſtringere paratus eſt.

Hiſce pronuntiatis reſpondebat ſuprarememoratus Dominus Pro-Cancellarius Regni. Deinde Regia Majeſtas Feudale Vexillum è manibus Domini Vexilliferi apprehendebat & primario Legato ad manus tradebat, atqve eundem apprehendentem vexillum iis verbis, quæ in Inveſtitura Divi Regis Michaelis ſuperiùs extant, alloquebatur. Deinde cùm liber Evangeliorum (quem Dominus Secretarius Regni Major tenebat) in ſinum Sacræ Regiæ Majeſtatis poneretur, primarius Legatus in Supremo Throni Regii gradu genibus flexis manu ſiniſtrâ feudale vexillum tenens, dextrâ verò ſuper Evangelio poſita, juramentum fidelitatis, ſecundum

formulam Juramenti Anno 1639. prælegente eandem Domino Pro-Cancellario, exſolvebat. Quô præſtitô Collegæ ſuo Domino *Dieterico ab Alten Bokum* Vexillum tradebat, & ad inferiorem Theatri gradum in genua iterum procumbens pro Clementiſſimâ Infeudatione tenore ſequentium gratias agebat;

Hic eſt ille dies ſolennis, quem S. Reg. Majeſtas fecit, ſed nec dies præſens, nec futura Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Principis Noſtri ætas ſufficient deprædicandi laudibus gratiisqve debitis benevolentiam Regiam, quâ S. R. Majeſtas Veſtra eundem tradito hoc Vexillo de toto Ducatu Curlandiæ & Semigalliæ in Livoniâ clementiſſimè inveſtire voluerit, in quò vexillo Illuſtriſſimus ac Celſiſſimus Princeps omnem fortunam, honores ac dignitates vehit. Felix tantarum rerum Portitor & Vector, ſed felicior alterâ ex parte Illuſtriſſimus ac Celſiſſimus Princeps Noſter, quod in hoc vexillo etiam clementiſſimum tanti beneficii Datorem & Conſervatorem vehat. Vehit enim in hoc vexillo auguſtiſſimum nomen JOANNIS Tertii, ſacram ſalutis ſuæ ancoram, vehit contra omnes infortunii ſagittas

ſacrum

ſacrum S. Reg. Majeſtatis Veſtræ ſcutum, veriùs, quam ancile Romanorum, de cælo delapſum. Vehit alitem Jovis, qvi ad motum Sereniſſimorum Poloniæ Regum expanſis & coruſcantibus alis ſæpe ad ipſos maris Balthici terminos volavit, & Domum Curlandicam texit ac tegit, vehit Equitem, qui juſſu Regum ſemper adfuit, juvavit & proderit. Vehet autem hoc Palladium & Ancile ſuum omni venerationis cultu, eaqve fide, quæ, indiſſolubilior nodo Gordio, quem ferrum ſolvebat, eſt, annabit ac perennabit. Patet toti Chriſtianitatis Orbi, quòd Illuſtriſſimus Princeps Noſter prætextam gerens in carcere, ſcholâ illâ ferreâ ab Illuſtriſſimo Suo Parente hanc fidem didicerit & hauſerit, quæ pro gloriâ S. Reg. Majeſtatis Veſtræ & bono Reipublicæ nullam calamitatis ferriqve ſcit timere duritiem, unde Illuſtriſſimus Princeps Noſter vitam & quicquid fortunarum S. R. Majeſtas Veſtra tanquam benigniſſimus Pater nunc in Domo Suâ plantavit, & impoſterum plantabit, in honorem S. R. Majeſtatis Veſtræ & inclytæ Reipublicæ conſecrat atqve offert, ut ſic fide illius homagiali purius aurô inventâ corona gratiæ & protectionis Re-

giæ in Domo Illius Ducali æternum repoſita inveniatur.

Poſtea ſæpè fatus Dominus Vice-Cancellarius reſpondebat. Quibus finitis Dominus Marſchalcus Regni Supremus Legatos ad capiendam Seſſionem in Sellis à ſiniſtra Sacræ Regiæ Majeſtatis in ſupremo theatri gradu poſitis invitabat, & Legatus Secundarius *Engelbrechto Taube* Legationis Mareſchalco Vexillum feudale tradebat. Inter ſedendum primarius Legatus juxta priſtinam Conſvetudinem paululum caput tegebat, mox tamen in honorem Sacræ Regiæ Majeſtatis iterum denudabat; Aulici verò Ducales, nimirum *Joannes Otto Rappe*, *Felicianus Bukowski*, *Joannes Georgius Collrepp* & *Henricus VVilhelmus Medem*, ut & Secretarius Legationis *Polycarpus Bauer* ad Oſculum manus Regiæ vocati admittebantur. Hiſce omnibus, DEI auxilio, feliciter peractis Legati adhuc brevibus verbis Regiæ Majeſtati gratias pro beneficio Celſisſimo Duci dato egerunt humillimas. Tandem inter congratulationes varias DD. Senatorum, qui Legatis accedentibus, & excedentibus aſſurgebant, Dominus Regni & Curiæ Marſchalci Legatos comita-

mitabantur, ſequente proximè & vexillum gerente Mareſchalco Legationis, qui poſtquam ad rhedam Regiam Legati venerant, vexillum prædicto Domino Rappe porrigebat, & ſic Legati ex Arce per ſupra memoratos Dominos Caſtellanum ac Secretarium Majorem eâdem ſolennitate, quâ deducti fuerant, (niſi quod Vexillum feudale proximè ante currum dictus Rappe Eques ferebat) per Civitatis aream & ſuburbium ad hoſpitium, ubi tubicines & tympaniſtæ Regii tympanorum & tubarum hilari clangore illos excipiebant, deducebantur. Finitis feliciter Comitiis, Sacra Regia Majeſtas, uti antehac multum pro bono publico curis, ita poſthæc aliquid dedit lætitiæ, atqve in Palatio ad Villam novam Convivium celebravit, ubi exhibuit

Qualia purpurei comedunt obſonia Reges.

Dabatur etiam honos ibidem comparendi Legatis Curlandicis. Primum locum occupabat Auguſtiſſimi Imperatoris Orator Dominus *Comes de VValdſtein*, alterum Serenisſimi Electoris Brandenburgici Legatus *Dominus de Crocau* Conſiliarius ſtatûs intimus, proximè Domini Legati Curlandici, & deinde D. D. Senatores aſſidebant.

Ad

Ad materiam de Ceremoniis Inveſtituræ adjungo *Reverſales* à Divô Rege Michaele primâ vice & à Majeſtate nunc Regnante bis datas.

Joannes Tertius Dei Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Rußiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ Czerniechoviæq.

Significamus præſentibus literis Noſtris, quorum intereſt Univerſis & ſingulis. Miſiſſe ad Nos pro Termino recipiendæ Inveſtituræ aſſignato Illuſtriſſimum Principem, Dominum Fridericum Caſimirum in Livoniâ Curlandiæ & Semigalliæ Ducem, *Legatos ſuos Generoſos CHRISTOPHORUM HENRICUM LIBERUM BARONEM de PUTTKAMMER, Supremum Ducatus Sui Præfectum, & DIETERICUM ab ALTEN BOKUM, Supremum ſuum Mareſchalcum, ſupremosq; Conſiliarios Ducatus ſui Curlandiæ, & quoniam Nos in hoc Actu Homagii more veterum Inveſtiturarum Regalia indutos, Coronaq; homagiali redimitos eſſe, certæ non permiſerunt Legalitates, declarandum cenſuimus, declaramusq; hiſce literis Noſtris, quod Actus hic nihil receptæ conſvetudini & ſolennitati infeudationis ex pacto & providentiâ præjudicare, nec pro exemplo aut præjudicato in futuris, DEO dante, Homagiis reputari poterit.*

terit. In cujus rei fidem præſentes manu Noſtrâ ſubſcriptas, Sigillis Regni & M. D. Lithæ communiri juſſimus. Datum Varſaviæ d. XXV. Menſ. Martii Anno Domini M DC LXXXIII. Regni Noſtri IX. Anno.

(L.S.)
Majoris Regni.

Chriſtophorus Taranowski,
Cracowienſ. Varſavienſ. Canonicus, Sacræ Regiæ Majeſtatis Secretarius.

(L.S).
Minoris M.D.Litt.

Hołownia,
Sacræ Regiæ Majeſtatis Secretarius.

Ut Celſiſſimus Dux notum redderet, ſe non modò ab Anteceſſoribus ſuis Genus, ſed etiam Generoſitatem, quæ in iis ſemper enituit, ducere, ex ſpeciali erga Sacram Regiam Majeſtatem & Rempublicam promptitudine ac Zelo in rem Chriſtianam, certum Dimachorum optimè inſtructorum numerum contra Turcas ſuppeditavit. Quam benevolæ alacritatis teſſeram Sacra Regia Majeſtas non gratô tantum animô excepit, ſed & *Reverſalibus* cavit, quod in præjudicium & ſequelam trahi non debeat;

Joannes Tertius DEI Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Volhyniæ, Kyoviæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæq. Significamus præſentibus literis Noſtris, quorum intereſt univerſis & ſingulis. Quâ ratione pertinax Orientis potentia, quæ funeſtam Hungariæ cladem, totiq; Chriſtianitati ruinam & interitum minabatur, nos invitaverit cum Regni Ordinibus ea Conſilia inire, quæ avertendi hujus ictus prodeſſe poſſent. Cùm verò ſe opponendi tam ingenti Potentiæ ægrè ſufficeret una manus communeq; periculum commune auxilium requireret, requiſivimus ab Illuſtriſſimo Principe Domino Friderico Caſimiro in Livoniâ Curlandiæ & Semigalliæ Duce, ut cum Nobilitate ſuâ certa Nobis auxilia ferret, non defuit ad propoſitiones Generoſi Gielgud Notarii M. D. Lithvaniæ Aulici Noſtri ore & in ſcriptis factas clementiſſimis poſtulatis Noſtris Illuſtritas ſua cum tota ſua Nobilitate Curlandicâ, Semigallicâ, & Piltenſi, dum certum numerum militum optime munitorum cum ſuſtentatione unius anni, computanda à Menſe Septembre præterlapſi Anni ad Caſtra Noſtra mittere Literis ſuis promiſit. Nos hanc declarationem non ſolummodò benevolo affectu amplectimur, verùm etiam pro Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus Noſtris, totaq; Republica ex Senatus Conſilio, verbo Noſtro

ſtro Regio cavemus, quod promptitudo iſta, quam Illuſtritas ſua & Ordo Equeſtris, extra pacta, quibus ad Vaſallagium & ſervitia intra fines Ducatus ſolummodò præſtanda obligantur, in mittendo milite declaravit, & juxta declarationem præſtabit, Pactis conventis nihil derogare, nec quocunq; tempore pro imponendo, vel exigendo aliquo Pactis & aſſecurationibus minus conformi onere à quoquam in ſequelam & præjudicium trahi debeat, quin potius omnia ſua Privilegia, Pacta, immunitates, ac libertates ſartas tectasq; conſervamus, Illuſtritatemq; Suam cum Univerſo Ordine Equeſtri, ſeu Nobilitate Ducatus & Diſtrictus Piltenſis, ab hocce ex propensâ voluntate in præſenti Reipublicæ periculo promptiſſimo ac omni pactis minus conformi onere poſt hâc liberos & immunes eſſe, nec quidquam extra Pactorum tenorem exigi, aut imponi debere Verbo Noſtro Regio pro Nobis & Sereniſſimis Succeſſoribus Noſtris promittimus & cavemus. In cujus rei fidem præſentes manu Noſtra ſubſcriptas Sigillo Regni & M. D. Lithvaniæ communiri juſſimus. Dat. Javorovia in Ruſſiâ d. XX. Menſ. Junii A. 1684. Regni Noſtri XI.

Joannes Rex.

(L. S.)
Minoris Regni,
Stanislaus Szeznka,
Pocillator Viſnenſ. Regens Regni Cancellaria.

(L. S.)
Majoris M. D. Litt.
Alexander Janowski,
Theſaurarius Starodubovienſ. Regiæ Majeſt. Secret.

INDEX.

A.

ABdicatio Vladislai Lasconogi pagina 6
Joannis Caſimiri 7. 8. & plur.
Academia Cracovienſis 212
Acciſa 225
Advocatiæ 219
Agraria Contributio 224
Alternata Senatorum nonnullorum 125
Appellatio Græcorum 398
Artilleriæ Magiſter 243
Arriani 211
Armeni 211
Archi-Epiſcopus Gneznenſis 43. 56. 130. & ſeqq.
Archi-Epiſcopus Leopolienſis 49
Aureum Vellus 57
Auxilia ab Imperatoribus 254

B.

Bellum 227
Brandenburgicæ Copiæ auxiliares 487
Bokum Legatus Curlandiæ 571. 573
Bytau 489
Bydgoſtienſia Pacta 484.

C.

Caſimirus Magnus Leges introduxit 2
Candidati Regni 37
Caſimiri Regis Exequiæ 4

pag.

Cardinalatum Spirituales ambire non debent 129
Ceciliæ Renatæ coronatio 59
Cancellarii 143
Caſtellani 137
Carolus Ferdinandus Princeps Poloniæ 158
Capitanei 170
Capitatio 224
Cataphracti Milites 236
Capturalia Judicia 30. 437.
Camenecia 552
Cera rubra 470
Civitates 202
Coſaci Zaporoviani 158. 245
Coronationis locus 41
modus 50
Conſtitutiones 3
Colloquia ſive Termini Generales 463
Chmielnicius 247
Comitia 124
paludata 186. 187
extraordinaria 193
Comitiola 175. & ſeqv.
Pruthenica 179
Relationum 201
Contributionum Exactores 185
Cracovia 29. 55. 203. 473. 475
de Croy Dux 488
Curlandiæ Incorporatio 511

Czarnkowski Coadjutoria Gneznenſi abjudicatur 220
Czerniechovia 554
Cujavienſis Epiſcopi prærogativa 44.

D.

Dani 244
Dantiſcum 202. 480. 481
Depoſitio Ducum & Regum 23
Donativum 225
Lithvanicum ex bonis Regiis 242
Duces Exercituum 164
Duella 249
Ducum Exercitus Judicia 436
Ducatus Lithvaniæ 476

E.

Electionis occaſio 6
Comitia 32
Locus 32
Modus 39. 157
Eleonoræ Reginæ Coronatio 59
Proviſio 60
Elbinga 202. 480.
Elector Brandenburgicus 254
Epiſcopus Cracovienſis 134
Cujavienſis 135
Culmenſis 136
Livoniæ 137
Plocenſis 135
Posnanienſis 135
Varmienſis 135
Vendenſis 136
Equites de Dobryn 495
Exorbitantiæ 35
Exercitus Deputati 197
Expeditio Generalis 229.

F.

Fiſci cauſæ 405. 406
Fœdera 251
Forma Reipublicæ Polonæ 555
Fridericus Curlandiæ Dux 500
Frider. Caſimiri Ducis Curlandiæ Inveſtitura 572. 573, & ſeq.
Fœdus cum Venetis 169
Fridericus Tertius Daniæ Rex 254
255
Fumalis collecta 225.

G.

Gamratus 128
Generalis Majoris Poloniæ 471
Minoris Poloniæ 474
Gothardus primus Dux Curlandiæ 495
Gninski Pro-Cancellarius 498. 515. 559.

H.

Henricus Valeſius 24
Hæredum Titulis ſe Reges abdicarunt 27
Hoſius 128
Horodniczi 174.

I.

Joannes Albertus Epiſcopus Cracovienſ. 220

Jablonovvski Dux Campeſtris declaratur 166
Jacobus Dux Curlandiæ 501 & ſeq.
Indigenæ 152
Inducie cum Regno Sueciæ 339
Inſignia Regni 50
Interregnum 28. & plur.
Inveſtituræ Curlandicæ Proceſſ 527
Juris Polonici Origo 1
Jus Teutonicum 2
Jura quomodo condantur 2
Juramentum Senatorum 139
Cancellariorum 148
Mareſchalcorum 142
Theſaurariorum 149
Judicia 396
Caſtrenſia 459
Capitanealia 465
Capturalia 30. 34. 35
Civitatenſia 467
Commiſſorialia 465
Compromiſſorialia 467
Comitialia 399
Eccleſiaſtica 397
Læſæ Majeſtatis 400
Marſchalcalia 435
Peculatus 402
Perduellionis 401
Palatinalia 464
Relationum & Aſſeſſorialia 404
Succamerarialia 463
Terreſtria 437
Pruthenica 483
Judiciorum Ordinatio 406 & ſeq.
Juramentum Regis 556.

K.

Kaptur 29. 30
Kyovia 363
Kmetones 284.

L.

Lauenburg 489
Lechus ſecundus deponitur 23
Legati 393
Summi Pontificis 397
tempore Inter Regni 35. 36.
Legati Nati Titulus 131
Leopoldus Imperator auxilia mittit 254
Leopolis 479
Leſzczynski Joannes 145
Lex ſumptuaria 204
Lignicenſis Dux ſepelitur 41
Loccicus deponitur 24.

M.

Manumiſſionis modi 205
Mareſchalli 140. 150
Diſtrictuum in Lithvania 173
Comitiorum Electionis 33
Marſchalcalia Judicia 435
Mariæburgenſis Procurator 480
Maſovia 494
Michael Rex 553
Ejusdem Exequiæ 14
Mieeislaus Tertius Principatu deturbatur 24
Macieovius Cancellarius & ſimul Epiſcopus Cracovienſis 144
Milites 236
Equeſtres 239. & ſeq.
Pedeſtres

Pedeſtres 242
Eorundem collectio 243
Moſcovitici Tractatus 354 384 389.
Moroſini Legatus Venetorum 570

N.

Nobilitas 151 *& ſeq.*
Ejusdem cognitio 402
Nuntii Terreſtres 184. *& ſeq.*

O.

Oeconomiar. Viſores ſub Interregno 32.
Officiorum Diſtributio 215. 216
Officiales Senatorii Ordinis 140 *& ſeqq.*
Regni & M.D. Lithuaniæ 163. 167
Palatinatuum & Terrarum 168 169
Caſtrenſes 174
Oginski Cantellarius Lithuaniæ 566
Ordo Aurei Velleris 57
Ordo Spiritus Sancti 559 *& ſeq.*
Ordines tres Poloniæ 5
Oswiecimenſis Ducatus 473.

P.

Pacta 251 *& ſeq.*
Induciarum ſex annorum 339
Olivenſia 285
Cum Domo Auſtriaca 256
Cum Moſchis 354
Pacta Conventa 196
Palatini duodecim 139
Piltenſis Diſtrictus 514
Podlachia 553
Polonia Major 469
Minor 473
Pomerania 481
Posnania 203. 471
Proteſtatio 198
Provinciæ 468
Proviſor Arcis Cracovienſis 475
Pruſſia Regalis 480
Ducalis 484
Pruthenorum Expeditio 234
Puttkammer 515. 527 *& ſeq.*
Puttkammer Legatus Curlandiæ 573. 574.

Q.

Quartianus miles 236.

R.

Rakocius 254
Radzivill Georgius primus in Lithuania Cardinalis 130
Chriſtophorus 164
Nicolaus primus Dux perpetuus militiæ 165
Boguslaus 488
Ravenſis Arx 471
Referendarii 163
Regina 58
Ejus inauguratio 59
Modernæ Reformatio 61
Reginæ viduæ condolentia ab Ordinibus fit 29
Regia Domus 62
Religio 208
Catholica 209

Diſſidentium 209
Reſtium litera 230
Reverſales pro immunitate Curlandiæ 502
Rex 15
Ejus mors 6
Electus 40
Ejus matrimonium 58
Roſa Archi-Epiſcopus 129
Rutheni ſive Graci uniti & non uniti 211
Ruſſia 478
Ruſtici 204. 205.

S.

Sal 162
Samogitia 496
Scopus Reipublicæ Polonæ 555
Severia 473. 554
Scepuſienſis Comitatus 474
Sendomiria 474
Senatus Conſilia 195. 196.
Secretarius Major 163
Schafgotſch Legatus 54
Senatores Reſidentes 125. 126.
fines Regni non egrediuntur 127. 128
Sepultura Regum 41. 42
Sigismundus Auguſtus pro Succeſſore declaratur 27
Skałka Caſimiriana 42
Smolenſcia 554
Statuta 3
Succeſſio 26
Succamerarius Regni 166
Succamerarii Pruthenici 482
Surrogatores 171

T.

Tabaci monopolium 226
Tartari 252
Eorum donativum 252
Terreſtre judicium 437
Theſauri reviſio 31. 32
Theſaurarius 149
Thorunium 202
Tiwuni 173
Trąba Primatis titulum obtinuit 49
Tribunalia Regni & M. D. L. 418 *& ſeqq.*
Theſauri 432 *& ſeqq.*
Tributa 223.

V.

Vacantiæ 195
Varſavia 187
Vectigalia 223. 226
Venatio 395
Vilna. 203 478.

W.

VValdenſtein Legatus Imperatoris 567
VVielopolski Cancellarius 147
VVisniovviecki 166
VVilhelmus Dux Curlandiæ 500.

Z.

Zatorienſis Ducatus 473
Zierovvski Miniſter Imperat. 255
Zołkievvski 165.

Errata

ERRATA Typographica.

Pag. 7. lin. 22. pro Moſcovitium lege Moſcoviticum.

Pag. 10. l. 9. pro antequam, antiquam.

Pag. 14. l. 21. pro inſolido, lege inſolito.

P. 18. l. ultima pro prævertero, prævertere.

P. 24. l. 9. pro erat, eſſet.

Pag. 29. l. 5. pro conclavio, conclavia.

Pag. 60. lin. penult. pro buovis quovis.

P. 84. pro neptis, nepte.

P. 88. poſt VVisniovviec adde à

P. 100. pro Buin, Bnin.

P. 128. l. 15. pro Hoſi Hoſii.

P. 136. l. 21. pro Epiſcopatu, Epiſcopatui.

P. 147. loco Cancellarius, Cancellarium.

P. 154. l. 11 pro ſpectat, ſpectet.

P. 162. l. 7. pro Bochneri, Bochnenſibus.

P. 189. l. 3. pro Senatorii, Senatorum.

P. 192. l. 2. pro Regiam, Regium.

P. 194. l. 1. poſt ſuum, deleatur comma.

P. 195. l. 21. pro Palatinatu, Palatinatibus ibid. pro conſignatur, conſignantur.

P. 220. l. penult. pro inita, irrita.

P. 230. l. 8. pro Czkovius, Cikovius.

P. 237. l. 7. & 8. pro floreños, floreni, ibid. l. 13. poſt 8. adde computando.

P. 241. l. 19. pro à, o

P. 242. l. ult. pro Hayducii Hayduci.

Pag. 244. lin. 12. loco per. lege poſt.

P. 245. l. 7. pro Korzenienski, KorzenieVVski.

ibid. l. 13. pro Trzebachowski, Trzebuchowski.

ibid. l. 20. pro czayby lege Czayki.

ibid. l. antepen. pro Slavanica, Slavonica.

ibid. l. penult. pro Chodziacii, Chodzacii. pro Cozacii lege Coſaci.

P. 247. l. 1. pro Aumurates Amurathes.

P. 249. l. 20. pro Parohi, porobi.

P. 252. l. 24. lege (Upominki Tatarskie)

P. 274. l. 3. pro corteatur, coërceatur.

P. 283. l. 21. poſt Regni adde &.

P. 294. l. 8. pro Svecia lege Svecica.

P. 302. l. 5. pro exorta, extorta.

P. 319. l. penult. pro infeſta, inſeſſa.

P. 354. l. 10. pro Ilebowicz, Chlebowicz.

P. 363. l. 4. pro Graca, Gracam.

P. 365. l. 9. pro externis, ex terris.

P. 387. loco diferemus, differremus.

P. 417. lin. 22. loco ignorantia ignorantiam.

P. 384. pro Radzini, Kadzini.

P. 439. lin. 6. loco Sandii Sadii. ibid. lin. 12. loco VVſckowienſ. lege VVſchovenſ.

P. 511. l. 2. pro Trabeciana, Trubeciana.

P. 514. l. antepenult. pro 1670. 1679.

P. 520. l. 2. pro negotiis, Comitiis ibid. l. 21. pro ſalva, ſalvo.

P. 531. l. antepenult. pro excipit, excepit.

P. 532. pro Leſzcrynſki, Leſczynski.

P. 553. l. 15. pro Trobicynenſem lege Drobicynenſem.

P. 554. l. 9. pro Czesniechoviam, Czerniechoviam.

P. 561. l. 13. pro ceſſum, ſeſſum.

P. 565. l. 16. pro Anni, Anno.

P. 576. l. 17. pro n, in.